pora oriri incipiebat, et mala sub ipsis nascendi initiis difficillime sentiuntur, et vel prudentissimos fallunt. Sed, ut ad rem, eo quo narravimus pacto res Jurisprudentiae Romanae commutatae. Jurisprudentia prius rigida, arcanum erat potentiae Patriciorum adversum Plebem: deinde benigna, arcanum fuit Romanorum Principum adversus Patricios. Quare Reipublicae liberae interfuit eam non vulgari: postea interfuit Principum, non esse celatam. Prius publici juris omnes gnari, privatum arcanum erat; deinde publicum arcanum, privatum omnibus palam factum. Olim docebantur prius juris publici prudentiam, deinde transibant ad respondendum de privato; hodie in privata jurisprudentia spectati ad consulendum de republica transeunt. Triplicis juris una olim prudentia; nunc triplex: sacra, publica, et privata. Et haec ipsa privata olim ad genera, hodie ad species magis spectat. Quare leges olim de iis quae ut plurimum accidunt; nunc de minutissimis factis conceptae sunt; ac proinde olim paucae leges, innumera privilegia; hodie leges ita minutae ut innumera privilegia esse videantur. Igitur merito prius erat *Scientia justi;* hodie est *Ars aequi:* hoc est prius universalis et rigida; hodie particularis et flexilis: nam scientiae severae, nec quicquam declinant; artes autem commodae et morigerae sunt. Indidem prius facta aequa injusta erant nisi ad jus fictionibus traherentur; hodie jura injusta sunt, nisi benigna interpretatione ad facta accommodentur. Itaque olim tota Jurisprudentiae laus erat, ut commentis quibusdam facta aequa evaderent, legibus quoque justa; hodie, ut leges justae benignis interpretationibus sint, etiam factis aequae. Unde Jurisprudentes olim ex instituto tuebantur verba; hodie ex instituto defendunt mentem; et in quaestionibus legitimis Jurisconsulti olim verba, Oratores mentem legum patrocinabantur: hodie Jurisconsulti Oratorum funguntur munere. Et quia leges certae, facta infinita; et jus ad leges, facta ad aequum spectant; olim pauci, hodie innumeri de jure libri. Et in summa,

Comparatio antiquae et novae Jurisprudentiae.

mutato Jurisprudentiae arcano cum mutata Republica, mutatae leges, mutata Jurisprudentia, Jurisconsulti alii, alii Oratores, alii Magistratus, alia Judicia; et nos nova arte et novo librorum genere supra Graecos et priscos Romanos aucti sumus. Atque ex hac arcana Jurisprudentiae Romanorum historia, quam Arnoldum Clapmarium in libro *de Arcanis Rerumpublicarum*, diligentissimum alioqui ejusmodi rerum in Romana Republica observatorem, effugisse miror; et ex iis quae de antiquorum Jurisprudentia memoravimus, haec nostrae Jurisprudentiae addiscendae rationem commoda incommodaque sequuntur. Commodum quidem est quod Jurisprudentia, quae apud Graecos in Philosophorum scientiam, Pragmaticorum de legibus historiam, et Oratorum facultatem dividebatur, et Romanis, ante Edictum Perpetuum, inter Jurisconsultos et Oratores partita erat, hodie in unam doctrinam coaluerit. Quare nostra Studiorum Ratio Graecae et priscae Romanae praestat: tum, quod plus vident quae jura pro caussa, et ad caussam faciant qui in Juris Topica sunt exerciti, quam qui, ut Pragmatici Graeci, solam legum historiam tenent; tum, quod acrius factorum circumstantias utiles ad vincendum advertunt qui Jurisprudentiae gnari sunt, ac proinde rectius caussas constituunt, quam qui sunt meri Oratores. Sed hoc commodum illud incommodi habet admixtum: quod, ut hodie Jurisprudentia ab Eloquentia integrior est, ita a Philosophia infirmior. Nam ut Jurisconsulti hodie leges tragica oratione non vincunt, ut saepe Oratores vincebant, ita scientiam rerumpublicarum legibus ordinandarum conservandarumque, quae doctrina, ut mater omnis Jurisprudentiae est, ita prior tradi deberet, non docent, uti docebant philosophi, et ipso usu reipublicae perdiscebant Romani. Deinde commodo dandum non multa hodie eloquentia opus esse, ut in juris quaestionibus aequum obtineatur: nam sat est, simplici via in caussis argumenta aequi ex facto invenisse, ut leges non pro

Commoda incommodaque nostrae Jurisprudentiae.

Digitized by Google

verbis, sed ex mente ad facta accommodentur. Quare ubi olim M. Crassum Oratorem summum adire opus fuit, qui patrocinium aequitatis et defensionem voluntatis mortuorum in caussa M. Curii adversus Mucium Scaevolam, qui jus propugnabat, susciperet; hodie quivis rusticus, momentis aequi indiserte et incondite demonstratis, obtineret. Sed minor sanctitas legum: nam qui quid lege excipere studet, et legem vitii notat, et legislatorem imprudentiae, coarguit, et legum tandem auctoritatem affligit: nam saepe leges, vitiis seu exceptionibus labefactatae, vix tandem inveniunt ubi vindicentur. Quare, sapientissimo consilio, Agesilaus Spartanam juventutem, Reipublicae florem et robur, in summa militum egestate, ne lege quidem alia lata, servare voluit, ut ne lex quae eos damnabat quicquam relaxaretur: sed eam ex die postero ejus quo ea caussa agebatur, valere jussit. Cui Spartani Regis commento priscae Romanorum Jurisprudentiae fictiones perquam apte respondent. Et commodis rescribendum, nostros Jurisconsultos magis aequitati studere, quam stricto juri: quo benignius agatur cum privatis. At prisci Romani erant juris rigidiores cum majori utilitate Reipublicae. Nam juris rigorem in uno experiri, id est ceteris legum reverentiam incutere. Itaque M. Attilius Regulus, quanquam in caussa de permutandis captivis is unus pro omnibus maximum esset aequitatis momentum, ne tamen juri quicquam derogaretur, illa, quae omnes norunt, et fidei in hostes, et pietatis in patriam, et constantiae rara ac praeclara dedit, per summam nec unquam interituram sapientiae gloriam, exempla. Commode quoque a jure privato hodie ad publicum tractandum transeunt; ut spectentur in re, ubi si quid peccent, minimum laedatur Respublica. At enim apud priscos Romanos, quia legum omnium regina Salus Publica est, et mater omnis aequi boni Utilitas Communis agnoscitur, jus publicum magistratibus et imperii edocebantur prius, deinde Jurisprudentiam privatam profitebantur. Tandem

commodo verti debet, Jurisconsulti et Oratoris munia apud nostros etiam in caussis quae facto constant, unita, quae Romanis priscis divisa erant. Quare et in caussis facti graviores, et in illis juris possumus esse copiosiores. Sed huic commodo illud incommodum referatur: quod triplicis juris una olim prudentia, in tres nunc distracta: et sacrum privatumque, quae olim jura ex publico defluebant, et a jure publico et inter se scissa sunt: ut Theologi et Canonistae Sacrum, qui sunt a sanctioribus Principuum consiliis, jus publicum; Jurisconsulti solum privatum tractent. Sed illud incommodum, nescio, an ullo commodo rependi possit: quod cum aequitas ex factis spectetur, et facta infinita, et in iis quamplurima levissima sint, leges quoque innumeras, et levissimis de rebus maxima ex parte conceptas, habeamus. Atqui nec innumerae servari omnes possunt, et de levibus rebus jussae, facile, ut fit, contemnuntur, et leves contemptae gravissimis quoque detrahunt sanctitatem. Quare Alphonsus Congi Rex, cum ingens Lusitanarum legum volumen legisset, quanquam barbarus, sapienter tamen eam minutam diligentiam irridens, quosdam Lusitanos qui apud eum peregre erant, *quaenam poena apud eos domi in eum sancita esset, qui pede terram tetigisset,* interrogavit. Sed priscis Romanis leges admodum paucae, et gravissimis duntaxat de rebus rogatae erant: ut capita legis XII Tabb., quae *fons omnis Romani juris* dicta est, omnia exiguo libello continerentur, et a Romanis pueris, ad morum institutionem, memoriae mandarentur. Nisi quis hoc incommodum privilegiis, seu legibus singularibus Romanorum, compensare velit: quae, ut Tacitus graviter advertit, *etsi aliquando in maleficos ex delicto, saepius tamen ex dissensione ordinum, et apiscendi inclytos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava, per vim, latae sunt.* Sed id me vetat, hanc compensationis conditionem accipere; quia privilegia ab aliis contemni nedum poterant, sed debebant: nam in exem-

plum non trahebantur; at nostrae minutae leges in consequentiam producuntur. His quae enumeravimus commodis quidem fruimur, incommoda nondum vitavimus. Nam Accursius, et qui acutissimi homines et solertissimi aequitatis indagatores eum secuti sunt, leges Romanas pro nostris temporibus sapientissime sunt quidem interpretati: nam ex minutissimis et omni nostrae rei privatae inutilissimis legibus, quaedam justi genera in respondendo et judicando apprime necessaria confecerunt; ut eorum quae dicuntur *legum summae*, generales de jure privato leges sapientissime conceptae videantur. Quare elogium et verum et grave ab Hugone Grotio meruerunt: *ut saepe optimi sint condendi juris auctores, etiam tunc, cum mali sunt interpretes.* Sed hoc Decemvirorum dissimiles, quod illi Graecorum leges ad Romanam Rempublicam praecipue, Accursiani Romanas ad nostras res privatas accommodarunt. Praeterea cum iidem in legum commentariis iterum innumeras factorum species confingant, Jurisprudentiam iterum in minutae diligentiae, quae diximus, mala conjiciunt. Extitit deinde in Italia Andreas Alciatus, quem deinde Galli summa cum laude sectati sunt; qui, sicut antiquae Jurisconsultorum sectae ab ipsis auctoribus habuere vocabula, ii itidem Alciatiani appellari deberent, et Latinae Graecaeque linguae peritia, historiarumque Romanarum eruditione, suam Romano Juri luculentiam restituerunt. At ii potius leges Romanis suas reddiderunt, quam ad nos nostris Rebuspublicis aptas apportaverunt. Quare in hac ipsa sua de jure privato prudentia, ut de privatis nostri temporis controversiis respondeant vel decidant, Accursianos evolvunt, et ab iis aequi argumenta mutuantur. Igitur quando leges pro Reipublicae institutis condere et interpretari necesse est, principio, Regni constitutionem, seu *legem* illam *Regiam*, quae lata quidem non est, sed cum Romano Principatu nata, spectari, et doctrinam de Republica Monarchia optime Jurisprudentem tenere oportet. Deinde omnia

Quid spectare debeant Jurisprudentes.

pro Regni natura ad *civilem* ordinare *aequitatem*, quae Italis *giusta ragione di Stato* appellatur, et unis Rerumpublicarum prudentibus gnara: quae et ipsa aequitas naturalis, et quidem amplior est, utpote quam non privata utilitas, sed commune bonum suadeat: sed quia id nec praesens nec peculiare est, vulgus qui non videt nisi ante pedes posita, et particularium duntaxat intelligens, ignorat. Ad haec statuat ea aequitatis civilis consilia optima esse, quae aequitatem naturalem quoque prae se ferant: his illa proxima quae etsi, uti a Justiniano *usucapio* dicitur, *impia praesidia* videantur, tamen privato damno utilitatem publicam longe afferant ampliorem: postrema esse quae et civibus bono sint, neque Reipublicae obsint. Nam quae civibus prosunt, Reipublicae nocent, aequitatis naturalis, non civilis, consilia sunt: quae vero et cives et Rempublicam damno afficiunt, non consilia Principatus, sed *dominationis flagitia* dicuntur; quibus mali Principes jusfasque proculcant, et prius Regnum, tandem seipsos perdunt. Denique Principatus Romani originem, stabilimen, formam, auctum, statum, interitum contempletur, et ea omnia cum nostri temporis Regno componat, ut, an eaedem publicae utilitates consequantur dispiciat. Tum, quanque definitionem ad Regni vim et naturam referat; et cujusque Romani juris publicam aliquam caussam, quae necessario omnibus subest, vestiget; et quae jura privata ex caussa condita sunt, quae nostro Regno prosit, producat; quae non obsit, permittat; quae noceat, coarctet. Quid est Justitia? Constans communis utilitatis cura. Quid Jurisprudentia? Optimi Regni notitia. Quid Jus? Ars tuendae publicae utilitatis. Quid Jus, sive Justum? Utile. Quid Jus Naturale? Utile cujusque. Quid Jus gentium? Utile Nationum. Quid Jus Civile? Utile Civitatis. Qui fontes juris? Et cur jus naturae natum? Ut homo quoquo modo vivat. Cur jus gentium introductum? Ut homo tuto et facile vivat. Cur jus civile constitutum? Ut homo feliciter bea-

teque vivat. Quae summa lex, quam semper in aliis interpretandis sequi debemus? Regni amplitudo, Principis salus, gloria utriusque. Cur leges Furia Caninia, Ælia abrogatae? Cur sublatum jus Latinae et deditiae libertatis? Cur omnès manumissi liberti Romani facti? Ut Romani ingenui obsequio Principis firmarentur. Cur dominorum saevitia in servos coërcita? Ut ne porro foras erumpant, et audeant Principis potentiam attentare. Cur peculia filiisfamilias patrimonii jure permissa? Ut mulcta quoque a delinquendo deterreantur. Cur legitimationes institutae? Ut Patriciorum ferocia mansuesceret. Cur dominium ex jure Quiritium, et jus bonorum; usucapio in Italia, et longi temporis possessio in Provinciis olim distincta, nunc confusa? Cur omnes Imperio Romano subjecti Civitate Romana donati? An quo sanctius fieret arcanum, posse a Provinciis Imperatorem Romanum eligi? An, quod verius, ut omnium aeque interesset Imperium Romanum stare? Cur donationes insinuandae? Ne quis largitionibus turbida agitet. Cur aucta militum privilegia? Quo studeant magis potentiae Principis. Cur fideicommissorum pudor abiit in juris necessitatem? Ut socii Populi Romani, successionibus Romanorum antea prohibiti, Romano Principe laetarentur. Cur adgnatorum et cognatorum in successionibus sublata discrimina? Ne qui antiqua et perpetua potentiae opumque laude ferocirent. Cur poenae exasperatae? Quia, cum Princeps mortalis sit, acriori leges custodia indigent. Haec ego innatantia animadverti, ut hujus Jurisprudentiae usus et commoda digito ostendens demonstrarem; et ne per exempla utilitates hujus rationis singulas explicem, quod nostrae Dissertationis institutum non patitur, per transennam, ut ajunt, indicaverim cunctas. Videtis Jurisprudentiam rigidam crescentis Reipublicae, mitem et laxam decrescentis Imperii fuisse. Haec enim principio consilium fuit, quo Principatus Romanus invalesceret; deinde remedium, ut labascens consisteret; tandem malum, quo rueret. Nam sublato

adgnatorum cognatorumque discrimine, et jure gentilitatis extincto, e familiis Patriciis et res effugit, et nomen evanuit, et virtus est resoluta. Tot in servos beneficiis collatis, ingenuus Romanorum sanguis sensim labefactatus, tandem corruptus est. Omnibus Imperio Romano subjectis Civitate Romana donatis, amor in patriam et studium Romani nominis in civibus indigenis extincta sunt. Jure privato tantopere promoto, cives nihil jus esse dein putarunt nisi suam ipsorum utilitatem; nec ultra publici commodi studiosi. Romanorum et Provinciarum jure confuso, Provincia in propria Regna, jam ante quam re ipsa invaderentur, abiere: et dissoluto tandem illo nexu quo maxime Romanum Imperium auctum est, ut socii Populi Romani solam fidei laudem, Romanus autem Populus et nominis gloriam, et Imperii vim haberet, Romana Monarchia sensim debilitata, tandem distracta et deleta est. Ita ut haec laxior Jurisprudentia et eloquentiae et potentiae Romanae corruptae fuerit caussa potissima. Quare Princeps, si Regnum augeri velit, Leges Romanas ex doctrina civili jubeat interpretari; et Judices ex ea lites judicent; atque optimorum arte illa Oratorum, qua semper curant, ut possint; semper ac possunt, praestant; ut privatis caussis publicam agglutinent; Judices, inquam, in partem maxime adversam utantur: illi namque id faciunt ut privatum jus vincat publicum, at ipsi faciant ut publicum vincat privatum. Ita namque cum maximo Reipublicae bono philosophia juris, nempe doctrina civilis, iterum cum Jurisprudentia conjungetur; major et gravitas et sanctitas legum erit; eloquentia regno accommodata florebit: quae quantum publicum jus privato dignitate, amplitudine et gravitate praestat, tantum eloquentiae, quae nunc in usu est, antecellet. Nam Oratores, quo caussas obtineant, in eo totos fore necesse est, ut eas jure publico probatas esse confirment; et ita spectati in doctrina civili, politici ad ipsam Rempublicam gubernandam accedent. Scio equidem in no-

stro *Sacro Consilio Neapolitano* saepe lites contra Romanas leges, *EX CERTIS CAUSSIS*, ut eleganter habent in formulis, judicari, et in summo Regni Senatu aequum civile naturali saepe in decernendo praeferri: sed id fit peculiari prudentissimorum sapientia Oratorum et Judicum, qui sane immortales non sunt. At si id ex instituto Regni fiat, cum summa Reipublicae utilitate perenne erit. Atque haec de Jurisprudentia in artem redacta aliisque ejus generis, mihi in proposito argumento dicenda visa sunt.

De copia exemplorum in nostra studiorum ratione.

Optimorum autem copia exemplorum potissimum videtur esse studiorum, quae imitatione constant, adjumentum. Neque enim, inquiunt, esset Virgilius, nisi ante fuisset Homerus; neque apud nostros Torquatus, nisi ante Virgilius. Et vulgo ferunt, *facile inventis addere.* Sed altrinsecus et id maximum est commodum, inventionum praerogativa; et Jurisconsulti in definitionibus habent: *occupantium conditionem esse meliorem.* Nam quid aliud est quod quamplurimis in rebus earum Inventores et tempore et dignitate primi, atque adeo saepe soli extiterunt? Quid si optima artificum exempla dixerim obesse potius quam prodesse omni ejus generis studiorum rationi? Mirum fortasse, sed certe verum. Nam qui optima nobis artium reliquerunt exempla, nullum exemplar ipsi antea, nisi naturam optimam habuerunt. Qui vero optima opificum, ut pictorum exemplaria, sibi imitanda proponunt, meliora efficere nequeunt: nam quantum in natura boni erat, a prioribus in suo cujusque genere exhaustum est; alioqui non essent optimi; aequare, tantundem; cum nec phantasiae vim, nec spirituum mobilitatem et copiam, neque nervorum structuram, quibus a cerebro ad manum ferantur, neque tantundem exercitationis, unde eandem facilitatem habeant. Cum igitur nec superare nec aequare possint, necesse est ut in deterius vergant. Quod sane verum agnovit et professus est Titianus, qui, dum Venetiis pingeret, a Francisco Varga, a Carolo V. Imp. ad eam Rempu-

blicam Legato, interrogatus, *cur tam pingui pingendi genere delectaretur ut ejus penicilli scopae ferme viderentur*, respondit, *quemque in arte, quam profitetur, aliquam excellentiae laudem spectare oportere: et illam imitatorum mediocri minorem esse. Itaque, quando Bonarota et Urbinas, ille grandi, hic tenui picturae genere summam quisque occuparunt, se ab iis longe aliam iniisse viam, qua sibi aliquam nominis celebritatem compararet.* Atque inde illud ego suspicor factum quod, cum Hercules Pharnesianus aliaque optima antiquorum opera sculptorum, non item Ialysus Protogenis, nec Apellis Venus ad nos pervenerint, in Sculptura multum desideretur; Pictura ad summum usque perducta est. Quod si haec non ita se habent ut dixi, quid est, quod apud Graecos, Latinos ac nostros (ut taceam de Historica et Oratoria quae ad Rerumpublicarum momenta convertuntur) in re Poëtica eadem lingua, religione, et studiorum ratione vigente, optimis minores fere semper successerint? Quamobrem optima artium exemplaria prorsus deleri necesse esset, ut optimos auctores haberemus. Sed quando id barbarum et nefarium est, et paucis datum ad summa eniti, ea minoribus ingeniis serventur; qui vero beatissima indole praediti sunt, ea aspectu amittant suo, ut optimam naturam cum optimis imitari contendant.

De typis in nostra studiorum ratione.

Typi autem non dubium est, quin nostrae Studiorum Rationi magno sint adjumento: eorum enim beneficio jam illa declinavimus, quae antiqui perferebant, incommoda; ut ingenti ære longisque itineribus manuscriptos codices perquirerent exquirerentque; et tamen saepe iis eorum copia non fiebat, quod domini invidiosa illa frui laude vellent, ut apud ipsos unos autographa asservarentur. Jam ingenti copia et varietate, ubique locorum, non Ptolemaeis Regibus tantum, sed cuivis privato homini, commodis pretiis dictis, prostant. Sed vereor ne abundantia et vilitate nimia, ut fieri solet, minus simus industrii; neve convivas imitemur, qui in

lautis opiparisque coenis cibos suetos et boni succi amoveri jubent, et excuratis, ac minus utilibus se ingurgitant. At vero quum libri manu scribebantur librarii, ut operae precium facerent, auctores constantis famae exscribebant: eosque saepe quum caro venderent, studiosi sua ipsorum manu exscribere adigebantur, quo exercitationis genere mirum quantum proficitur! quia rectius meditamur quod scribimus, atque adeo, quod nec perturbate, neque raptim, neque intercisim, sed placide et perpetuo ordine scribimus. Ita namque non perfunctoria notitia, sed longa nobis consuetudo cum ipsis auctoribus intercedit, et per eam in ipsos puros putos transformamur. Atque hac de caussa pravi auctores scriptura frigebant: boni vero tanta cum utilitate celebrabantur. Nam magis argute quam vere illud a Verulamio dicitur, barbarorum inundatione, graves scriptores pessundatos; leves innatasse. Etenim in omni doctrinae genere principes ad nos, optimique, scripturae beneficio, pervenerunt, et si unus et item alter exciderit, id fortunae imputandum. At mea quidem memoria, necdum etiam senex haec scribo, scriptores vivos hac frui laude vidi, ut eorum opera duodecim et fortasse plus eo typis mandata sint; nunc vero non tantum contemni, sed sperni quoque, alios diu incultos et desolatos, tandem, aliqua ex obliquo occasione data, nunc a doctissimo quoque celebrari. Quin eruditissimos viros memini, quaedam litterarum prorsus damnare studia; nunc, mutato judicio, in iisdem totos versari video. Ejus rei multae sunt caussae. Nam suus cuique aetati genius est: novitas, ut pulchritudo, commendat vitia quae, exoleta aetate, insignia fiunt; scriptores, qui repraesentatum studiorum fructum capere volunt, stylum tempori servant; et litterae suas habent partes, obsequia, simultates, ac in litteraria quoque republica sunt qui sua callent arcana potentiae: et adolescentes, quo magis modesti ac ingenui, eo magis creduli et gravibus doctrina viris obsequentes. Quare lectionem cum se-

culorum judicio instituamus, et nostram Studiorum Rationem sub quadam regamus tutela; legamus antiquos prius: nam ii et fidei et industriae et auctoritatis sunt jam spectatae, atque ipsimet nobis sint normae, quos porro ex recentioribus praelegamus.

De Universitatibus Studiorum.

Quod reliquum erat de Universitatibus Studiorum mirum sane videatur, cur antiqui corporibus, ut ita dicam, studiorum Universitates fundarint, thermas et campum; ubi adolescentes, cursu, saltu, pugilatu, pali jactu, disci pilaeque ludo, natatione, et balneis robusti agilesque fierent: nec ullam, quibus animos excolerent firmarentque, instituere cogitarunt? Si de Graecis sermo sit, id in caussa fuit, quia unus Philosophus absolutissima studiorum Universitas erat. Graeci namque sua utebantur lingua, et ea sane quae propagines tam beatas habebat, ut non solum ad omnia in medio civilis vitae posita, sed abditissima scientiarum et artium elegantissimis vocabulis significanda aequa venere et felicitate perduceret. Leges autem ipsi magis aliis nationibus dono dare, quam ullas peregre accipere solebant. Quibus rebus tantum ceteris se gentibus prestare existimabant, ut illa fastus plena interrogatione uterentur: *Graecus es, an barbarus?* quasi omnium Orbis terrarum gentium ipsi dimidiam et meliorem partem valerent. Quumque haec ita essent, et praeterea unam philosophiam, omnium scientiarum et artium parentem, obstetricem, alumnam excolerent, et de ea, non tam aliorum auctoritatibus, quam ipsi rerum argumentis, dissererent: commode unusquisque Philosophus res divinas atque humanas omnes sibi subjiciebat, atque ab eo uno auditores quicquid in Republica sciri oportebat perdiscebant. Romani autem, quanquam lingua praediti quae externas haberet origines, eas tamen tam superbe fastidiebant, ut vocabulorum,

. . . quae graeco fonte cadunt, parce detorta,

quasvis leves, falsas, ineptas, quam externas historias

narrare mallent. Et quamquam Leges bona ex parte a Graecis accepissent, quia tamen ad suae Reipublicae formam sapientissime accommodarunt, eo pacto proprias effecerunt. Effectu itaque Romani quod ad linguam et Leges attinet Graecis exaequabantur: sed hoc Graecis minus Universitatibus egebant, quia in una Jurisprudentia Sapientiam, ut diximus, collocarunt, eamque ipsam usu Reipublicae edocebantur, et Patricii, ut potentiae arcanum, occultabant. Quare tantum abest ut Romanis ulla Studiorum Universitate opus esset, ut nullam prorsus fundari interesset. At verso in Principatum statu, quia Romanorum Principum interfuit Jurisprudentiae mysteria vulgari, et scriptorum multitudine, sectarum divisione, opinionum varietate, ejus doctrina amplior facta est; ad eam denique profitendam Academiae Romae, Constantinopoli ac Beryti fundatae sunt. Quanto igitur magis Universitatum nos indigi, quibus Sacri Libri et cum iis Orientales Linguae, Canones Conciliorum quae in aliis atque aliis Asiae, Europae Africaeque nationibus et urbibus ab Apostolis ad nos usque sunt habita, Romanorum Langobardorumque leges, de Feudis Consuetudines, Doctrinae Graecae, Latinae, Arabicae in nostrarum usus Rerumpublicarum importatae, sunt pernoscendae! Ad haec addas librariorum menda, librorum plagia et imposturas, alienae manus irreptiones, quibus legitimos auctorum partus vix agnoscimus, vix germanos sensus assequimur. Ita ut quum quod nos scire oportet tot libris contineatur, quorum linguae intermortuae, Respublicae deletae, mores ignorati, codices corrupti, una quaevis ars scientiaque adeo difficilis facta est, ut vix singuli ad singulas profitendas sufficiant. Itaque Studiorum Universitates nobis institutae sunt, et omni disciplinarum genere instructae, in quibus aliis alias doctrinas, suae quisque scientissimus, tradunt. Sed huic commodo illud incommodum objicitur, quod artes scientiaeque, quas sola Philosophia uno tanquam spiritu continebat, hodie divisae et distractae sunt. Antiquitus ita

constabant Philosophi ut non solum mores suae cujusque doctrinae convenientes, sed ipsum disserendi genus accommodatum haberent. Socrates, quia *nihil se scire* profitebatur, nihil quicquam ipse afferebat in medium, sed, minutis interrogationibus, se a Sophistis velle discere simulabat; quibus datis suas conficiebat inductiones. Stoici, quibus mentem veri regulam esse, et sapientem nihil opinari placebat, ipsi indubie vera pro suo jure sumebant: et ea, per vera secunda, tanquam per annulos, ad dubia usque catenabant, et sorite, suo telo, utebantur. Aristoteles, qui et sensu et mente verum dijudicari volebat, syllogismo utebatur, quo communiter vera dabat ut in specie dubia sibi certa redderentur. Epicurus vero, qui sensibus notionem veri demandabat, nec dabat quicquam nec accipiebat ab adversariis, sed res nuda et simplici oratione explicabat. Hodie autem auditores, forte ducti ab Aristotelico in Dissertatrice, ab Epicureo in Physica, a Cartesiano in Metaphysica erudiuntur; a Galenico discunt Medicinae theoriam et Chemico praxim, ab Accursiano Jurisprudentiae Institutiones; a Fabrista Pandectarum, ab Alciatiano Codicis libros praelegit. Et ita incondita ac saepe perversa eorum institutio est, ut quanquam partibus doctissimi sint, in summa tamen, qui sapientiae flos esset, non constent. Quare, ut id vitetur incommodum, vellem ut Universitatum Antecessores unum omnium Disciplinarum systema ad Religionem et Rempublicam accommodatum componerent, quod doctrinam nsquequaque conformem obtineret, idque ex publico instituto profiterentur.

Conclusio.

De eloquentiae commodis quatenus sapientiae prodest.

Atque haec habui quae de nostrae Studiorum Rationis cum antiqua comparatae commodis incommodisque dissererem, ut nostra antiqua rectior meliorque usquequaque esse possit. Quae meditata si vera erunt, jam meae fructum vitae omnem intercepero; qua semper studui ut pro mea tenuissimi hominis virili parte humanam

Digitized by Google

societatem adjuvarem: sin falsa aut vana arguantur, honestum certe votum et magnanimus conatus veniam promeruerint. Sed quis dixerit: magna subire pericula, quum necesse est, magnanimitati ducitur; quem non oportet, temeritati. Quid tua, inquiet, ejusmodi argumenta quae omnia sapiunt disserenda suscipere? Nihil mea Johannis Baptistae Vici, at mea multum Eloquentiae Professoris: quando sapientissimi Majores nostri qui hanc Studiorum Universitatem fundarunt, Eloquentiae Professorem omnes scientias artesque doctum esse oportere, satis suo instituto significarunt, ut is anniversaria Oratione studiosam Juventutem ad omnia scientiarum et artium genera capessenda exhortaretur. Nec temere ter maximus ille vir, Franciscus Verulamius, illud Jacobo Angliae Regi dat de ordinanda Studiorum Universitate consilium, ut adolescentes, non omni doctrinarum orbe circumacto, ab Eloquentiae studiis prohibeantur. Nam quid aliud est Eloquentia, nisi sapientia quae ornate copioseque et ad sensum communem accommodate loquatur? Igitur ad quem Professorem auditores, nisi omnes scientias artesque docti accedere non possunt, is ex sui vi muneris ignorabit? et qui adolescentes ad omnia disciplinarum genera exhortari debet, earum commoda, ut sequantur; incommoda, ut vitent, disserere non decet? Quare qui pro dignitate hoc gravissimum, et quod sentio meis humeris longe majus, sustinent onus, mihi C. Cilnii Maecenatis, Crispique Sallustii, aliorumque deinceps qui *equites illustres* dicti sunt, similes esse videntur, qui quanquam censum Senatorio longe ampliorem haberent, in equestri tamen ordine modestia consistere voluerunt. Igitur pro meo Eloquentiae Professoris jure, nedum officio, hoc tractandum sumpsi argumentum; neque ad id ulla alios obtrectandi, vel me ostentandi, prava abduxit libido. Etenim ut, AEquanime Lector, vidisti, ubi incommoda censui, Auctores praecidi; et sicubi eos appellare necesse fuerit, eos non sine summa honoris significatione, uti et me homuncionem et illos tales tan-

tosque viros decuit, nominavi. Ipsa autem incommoda, per sedulitatem quantum potui majorem attenuata, modestissime exposui. Nam ab ineunte pueritia eam mihi legem, quam imbecillitas humano generi sanxit, irrogavi; uti alios mea vellem, ita aliena me peccata aequi bonique consulere; maxime ubi alii innumera et maxima recte fecerint, et in minimis prave pauca; ego in nugis innumera fortasse peccaverim. Me vero in hac Dissertatione nihil omnino jactavi: idque adeo cavi sedulo, ut quanquam ea speciosum *Titulum* prae se ferre posset: *De Recentiori et Antiqua Studiorum Ratione conciliata*, nihilominus maxime vulgarem concepi; nam

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem

velim. Mea autem circa id argumentum excogitata nullis magnificis ornavi verbis, ne injuriam facere viderer tibi, Erudite Lector, qui tuo judicio duceris, et jus esse tuum intelligis, de scriptore in alterutram partem judicare. Sed nonne replicaverit, id gloriosi est, quod dixerim, me novam rem in litterarum Rempublicam apportare? Minime vero: nam novitas proprium laudis argumentum non est; ridicula enim et monstra novitate censentur. Illud vero laude dignum, recte nova dixisse: quod ego tibi, Lector, communique eruditorum judicio virorum permitto, a quibus profiteor me nunquam esse dissensurum. Nam id in omni vita unum maxime formidavi, ne ego solus saperem; quae res plenissima discriminis semper mihi visa est, ne aut deus fierem aut stultus. Sed idem objecerit me satis rebus ipsis ostentasse magnificum, qui omnia sapientiae studia mihi subjecerim; et de iis, tanquam in omnibus versatissimus, judicia rotundo ore protulerim. Sed qui id objicit, quae haec sint judicia, quaeso, animadvertat: nempe, ut doctrina alia alii prosit vel obsit, et qua ratione obesse non possit; quod judiciorum genus, nisi qui

horum . . . nihil egregie praeter cetera,
. . . . et tamen omnia haec mediocriter

studuerit, nemo recte praeterea proferre potest. Nam ita comparatum animadvertimus, ut qui in uno doctrinae genere omnem adjunxerit animum omnemque vitam collocarit, eam artem scientiamque ceteris prestare omnibus, et cuique rei optimam esse existimet, et in quosvis alienissimos usus traducat: nostrae forsan imbecillitate naturae, qua ex nobis nostrisque rebus delicia facimus. Quare ne falsa judicia protulerim, si de omnibus, de Eloquentia vereor maxime quia profiteor. Haec dixi ad obtinendam mei muneris morumque meorum dignitatem: si quis vero ipsis rerum momentis res ipsas reprehendat, gratias ei habuero maximas, si me ab aliquo errore deduxerit; aeque tantas, vel si voluerit.

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES

in Orationem quae De nostri temporis Studiorum Ratione *inscribitur, ex Ephemeride vulgo* Giornale de' Letterati d'Italia *depromptae.*

Ephemerides vulgo *Giornale de' Letterati d'Italia* quae seculo proxime elapso Venetiis excudebantur, cum synopsim Orationis *De nostri temporis Studiorum Ratione* exhiberent, hujusmodi judicium proferebant:

« Il sig. Vico, a dir vero, discorre in tutto con tanto di dottrina « e di giudizio, che ben mostra di avere meritato il titolo che lo « qualifica nella republica delle lettere (*), dando motivo a noi di « desiderare che si fosse esteso un poco più su qualche materia, nè « l'avesse solamente, per così dire, accennata ». (Tom. I, p. 321, anno 1710.)

Posterius ipsae Ephemerides (Tom. II, pag. 496-498) editionem operis *De Antiquissima Italorum Sapientia ex orginibus Linguae Latinae eruenda* proxime prodituram docentes, hanc orationem rursus memorabaut monebantque:

« 1. Che quasi tutta la Dissertazione è concepita, senza farne « rumore, per dimostrare i danni che fa il metodo geometrico tras- « portato dalle matematiche, le quali ne sono unicamente capaci, « nelle altre scienze (Pars I. *de Instrum. Scient.* pag. 9 et seqq.).

« 2. Che i sistemi nuociono sommamente alle cose mediche, e « particolarmente per essersi lasciato, dacchè questi vi s'introdus- « sero, di batter la strada tanto profittevole di arricchirla nella « parte più certa, che è quella degli aforismi e dei giudizj (Pag. « 18-20).

« 3. Che oggi il fine di tutti gli studj è solamente la verità, « senza tener conto dell'utilità e della dignità: la qual cosa arreca « gravissimi danni alla prudenza civile, che in verun conto non « soffre che delle cose agibili l'uomo pensi con metodo geometrico, « per le ragioni che si adducono là dove se ne ragiona (Pag. 20-25).

« 4. Che i Trevolziani, quantunque l'autore qui non li nomini, « prendono un abbaglio grandissimo intorno alla Maniera di ben « pensare, credendo essi che sia il medesimo Sottigliezza ed Acu- « tezza d'ingegno; e che i Francesi hanno sopra tutte le nazioni « del mondo il pregio di sottili e di delicati, ma non già di acuti « e d'ingegnosi (Pag. 15, 24, 25).

(*) Vicus Eloquentiam publice docebat in R. Neapolitana Studiorum Universitate.

Digitized by Google

« 5. Che mutata la forma nella republica romana di libera in « principato, o per meglio dire in monarchia, gl'Imperatori per « tòrre di mano ai Nobili la forza delle leggi, offersero loro un « simulacro di potenza, con fare più venerando l'ordine de' giu- « risconsulti; ma nello stesso tempo essi co' Rescritti, il Senato « co' Senatusconsulti, e sopra tutto i Pretori cogli Editti, si diedero « a trattar le leggi con equità naturale: con che si obbligarono « maggiormente la plebe, che solo di questa e non dell' equità « civile è capace, e andarono tratto tratto rendendo inutili le for- « mole, le quali erano il segreto della potenza de' Nobili (Pag. « 34-39).

« 6. Che per vietare i danni della Giurisprudenza, come oggi si « tratta, e per conseguire gli utili con che la trattarono i Romani « nella republica libera, sarebbe d'uopo interpretar le leggi secondo « le ragioni di Stato; e si dà un saggio di un sì fatto sistema (Pag. « 40-45) ».

Digitized by Google

Digitized by Google

DE ANTIQUISSIMA
ITALORUM
SAPIENTIA

EX LINGUAE LATINAE ORIGINIBUS ERUENDA

LIBRI TRES

Digitized by Google

LIBER PRIMUS

SIVE

METAPHYSICUS

AD NOBILISSIMUM VIRUM

PAULLUM MATTHIAM DORIAM

PRAESTANTISSIMUM PHILOSOPHUM

SCRIPTUS

NEAPOLI AN. NDCCX

Digitized by Google

PROOEMIUM

Dum linguae latinae origines meditarer, multorum bene sane verborum tam doctas animadverti, ut non a vulgari populi usu sed interiori aliqua doctrina profecta esse videantur. Et sane nihil vetat quin aliqua lingua philosophicis locutionibus referta sit, si in ea gente multum philosophia celebretur. Ex mea quidem memoria promere, id possim, quod dum Aristotelei philosophi et Galenici medici florebant, per ora hominum illitteratorum pervulgata erant fuga vacui, naturae aversiones et studia, quatuor humores et qualitates, et innumera ejusmodi; postea vero quam neoterica Physice et Medicina ars invaluit, vulgus hominum passim audias sanguinis circumlationem et coagulum, utilia noxiaque fermenta, aëris pressionem et alia id genus loqui. Ante Hadrianum Caesarem hae voces, *ens, essentia, substantia, occidens,* Latinis inaudita, quia Aristotelis Metaphysice, incognita; viri docti post ea tempora eam celebrarunt, et ea vocabula divulgata. Quapropter cum latinam linguam locutionibus satis doctis scatere notassem, et priscos Romanos usque ad Pyrrhi tempora nulli rei praeterquam rusticae et bellicae dedisse operam historia testetur, eas ab alia docta natione ipsos accepisse, et imprudentes usos esse conjectabam. Nationes autem doctas, a quibus eas accipere possent, duas invenio, Jones et Hetruscos. De Jonum doctrina non est ut multis doceam: cum in iis Italica philosophorum secta, et quidem doctis-

Occasio scribendorum.

Linguae doctae a nationum philosophis.

Doctae latinae linguae origines ab Jonibus et Hetruscis.

Secta Italica sapientissima.

Digitized by Google

Hetrusci metaphysicâ doctissimi.

sima praestantissimaque, floruerit. Hetruscos autem eruditissimam gentem fuisse, magnificorum doctrina sacrorum, qua praestabat, confirmat. Ibi enim Theologia civilis exculta est, ubi Theologia naturalis excolitur; ibique religiones augustiores, ubi digniores de Summo Numine opiniones habentur: et ideo apud nos Christianos castissimae omnium caeremoniae, quia omnium sanctissima de Deo dogmata. Sed et Architectura, ceterarum simplicissima Hetruscorum, grave argumentum praebet eos in geometria Graecis priores fuisse. Ab Jonibus autem bonam et magnam linguae partem ad Latinos importatam etymologica testatum faciunt. Ab Hetruscis autem religiones Deorum, et cum iis locutiones etiam sacras et pontificia verba Romanos accersisse, constat. Quamobrem certo conjicio ab ea utraque gente doctas verborum origines Latinorum provenisse; et ea de caussa animum adjeci ad antiquissimam Italorum sapientiam ex ipsius latinae linguae originibus eruendam. Opus sane hactenus, quod sciam, intentatum; sed forsan dignum quod inter Francisci Baconis desideria numeraretur: Plato enim in *Cratylo* eadem via priscam Graecorum sapientiam assequi studuit. Quare quod Varro in *Originibus*, Julius Scaliger *de Caussis latinae linguae*, Franciscus Sanctius in *Minerva*, ibidemque in *Notis* Caspar Scioppius praestiterunt, longo a nostro distat incepto. Ii enim ex philosophia, quam ipsi docti fuerant et excolebant, linguae caussas eruere et systema comprehendere satagerunt; nos vero nullius sectae addicti, ex ipsis vocabulorum originibus, quaenam antiquorum Sapientia Italorum fuerit, sumus indagaturi.

Hetrusci geometriâ Graecis antiquiores.

Hoc opus ad Cratyli Platonici exemplum.

Aliud ac Varronis, Scaligeri, Sanctii, Scioppiique.

Digitized by Google

DE ANTIQUISSIMA
ITALORUM
SAPIENTIA

EX LINGUAE LATINAE ORIGINIBUS ERUENDA

Et principio eas locutiones quae conjecturae locum faciunt, quas prisci Italiae sapientes de primo vero ac Summo Numine animoque humano opiniones haberent, hoc primo libro exequi, eumque tibi, vir amplissime, Paulle Matthia Doria, inscribere, seu potius in hoc libro de metaphysicis rebus, te auspice, disserere certum fuit: qui, ut summum genere et doctrina philosophum decet, praeter cetera philosophica, his celsissimis studiis delectaris, et ea ipsa per summam magnanimitatem et sapientiam excolis. Magni enim animi illud est, quod praeclara aliorum sublimium philosophorum meditata admiraris quidem et laudas, sed et majora de te confidis et praestas. Nec minoris sapientiae illud, quod unus recentiorum omnium primum verum in humanos usus deduxisti, et altera via in Mechanicam, altera in Civilem Doctrinam derivasti, et principem omni mala regni arte, qua suum C. Tacitus et Nicolaus Machiavellus imbuerunt, integrum formas: quo nihil ad Christianam legem conformius, nihil ad rerumpublicarum felicitatem exoptatius. Sed isthaec communia tua sunt erga quemvis merita, ad quem vel sola tui amplissimi ac praeclarissimi

Digitized by Google

nominis fama pervenerit. His autem tua erga me illa propria accedunt, quod me et mea pro tua singulari humanitate benignissime excipias, tuque potissimus me ad hujusmodi studia excitaveris. Cum enim anno superiore, super coena, apud te, domi, dissertationem habuissem, in qua ex his ipsis latinae linguae originibus naturam collocabam in motu, quo per vim cunei quaeque in sui motus centra compellerentur, et vi conversa a centro circumcirca expellerentur ad ambitum, et res omnes per systolem et diastolem quandam gigni, vivere et interire, tu, et eximii hujus civitatis doctrina viri, Augustinus Arianus, Hyacinthus de Christophoro et Nicolaus Galitia, me monuistis, ut eam rem a capite aggrederer ut rite et ordine constabilita videretur. Itaque, idem insistens originum latinarum iter, haec metaphysica sum meditatus, quae his nominibus tibi inscribo: nam ex posterioribus curis aliquam praeclarissimis iis tribus viris dabo, in grati animi et singularis observantiae testimonium.

CAPUT I.

De Vero et Facto.

Latinis verum et factum idem.

Latinis *verum* et *factum* reciprocantur, seu, ut scholarum vulgus loquitur, convertuntur; atque iisdem idem est *intelligere*, ac perfecte legere et aperte cognoscere.

Quid intelligere.

Quid cogitare.

Quid ratio.

Cogitare autem dicebant quod nos vernacula lingua dicimus PENSARE et ANDAR RACCOGLIENDO; *Ratio* autem iisdem significabat et Arithmeticae elementorum collectionem, et dotem hominis propriam, qua brutis animantibus differt et praestat; hominem autem vulgo describebant animantem *rationis participem*, non compotem usquequaque. Altrinsecus, uti verba idearum, ita ideae symbola et notae sunt rerum: quare quemadmodum *legere* ejus est, qui colligit elementa scribendi, ex quibus verba componuntur, ita *intelligere* sit colligere

Homo rationis particeps dictus.

omnia elementa rei, ex quibus perfectissima exprimatur idea. Hinc conjicere datur, antiquos Italiae sapientes in haec de vero placita concessisse: *Verum* esse ipsum factum; ac proinde in Deo esse primum verum, quia Deus primus Factor; infinitum, quia omnium Factor; exactissimum, quia cum extima tum intima rerum ei repraesentat elementa, nam continet. *Scire* autem sit rerum elementa componere: unde mentis humanae cogitatio, divinae autem intelligentia sit propria; quod Deus omnia elementa rerum legit, cum extima, tum intima, quia continet et disponit: mens autem humana, quia terminata est, et extra res ceteras omnes quae ipsa non sunt, rerum dumtaxat extrema coactum eat, nunquam omnia colligat, ita ut de rebus cogitare quidem possit, intelligere autem non possit; quare particeps sit rationis, non compos. Quae ipsa ut similitudine illustrem, verum divinum est imago rerum solida, tanquam plasma; humanum, monogramma, seu imago plana tanquam pictura: et quemadmodum verum divinum est quod Deus, dum cognoscit, disponit ac gignit, ita verum humanum sit quod homo, dum novit, componit item ac facit: et eo pacto scientia sit cognitio generis, seu modi, quo res fiat, et qua, dum mens cognoscit modum, quia elementa componit, rem faciat; solidum Deus quia comprehendit omnia, planam homo quia comprehendit extima. Quae sic dissertata quo facilius cum nostra Religione componantur, sciendum est, antiquos Italiae philosophos putasse verum et factum converti: quia Mundum aeternum putarunt, ac proinde Deum Ethnici philosophi coluerunt, qui semper *ad extra*, quod nostra Theologia negat, sit operatus. Quare in nostra religione, qua profitemur Mundum ex nihilo creatum in tempore, res haec opus habet distinctione, quod verum creatum convertatur cum facto, verum increatum cum genito. Quemadmodum Sacrae paginae, elegantia vere divina, Dei sapientiam quae in se omnium rerum ideas continet et idearum omnium proinde elementa, *Verbum* ap-

Verum est ipsum factum.
Cur in Deo primum verum.
Cur id infinitum.
Cur exactissimum.
Quid *Scire* sit.
Hominis cogitatio, intelligentia Dei propria.
Verum divinum imago rerum solida, humanum plana.
Scientia est cognitio modi quo res fiat.
Cur antiquis Italiae philosophis verum idem ac factum.
In nostra religione distinguenda res est.
Cur sapientia divina *Verbum* appellatum.

pellarunt: quod in eo idem sit verum, ac comprehensio elementorum omnium quae hanc rerum universitatem componit, et innumeros Mundos posset, si vellet, condere; et ex iis in sua divina Omnipotentia cognitis exactissimum reale verbum existit, quod cum ab aeterno cognoscatur a Patre, ab aeterno item ab eodem genitum est.

§ I.

De origine et veritate Scientiarum.

Ex quibus antiquorum Italiae sapientum de vero placitis, et hac, quae in nostra religione adhibetur, *geniti* et *facti* distinctione, principio habemus, quod cum in uno Deo exacte verum sit, omnino verum profiteri debemus quod nobis est a Deo revelatum; nec quaerere genus, quo modo verum sit quod id omnino comprehendere nequeamus. Indidem originem scientiarum humanarum repetere, ac denique normam ad dignoscendum quae verae sint habere possimus. Deus scit omnia quia in se continet elementa ex quibus omnia componit; homo autem studet dividendo ea scire. Itaque scientia humana naturae operum anatome quaedam videtur. Etenim, illustris exempli caussa, hominem in corpus et animum, et animum in intellectum ac voluntatem dissecuit, et a corpore excerpsit, seu, ut dicunt, abstraxit figuram, motum, et ab his, uti ab omnibus aliis rebus, extulit ens et unum. Et Metaphysica ens, Arithmetica unum, ejusque multiplicationem, Geometria figuram, ejusque commensus, Mechanica motum ab ambitu, Physica motum a centro, Medicina corpus, Logica rationem, Moralis voluntatem contemplatur. Sed de hac rerum anatome idem ac de quotidiana humani corporis factum est, in qua acriores physici non parum de situ, structura et usu partium ambigunt, ne non per mortem, liquoribus concretis, cessante motu, et sectione ipsa, et situs et structura viventis corporis perierint, quamobrem ea-

Cur Theologia revelata omnium certissima scientia.

Scientia humana est quaedam naturae anatome.

rundem usus explorari non possit. Nam hoc ens, haec unitas, haec figura, motus, corpus, intellectus, voluntas, alia in Deo, in quo sunt unum, alia in homine, in quo divisa: in Deo vivunt, in homine pereunt. Cum enim Deus *eminenter*, ut theologi christiani loquuntur, sit omnia, et cum perennis entium generatio corruptioque eum nihil demutent, quia eum nihil augent nec minuunt, entia finita et creata sunt disposita entis infiniti ac aeterni; ita ut Deus unus sit vere ens, cetera entis sint potius. Quare Plato, quum absolute *ens* dicit, Summum Numen intelligit. Sed quid Platone opus teste, cum Deus ipse nobis se ipsum definiat: *Qui sum, Qui est*, tanquam singula quaeque prae eo non sint? Et nostri Ascetae, sive metaphysici christiani, ita praedicant: nos prae Deo, quantumlibet maximos, et quavis de caussa maximos, nihil esse. Et cum Deus unice unus sit, quia est infinitus (infinitum enim multiplicari non potest), creata unitas prae eo perit: et ob id ipsum prae eo perit corpus, quia immensum dimensionem non patitur; perit motus, qui loco definitur, quia perit corpus: nam corpore locus completur; ratio haec humana perit, quia cum Deus habeat intra se quae intelligit et omnia praesentia habeat, quae in nobis sunt ratiocinia, in Deo sunt opera; postremo haec nostra voluntas flexilis: at Deus, cumque nullum alium sibi propositum finem habeat quam seipsum cumque is sit optimus, ejus voluntas ineluctabilis est. Et harum rerum vestigium, quas disseruimus, in latinis locutionibus observamus: nam idem verbum *minuere* et diminutionem et divisionem significat; quasi quae dividimus non sint amplius quae erant composita, sed deminuta, mutata, corrupta. An id ratio sit, cur via resolutiva, quam dicunt, sive per genera et syllogismos, quae ab Aristoteleis celebratur, vana comperiatur; sive per numeros, quam tradit Algebra, sit divinatoria; sive per ignem et menstrua, qua pergit Chemica, eat tentabunda? Per haec igitur cum homo, naturam rerum vestigabun-

Objecta scientiarum in Deo alia ac in homine.

Deus ens, creata entis.

Vere unum id quod multiplicari non potest.

Infinitum supra corpus est et loco non continetur.

Quae in homine ratiocinia, in Deo sunt opera.

In homine arbitrium, in Deo voluntas ineluctabilis.

Latinis idem *dividere* et *minuere*.

Via resolutiva:

Per syllogismos vana;

Per numeros divinatoria;

Per ignem et menstrua tentabunda.

dus, tandem animadverteret se eam nullo assequi pacto, quia intra se elementa, ex quibus res compositae existant, non habet, atque id fieri ex suae mentis brevitate, nam extra se habet omnia, hoc suae mentis vicium in utiles vertit usus, et abstractione, quam dicunt, duo sibi confingit: punctum quod designari, et unum quod multiplicari posset. Atqui utrumque fictum: punctum enim, si designes, punctum non est; unum, si multiplices, non est amplius unum. Insuper pro suo jure sumpsit ab his in infinitum usque procedere, ita ut lineas in immensum ducere, unum per innumera multiplicare sibi liceret. Atque hoc pacto mundum quemdam formarum et numerûm sibi condidit, quem intra se universum complecteretur: et producendo vel decurtando vel componendo lineas, addendo, minuendo vel computando numeros, infinita opera efficit, quia intra se infinita vera cognoscit. Neque enim in solis problematibus, sed in theorematis ipsis, quae vulgo sola contemplatione contenta esse putantur, operatione opus est. Etenim dum mens colligit ejus veri elementa quod contemplatur, fieri non potest quin faciat vera quae cognoscit. Porro quia physicus non potest res ex vero definire, hoc est rebus suam cuique naturam addicere et ex vero facere (id enim fas Dei est, nefas homini), nomina ipsa definit, et ad Dei instar ex nulla re substrata, tanquam ex nihilo, res veluti creat, punctum, lineam, superficiem: ut puncti nomine intelligat quid quod partes non habeat; appellatione lineae puncti excursum, sive longitudinem, latitudinis ac profunditatis expertem; acceptione superficiei duarum diversarum linearum in unum punctum coitionem, sive latitudinem cum longitudine, praecisa profunditate. Atque hoc pacto, quando ei negatum est elementa rerum tenere ex quibus res ipsae certo existant, elementa verborum sibi confingit ex quibus ideae sine ulla controversia excitentur. Et id quoque sapientes latinae linguae auctores satis perspexerunt, cum Romanos ita locutos esse scia-

Abstractio mentis humanae vicio nata.

Abstractio scientiae humanae mater.

Homo sibi confingit mundum quemdam formarum et numerorum.

Mathesis scientia operatrix.

Deus res ex vero definit.

Homo definit nomina.

mus, ut *quaestionem nominis* et *definitionis* promiscue dicerent; et tunc quaerere definitionem putarent, cum quaerebant quid, verbo prolato, in communi hominum mente excitaretur. Ex his vides idem humanae scientiae ac Chemicae evenisse: uti enim haec, dum rei omnino irritae studet, praeter propositum humano generi utilissimam operariam artem, Spargiricam peperit; ita dum humana curiositas verum natura ei negatum vestigat, duas scientias humanae societati utilissimas genuit, Arithmeticam et Geometriam, atque ex his progenuit Mechanicam, omnium artium hominum generi necessarium parentem. Cum igitur scientia humana nata sit ex mentis nostrae vicio, nempe summa ejus brevitate, qua extra res omnes est, et qua quae noscere affectat non continet, et quia non continet, vera quae studet non operatur, eae certissimae sunt quae originis vicium luunt, et operatione scientiae divinae similes evadunt, utpote in quibus verum et factum convertantur. Atque ex his quae sunt hactenus dissertata, omnino colligere licet, veri criterium ac regulam ipsum esse fecisse: ac proinde nostra clara ac distincta mentis idea, nedum ceterum verorum, sed mentis ipsius criterium esse non possit: quia dum se mens cognoscit non facit, et quia non facit, nescit genus, seu modum quo se cognoscit. Cumque humana scientia ab abstractione sit, iccirco scientiae minus certae, prout aliae aliis magis in materia corpulenta immerguntur: uti minus certa Mechanice quam Geometria et Arithmetica, quia considerat motum, sed machinarum ope: minus certa Physice, quam Mechanice, quia Mechanice contemplatur motum externum circumferentiarum, Physice internum centrorum: minus certa Moralis quam Physica, quia Physica considerat motus internos corporum qui sunt a natura, quae certa est; Moralis scrutatur motus animorum, qui penitissimi sunt, et ut plurimum a libidine, quae est infinita, proveniunt. Atque indidem in Physica ea meditata probantur, quarum simile quid operemur: et ideo praeclarissima ha-

Quaestio *definitionis* et *nominis* Latinis idem.

Idem scientiae humanae ac Chemicae evenit.

Scientiae humanae generi utilissimae, quae certissimae.

Ea scientia divinae similis evadit, in qua verum et factum convertuntur.

Veri criterium est idipsum fecisse.

Cur scientiae minus certae, quae magis in materia immerguntur.

Meditata Physica ea probantur, quorum simile quod operemur.

bentur de rebus naturalibus cogitata et summa omnium consensione excipiuntur, si iis experimenta apponamus quibus quid naturae simile faciamus. Et, ut uno verbo absolvam, ita verum cum bono convertitur, si quod verum cognoscitur, suum esse a mente habeat quoque a qua cognoscitur: et ita scientia humana divinae sit imitatrix, qua Deus dum verum cognoscit, id ab aeterno *ad intra* generat, in tempore *ad extra* facit. Et veri criterium, quemadmodum apud Deum inter creandum est suis cogitatis bonitatem communicasse — *vidit Deus quod essent bona* —, ita apud homines sit comparatum, vera quae cognoscimus effecisse. Sed hae res quo munitiori sita sint loco, sunt a Dogmaticis Scepticisque vindicanda.

Verum humanum quando cum bono convertitur.

§ II.

De primo Vero, quod Renatus Cartesius meditatur.

Nostrae tempestatis Dogmatici ante Metaphysicam pro dubiis omnia vera habent, non solum quae in agenda vita posita sunt, ut moralia et mechanica; sed et physica quoque atque adeo mathematica: nam unam Metaphysicam esse docent, quae nobis indubium det verum, et ab eo, tanquam a fonte, secunda vera in alias scientias derivari: quod cum nullae ceterarum demonstrent esse quae sunt, et eorum aliud esse mentem aliud corpus; non sunt quicquam certae de subjectis de quibus agunt. Quare Metaphysicam ceteris scientiis proprios fundos, cuique suum asserere existimant. Itaque magnus ejus Meditator jubet, qui ejus sacris initiari velit, eum non solum persuasionibus, seu, ut loquuntur, praejudiciis, quae per sensus, fallaces nuncios, usque ab infantia conceperunt, sed etiam omnibus veris, quae per reliquas scientias didicerant, castum adire; et, quoniam oblivisci nostrum non est, mente si minus tanquam tabula pura, saltem uti libro involuto quem postea in meliori lumine evolvat, se ad audiendos metaphysicos

Metaphysica aliis scientiis subjectum asserit, cuique suum.

applicet. Igitur finis, qui Dogmaticos a Scepticis distinet, erit primum verum quod nos ejus Metaphysica reserat. Quodnam is sit ita maximus philosophus docet. Homo in dubium revocare potest, an sentiat, an vivat, an sit extensus, an denique omnino sit; et in ejus argumentum opem advocat cujusdam genii fallacis, qui nos decipere possit, non aliter ac apud Ciceronem in *Academicis* Stoicus, ut id ipsum probet, ad machinam confugit, et utitur somnio divinitus misso. Sed nullo sane pacto quis potest non esse conscius quod cogitet, et ex cogitandi conscientia colligere certo quod sit. Quare primum verum aperit id esse Renatus: *Cogito, ergo sum.* Et vero Plautinus Sosia, non aliter ac a genio fallaci Cartesii aut a somnio divinitus immisso Stoici, a Mercurio, qui ipsius imaginem sumpserat, in dubium de se ipso adductus an sit, ad idem instar meditabundus huic primo vero acquiescit:

Qui finis Dogmaticos inter et Scepticos.

Genius fallax Cartesii idem ac somnium divinitus immissum Stoicorum.

Et a Mercurio adsimulatus Sosia apud Plautum in Amphytruone.

Certe edepol quom illum contemplo, et formam cognosco meam,
Quemadmodum ego saepe in speculum inspexi, nimis similis est mei.
Itidem habet petasum ac vestitum : tam consimili 'st atque ego.
Sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum, dens, labra,
Malae, mentum, barba, collum: totus; quid verbis opu'st?
Si tergum cicatricosum, nihil hoc simili est similius.
Sed QUOM COGITO, equidem CERTO idem SUM qui semper fui.

Sed Scepticus non dubitat se cogitare; quin profitetur ita certum esse, quod sibi videre videatur, et tam obfirmate ut id vel cavillis calumniisque propugnet: nec dubitat se esse, quin curat sibi bene esse per assensus suspensionem ne praeterquam quas ipsae res habent molestias, addat illas opinionis. Sed certitudinem quod cogitet, conscientiam contendit esse, non scientiam, et vulgarem cognitionem, quae in indoctum quemvis cadat, ut Sosiam; non rarum verum et exquisitum, quod tanta maximi philosophi meditatione egeat ut inveniatur. Scire enim est tenere genus seu formam, quo res fiat: conscientia autem est eorum quorum genus seu formam demonstrare non possumus: ita ut passim, in vita agenda,

Conscientia aliud a scientia.

Quid scientia.

Quid conscientia.

de rebus quarum nullum nobis edere signum vel argumentum datur, conscientiam testem demus. At quanquam conscius sit Scepticus se cogitare, ignorat tamen cogitationis caussas, sive quo pacto cogitatio fiat; idque adeo nunc se ignorare profiteretur, cum in nostra Religione animum humanum omni corpulentia purum quid esse profiteamur. Unde sentes illi illaeque spinae in quas offendunt et quibus se mutuo compinguntur subtilissimi nostrae tempestatis Metaphysici, dum quaerunt quomodo mens humana in corpus, corpus in mentem agat; cum tangere et tangi non possint nisi corporibus corpora. A quibus difficultatibus adacti ad occultam Dei legem tanquam ad machinam confugiunt, quod nervi mentem excitent, quum ab objectis externis moventur, et mens intendat nervos quando ei agere collibitum sit. Itaque fingunt mentem humanam tanquam araneum, ita in cônario (*a*), ut ille in suae telae centro, quiescere; et ubi quodvis telae filum alicunde motum sit, araneus id sentiat: quum autem araneus, immota tela, tempestatem praesentiscit, omnia suae telae fila commoveat. Atque haec occulta lex ab iis memoratur, quia ignoratur genus quo cogitatio fiat: ac proinde se obfirmabit Scepticus, cogitandi scientiam non habere. Sed Dogmaticus replicaverit, Scepticum ex conscientia cogitandi scientiam entis acquirere; cum ex conscientia cogitandi inconcussa certitudo entis nascatur. Nec quis certus omnino esse potest quod sit, nisi esse suum ex re conficiat de qua dubitare non possit. Itaque Scepticus non est certus se esse, quia id a re omnino indubia non colligit. Verum ad haec Scepticus negabit ex conscientia cogitandi scientiam entis acquiri. Nam scire is contendit esse, nosse caussas ex quibus res nascatur: at ego qui cogito, mens sum et corpus, et si cogitatio esset caussa quod sim, cogitatio esset caussa corporis. Atqui sunt corpora quae non cogitant (*).

Cogitationis caussae occultae.

Idque adeo in nostra Religione.

Mens humana erani similis a nostris Metaphysicis fingitur.

An ex conscientia cogitandi scientia entis nascatur.

Scire per Scepticos quidnam esset.

(*a*) Intellige: *in glandula pineali* a Graeco κωνάριον, *nux pinea*.
(*) Vide infra.

Quin quia corpore et mente consto, eapropter cogito; ita ut corpus et mens unita sint cogitationis caussa: nam si ego solum corpus essem, non cogitarem (1); sin sola mens, intelligerem. Enimvero cogitare non est caussa quod sim mens, sed signum: atqui *tecmerium* (2) caussa non est; *tecmeriorum* enim certitudinem cordatus Scepticus non negaverit, caussarum vero negaverit.

§ III.

Adversus Scepticos.

Nec ulla sane alia patet via, qua Scepsis re ipsa convelli possit, nisi ut veri criterium sit id ipsum fecisse. Ii enim celebrant illud: res sibi videri; quid autem re ipsa sint, ignorare; effecta fatentur, ac proinde ea suas habere caussas concedunt, sed caussas se scire negant, quia ignorant genera seu formas quibus quaeque res fiant. Haec ab iis accepta contra ipsos sic regeras. Haec caussarum comprehensio, qua continentur omnia genera seu omnes formae quibus omnia effecta data sunt (quorum simulacra Sceptici suis mentibus objici, et quid reipsa sint ignorare profitentur), est primum verum, quia comprehendit omnes in quibus etiam ultimae continentur: et quia omnes comprehendit, est infinitum, nullam enim excludit: et quia omnes comprehendit, prius corpore est cujus sua caussa est, ac proinde spiritale quid est: quod est Deus, et quidem Deus, quem Christiani profitemur: ad cujus veri normam vera humana metiri debemus: nempe ea vera esse humana, quorum nosmet nobis elementa fingamus, intra nos contineamus, in infinitum per postulata producamus; et cum ea componimus, vera, quae componendo cognoscimus, faciamus; et ob haec omnia genus seu formam, qua facimus, teneamus.

Omnium comprehensio caussarum est Deus.

Scientia divina humanae regula.

(1) Vide supra.

(2) Τεκμήριον, sive *certum signum*.

CAPUT II.

De Generibus, sive de Ideis.

Genus et *Forma* Latinis idem.

Species et *individuum* et *simulacrum* significat.

Latini quum dicunt *genus*, intelligunt formam; quum *speciem*, duo sentiunt, et quod scholae dicunt *individuum*, et *simulacrum*, sive *APPARENZA*. De generibus sectae philosophorum omnes ea sentiunt esse infinita. Igitur necesse est antiquos Italiae philosophos opinatos, genera esse formas, non amplitudine sed perfectione infinitas, et quia infinitas, in uno Deo esse: species autem, seu res peculiares, esse simulacra ad eas formas expressa. Et quidem, si verum antiquis Italiae philosophis idem quod factum, genera rerum, non universalia scholarum, sed formas fuisse necesse est. Formas autem intelligo metaphysicas, quae a physicis ita diversae sunt ut forma plastae a forma seminis. Plastae enim forma, dum ad eam quid formatur, manet idem, et semper formato perfectior; forma seminis, dum quotidie se explicat, demutatur ac perficitur magis; ita ut formae physicae sint ex formis metaphysicis formatae. Et quod non amplitudine, sed perfectione genera infinita existimanda, id utrorum utilitate collata dijudicare facile sit. Nam Geometria, quae synthetica methodo traditur, nempe per formas, ideo tum opere, tum opera certissima est quia, a minimis in infinitum per sua postulata procedens, docet modum componendi elementa ex quibus vera formantur quae demonstrat; et ideo modum componendi elementa docet, quia homo intra se habet elementa quae docet. At ob id ipsum Analysis, quanquam certum suum det opus, opera tamen incerta est; quia ab infinito rem repetit, et inde descendit ad minima:

Genera qua ratione infinita.

Forma metaphysica, forma plastae, forma physica, forma seminis.

Formae physicae sunt ex metaphysicis formatae.

Formarum utilitas.

Geometria per formas cur tum opere, tum opera certissima.

Cur eadem per species certa opere, incerta opera (*).

(*) Certa opere, incerta opera, scilicet consequentiis certa, processu incerta est Analysis. Praepostere haec rubrica in Italica versione interpretatur.

atqui in infinito reperire omnia datur, at qua via reperire possis non datur. Artes autem certius diriguntur ad finem quem sibi habent propositum, quae docent genera seu modos quibus res fiunt, ut Pictura, Sculptura, Plastica, Architectura quam quae non docent, ut omnes conjecturales, in qua classe sunt Oratoria, Politica, Medicina: et illae ideo docent quia obversantur circa prototypos, quos mens humana intra se continet; hae non docent, quia homo nullam formam rerum quas conijcit intra se habet. Et quia formae individuae sunt, nam linea longa, seu lata, seu profunda una plus minusve deformat faciem, ut nescias eandem esse, hinc fit quod scientiae artesve quanto plus supra genera, non platonica, sed aristotelea, insurgunt, magis confundunt formas, et quanto magis magnificae evadunt, tanto minus utiles fiunt. Quo nomine Aristotelis Physica hodie male audit quod nimis sit universalis; quando contra genus humanum innumeris novis veris ditarunt ignis et machina, instrumenta quibus utitur recens Physica, rerum quae sint similes peculiarium naturae operum operatrix. Indidem Jurisprudentia non censetur qui beata memoria jus theticum, sive summum et generale regularum tenet, sed qui acri judicio videt in caussis ultimas factorum peristases seu circumstantias, quae aequitatem sive exceptiones, quibus lege universali eximantur, promereant. Optimi oratores non ii qui per locos communes vagantur, sed qui, ut Ciceronis judicio et phrasi utar, *haerent in propriis*. Historici utiles, non qui facta crassius et genericas caussas narrant, sed qui ultimas factorum circumstantias persequuntur et caussarum peculiares reserant. Et in artibus quae imitatione constant, uti Pictura, Sculptura, Plastica, Poëtica, excellunt qui archetypum, a natura vulgari desumptum, circumstantiis non vulgaribus, sed novis ac miris exornant, aut ab alio artifice expressum, propriis ac melioribus distinguunt ac faciunt suum. Quorum sane archetyporum cum alii aliis meliores confingi possint, quia semper exemplaria

Cur artes ideales certo compotes finis.

Cur conjecturales non item.

Inutilitas generum Aristoteleorum.

Cur scientiae quo plus genericae minus utiles.

Physicae operatricis commoda.

Jurisprudentes non regulis sed exceptionibus censentur.

Oratores optimi qui haerent in caussae propriis.

Ex Historicis utiles qui?

Imitatores boni in circumstantiis melioratis spectantur.

Unde scalae idearum Platonicae.

exemplis praestant, Platonici illas idearum scalas construunt, et per ideas alias aliis perfectiores, tanquam per gradus ad Deum Optimum Maximum ascendunt, qui in se omnium continet optimas. Quin et sapientia ipsa nihil aliud est nisi solertia decori, qua sapiens ita in omnibus novis rebus loquatur et agat; ut nihil aeque aptum ad id aliunde desumptum accommodari possit. Itaque sapiens a longo et multo rerum honestarum et utilium usu mentem quasi subactam reddit, quo novarum rerum, uti sunt in se ipsis, expressas excipiat imagines; et non aliter paratus sit ex tempore loqui, et agere in omnibus rebus cum dignitate, ac fortis comparatum habet animum ad omnes terrores inopinatos. Atqui nova, mira, inopinata universalibus illis generibus non providentur. Quam ad rem satis commode scholae loquuntur, quum genera materiam metaphysicam esse dicunt, si id ita accipiatur, ut mens per genera informis fiat quodammodo, quo facilius specierum induat formas. Quod sane verum comperitur: nam facilius facta et negocia percipit uti percipi oportet qui genera seu simplices rerum ideas habet, quam qui peculiaribus formis mentem instruxit, et ex iis peculiares alias spectat: nam res formata difficile alii formatae rei aptatur. Quare exemplis judicare, exemplis deliberare periculosum: quia nunquam aut perraro rerum circumstantiae congruunt usquequaque. Atque hoc differt inter materiam physicam et metaphysicam. Physica materia ideo quamlibet formam peculiarem educat, educit optimam; quia qua via educit, ea ex omnibus una erat. Materia autem metaphysica, quia peculiares formae omnes sunt imperfectae, genere ipso, sive idea, continet optimam. Vidimus utilitates formarum; nunc universalium damna exequamur. Loqui universalibus verbis infantium est aut barbarorum. In Jurisprudentia, ut plurimum, sub ipso jure thetico, seu sub regularum auctoritate, saepissime erratur. In re medica, qui recta per theses pergunt, magis contendunt ne corrumpantur systemata, quam ut sanentur

Sapientia non est de iis quae genera continentur.

Ut genera sunt materia metaphysica.

Egregia inter Physicam et Metaphysicam materiam differentia.

Universalium damna:

In Jurisprudentia;

In re medica;

aegroti. In vita agenda, quam saepe peccant qui eam per themata instituerunt! de quibus graeca locutio nobis vernacula facta est, qua *thematicos* istos homines appellamus. Omnes in philosophia errores ab homonymis, vulgo aequivocis, nascuntur; aequivoca autem aliud non sunt nisi voces pluribus rebus communes; nam sine generibus aequivoca non essent; homines enim naturaliter homonymiam aversantur: cujus rei argumento illud est, quod puer jussus ad accersendum sine discrimine Titium, ubi ejus nominis duo sunt, quia natura attendit particularia, statim subdit: utrum me accersire vis Titiorum? Itaque nescio an magis genera philosophos in errores quam sensus in falsas persuasiones, seu in praejudicia, vulgus conjiciant (*). Nam genera, ut diximus, formas confundunt, seu, ut loquuntur, ideas confusas, non minus ac praejudicia, faciunt obscuras. Et vero omnes sectae in Philosophia, Medicina, Jurisprudentia, omnes in vita agenda controversiae et jurgia sunt a generibus; quia a generibus sunt homonymiae, seu aequivocationes, quae ab *errore* esse dicuntur. In Physica, quia generica materiae et formae nomina; in Jurisprudentia, quia longe lateque patet appellatio justi; in Medicina, quia sanum et corruptum sunt nimis ampla vocabula; in vita agenda, quia vox *utile* definita non est. Atque ita sensisse antiquos Italiae philosophos haec in lingua latina extant vestigia: quod *certum* duo significat: et quod est exploratum indubiumque, et peculiare, quod communi respondet; quasi quod peculiare est, certum sit, dubium autem quod commune. Iisdemque *verum* et *aequum* idem: aequum enim ultimis rerum circumstantiis spectatur, quemadmodum justum genere ipso; quasi quae genere constant, falsa sint, verae autem, ultimae rerum species. Enimvero ista genera nomine tenus sunt infinita: homo enim neque nihil est

In vita agenda.

Errores omnes ex homonymiae generibus referendi.

Homines naturaliter homonymiam fugiunt.

An magis genera philosophos in errores, quam sensus in praejudicia vulgus conjiciant.

Certum Latinis quae significet.

Verum et *AEquum* Latinis idem.

Homo quia neque

(*) Vide quoque Cap. V, § 2 in fine, et secundam Vici Epistolam in fine hujus Operis, § 4 ad dimidium.

nihil est, neque omnia, nec nihil percipit, nec infinitum.

neque omnia. Quare nec de nihilo, nisi per aliquid negatum, nec de infinito, nisi per negata finita, cogitare potest. At enim omnis triangulus habet angulos aequales duobus rectis. Ita sane: sed non id mihi infinitum verum, sed quia habeo trianguli formam in mente impressam, cujus hanc nosco proprietatem, et ea mihi est archetypus ceterorum. Si vero id contendant esse infinitum genus, quia ad eum trianguli archetypum accommodari innumeri trianguli possunt, id sibi habeant per me licet: nam vocabulum iis lubens condono, dum ipsi de re mecum sentiant. Sed enim perperam loquuntur, qui decempedam dixerint infinitam, quod omne extensum ad eam normam metiri possint.

Universalia rationem habent quandam archetyporum.

CAPUT III.

De Caussis.

Latinis *caussa* et *negocium* idem.

Cur *effectus* dictum, quod a caussa oritur.

Probare per caussas efficere est.

Effectus est verum, quod cum facto convertitur.

Caussarum genera.

Latini *caussam* cum *negocio*, seu operatione confundunt; et quod ex caussa nascitur, *effectum* dicunt. Haec autem cum iis quae de vero et facto disseruimus conspirare videntur: nam si id verum est quod factum, probare per caussas idem est ac efficere; et ita caussa et negocium idem erit, nempe operatio; et idem factum et verum, nempe effectus. Caussae autem spectantur praecipuae; in naturalibus materia et forma, uti in moralibus finis, in Metaphysica auctor. Itaque verisimile est antiquos Italiae philosophos opinatos, eum probare a caussis qui materiam, sive elementa rei incondita, digerat, et disjecta componat in unum; ex quo ordine et compositione elementorum certa rei forma extet, quae peculiarem naturam in materiam inducat. Quae si vera sunt, Arithmetica et Geometria, quae vulgo non putantur a caussis probare, eae a caussis vere demonstrant. Et ideo a caussis demonstrant quia mens humana continet elementa verorum, quae digerere et componere

Probare a caussis est elementa rei colligere.

Arithmetica et Geometria vere probant a caussis.

possit; et, ex quibus dispositis et compositis, existit verum quod demonstrat; ut demonstratio eadem ac operatio sit, et verum idem ac factum. Atque ob idipsum physica a caussis probare non possumus, quia elementa rerum naturalium extra nos sunt. Nam quanquam essent finita, tamen infinitae virtutis est ea digerere, componere, et ex iis effectum dare. Neque enim, si ad primam caussam spectemus, minoris virtutis est formicam producere, quam hanc rerum universitatem creasse; quia non minus confert ad formicae formationem, quam ad hujus Mundi genesim motus, quo et hic Mundus creatus ex nihilo est, ex quo formica ex substrata materia producitur. Et sane in asceticis sermonibus suis nostrae religionis sapientes, nempe qui et cognitione Summi Numinis et morum sanctitate praeclari fuerunt, saepe ex flosculi meditatione in Dei cogitationem perveniunt, quod infinitam in ejus generatione virtutem agnoscunt. Atque id est quod in nostra dissertatione *de nostri temporis studiorum Ratione* dicebamus, quod *geometrica ideo demonstramus, quia facimus; physica si demonstrare possemus, faceremus.* Hinc adeo impiae curiositatis notandi qui Deum Optimum Maximum a priori probare student: nam tantundem esset quantum Dei Deum se facere, et Deum negare quem quaerunt. Metaphysici enim veri claritas eadem est numero ac illa lucis, quam non nisi per opaca cognoscimus: si enim in clathratam fenestram, quae lucem in aedes admittit, intente ac diu intuearis, deinde in corpus omnino opacum aciem oculorum convertas, non lucem, sed lucida clathra tibi videre videaris. Ad hoc instar metaphysicum verum illustre est, nullo fine concluditur, nulla forma discernitur, quia est infinitum omnium formarum principium; physica sunt opaca, nempe formata et finita in quibus metaphysici veri lumen videmus.

Physica a caussis probari non possunt.

Quodvis finitum infinita virtute gignitur.

Sapientes christiani in quavis re minima infinitam Dei virtutem agnoscunt.

Impia pietas est velle Deum probare per caussas.

Metaphysici veri claritas eadem ac lucis.

Ejus rei appositissima similitudo.

CAPUT IV.

De Essentiis, seu de Virtutibus.

Essentia, vis et potestas Latinis dicta.

Quod scholae *essentiam* vocant, Latini *vim* et *potestatem* appellant. Essentias autem omnes philosophi aeternas et immutabiles statuunt. Aristoteles diserte eas individuas, seu, ut scholae loquuntur, in indivisibili consistere asseverat. Plato autem post Pythagoram scientiam esse de aeternis et immutabilibus sentit. Hinc conjicere licet, antiquos Italiae philosophos essentias putasse individuas omnium rerum virtutes aeternas et infinitas; quas proinde Latinorum vulgus vocabat *Deos immortales*, sapientes vero pro uno Summo Numine accipiebant; et hac de caussa unam metaphysicam veram scientiam esse quod de aeternis virtutibus ageret. Hinc dubitare licet, an quemadmodum datur motus et conatus, qui virtus movendi est, ita detur extensum et virtus, qua quid extendatur: et uti corpus et motus sunt proprium Physicae subjectum, ita conatus et virtus extensionis sint materia propria Metaphysices: cujus rei te habeo auctorem, PAULLE praestantissime, qui illud sentis, in Physica actus, in Metaphysica esse virtutes.

Scientia est de aeternis et immutabilibus.

Dii immortales Latinorum sunt infinitae omnium rerum virtutes.

Cur Metaphysica verissima omnium scientia.

§ I.

De Punctis metaphysicis et Conatibus.

Momentum et *punctum* Latinis idem.

Enimvero Latinis *punctum* et *momentum* idem significabant: momentum autem est res quae movet; et cum punctum, tum momentum iisdem Latinis quid indivisibile dicebatur. An igitur antiqui Italiae sapientes in placitis habuerunt, virtutem esse quandam individuam extensionis et motus? Et haec doctrina ab Italia trans mare, uti et aliae multae, in Graeciam trajecta, a Zenone postea interpolata? Etenim de hac individua ex-

Et quid individuum utrumque.

Doctrina de punctis metaphysicis Italiae asseritur.

tensionis ac motus virtute nulli rectius quam Stoici sensisse mihi videntur, qui de ea per hypothesim puncti metaphysici disseruere. Principio enim nullum est dubium quin Geometria, uti et Arithmetica, supra reliquas omnes scientias quas *subalternas* appellant, aut maxime verae sint, aut certe eximiam veri speciem prae se ferant; et vicissim illud adprime verum quod Metaphysica sit omnis veri fons, et unde in alias scientias omnes derivatur. Quisque autem novit geometras suas syntheticas methodos a puncto ordiri, et protinus ad infinitae rei contemplationem progredi crebris illis postulatis suis, ut lineas in immensum producere sibi liceat. Si quis autem quaerat qua via id verum, aut ea veri species ex Metaphysica in Geometriam derivata, nulla sane, quam per malignum aditum puncti. Nam Geometria ex Metaphysica virtutem extendendi desumpsit; quae quia virtus est extensi, prior extenso est, scilicet inextensa. Quemadmodum arithmeticus ex Metaphysica desumpsit virtutem numeri, nempe unum, quae, quia virtus est numeri, non est numerus: et quemadmodum unum, quod non est numerus, numerum gignit, ita punctum quod non est extensum, parit extensionem. Cum enim geometra punctum definit id esse cujus nulla pars est, ea definitio nominis est; quia nulla substernitur res quae partes non habeat, et tamen mente, vel stylo designes. Quemadmodum unius definitio apud arithmeticum nominis quoque est; quia ii praestituunt unum multiplicabile, quod re ipsa unum non est. At Zenonii eam puncti definitionem rei existimant, quantum sit punctum instar ad quod de indivisibili extensionis motusque virtute mens humana cogitare possit. Quare falso illud vulgo putant, geometriam suum subjectum a materia depurare, seu, ut vulgo scholae loquuntur, *abstrahere*. Nam Zenonii nullam scientiam Geometria exactius materiam tractare existimabant: nempe materiam, quam ei meram suppeteret Metaphysica, hoc est extensionis virtutem. Neque Aristotelis contra Zenonios demonstrationes super

Geometria et Arithmetica post Metaphysicam maxime verae.

Metaphysica omnis veri fons.

Qua via verum a Metaphysica in Geometriam derivatur.

Virtus extensi prior extenso est ac proinde inextensum.

Virtus numeri non est numerus.

Qua ratione puncti definitio sit nominis.

Geometria tractat materiam meram, qualem ei suppetit Metaphysica.

Punctum geometricum instar metaphysici: et punctum metaphysicum corporis physici virtus.

De physica Pythagorea judicium.

Idem de Physica Zenonis.

Quatuor philosophorum classes: Prima,

Secunda,

Tertia,

Quarta.

In qua classe Zeno.

In qua Renatus.

punctis metaphysicis tantam apud ejus asseclas haberent auctoritatem, nisi Stoicis punctum geometricum signum ad instar metaphysici, et punctum metaphysicum corporis physici virtus esset. Uti nec Pythagoras ejusque asseclae, e quibus ad nos pervenit apud Platonem *Timaeus*, quum de naturae rebus per numeros disseruerunt, naturam vere ex numeris constare arbitrati sunt: sed Mundum extra quem essent, explicare per Mundum quem intra se continerent, studuerunt. Idem de Zenone ejusque secta judicium faciendum, qui puncta rerum principia esse existimarunt. Et vero ex omni memoria quatuor philosophorum classes condi possunt: alii enim geometrae eximii qui de principiis physicis per mathesis hypotheses disseruerunt; atque in his est Pythagoras; alii Geometria bene instructi Metaphysicaeque cultores seduli nulla hypothesi de principiis rerum cogitarunt, et iccirco de naturae rebus metaphysico genere disserunt; atque in his est Aristoteles; alii et Geometriae ignari, et Metaphysicae hostes simplex corpus extensum in materiae usum adornarunt; et hi in principiorum explanatione gravissime tanquam in limine offendunt, at felicius tamen de peculiaribus naturae phaenomenis cogitarunt; atque in his est Epicurus; alii denique corpus quantum et quale principia rerum esse voluerunt; ut ex antiquis, qui terram, aquam, aërem, ignem, vel singula, vel bina, vel cuncta; et ex neotericis chemici. Sed hi nihil quicquam pro dignitate de principiis disserunt; et ex eorum principiis explicationes peculiarium naturae rerum, praeterquam in paucis, quas periculum magis quam consilium obtulit, feliciter succedunt. Zeno summus metaphysicus ad geometrarum hypotheses accessit: et uti Pythagoras per numeros, his per puncta de principiis rerum commentatur. Cartesius vero maximus, ex aequo metaphysicus et geometra, accessit ad Epicurum: et quae in principiis offendit de moto et formatione elementorum, omnibus plenis, uti Epicurus offensiones de vacuo et atomi decliuatione,

successu rerum peculiarium feliciter explanatarum compensat. An eorum ratio sit, quod uterque figura et machina de naturae rebus disserunt; et peculiaria naturae effecta formata et mobilia sunt: de principiis autem et virtutibus, quia informibus nulla figura, quia indefinitis machina nulla est? Atque haec hactenus ad sententiae Zenoniae declarationem auctoritatemque dicta sint. Nunc propria rei propositae argumenta exponamus. Quaelibet minima extensae rei particula in infinitum diduci, Aristoteles geometricis demonstrationibus evincit; sed Zeno ad eas imperturbatus constat, iisque ipsis sua metaphysica puncta confirmat. Hujus enim rei physicae virtutem in Metaphysica dari oportet: alioqui quo pacto Deus omnium perfectionum sit cumulus? Extensa quidem in natura sunt; in Deo quid extensum memorare nefas: extensum metimur, infinitum dimensionem indignatur. Extensi vero virtutem *eminenter*, ut nostri theologi loquuntur, in Deo contineri fas omnino est. Igitur quo pacto conatus virtus movendi est, et in Deo, conatus auctore, quies, ita prima materia est extensionis virtus quae in Deo, materiae conditore, purissima mens est. Est igitur in Metaphysica substantia quae indefinitae extensi divisionis est virtus. Divisio, physica res est: virtus ut res dividatur, metaphysicum argumentum; divisio enim actus corporis est, at essentia corporis, uti et ceterarum rerum, in indivisibili consistit: atque id adeo Aristoteles fateri debet qui docet. Itaque mihi videtur de alio Aristoteles cum Zenone contendere, in idem antem convenire. Nam ille de actu, hic loquitur de virtute. Et quum Aristoteles divisionem partium in infinitum demonstratione diagonalis, quae in iisdem punctis cum laterali secaretur, quae duae lineae ejusdem sunt impatientes mensurae, urget, jam tum non dividit punctum, sed quid extensum, nam designat. At ea ipsa demonstratio, uti et alia de circulis concentricis qui in omnibus suis punctis cum centro secarentur, et de parallelis, quae obliqua ad horizontem ductae, quam perpen-

Cur Epicurus et Renatus offendunt in principiis Physicae, et feliciter procedunt.

Aristoteleae demonstrationes Zenonem laedantne an juvent.

Deus omnium perfectionum cumulus.

Conatus in Deo quies, extensionis virtus in Deo meus.

Divisio motus et res physica est: divisibilitas virtus, et metaphysica essentia.

De alio Aristoteles cum Zenone contendit, in idem convenit.

Aristotelis demonstrationes contra puncta metaphysica ex puncti geometrici definitione provenient.

dicularem intersecarent nunquam totam dividerent, et ejus generis aliae, ex puncti definitione, cujus nulla pars est, stabilitae proveniunt. Neque haec mira nobis sunt demonstrata per Geometriam, in cujus definitionibus punctum minima diceretur esse particula in immensum dividua; sed per quam punctum constituitur individuum, et a puncto ita definito ad haec mira demonstrata pervenitur. Quapropter Zeno per eas demonstrationes in sua sententia se obfirmat potius; tantum abest ut confutetur. Quemadmodum enim in hoc Mundo formarum, quem homo sibi confingit et cujus homo quodammodo Deus est, hoc definitum nomen, haec res commentitia cujus nulla pars est, ex aequo iniquis extensis subest; ita et ad hoc instar in Mundo vero, quem Deus condidit, est quaedam individua virtus extensionis quae, quia individua est, iniquis extensis ex aequo sternitur. Atque adeo virtutes sunt indefinitae; et quia indefinitae, de iis illa *tot* et *quot* proloqui non datur; illa *plura*, *minora* cogitare non licet; illa *magis* et *minus* indignantur.

Zeno ex Geometria Metaphysicam in Physicam deductam contemplatur.

Virtus extensionis individua; et ob id iniquis extensis aequa sternitur.

Atque eae ipsae demonstrationes quae id evincunt, conficiunt quoque conatum, seu movendi virtutem, utpote rem metaphysicam iniquis motibus aequum subesse. Et principio multo magis decet expeditissimam Divinae Omnipotentiae facilitatem, quod is crearit materiam quae esset virtus extensionis et motus simul, quam duplici opera altera materiam, altera motum creasse. Et bona Metaphysica id suadet; cum enim conatus quid non sit, sed cujus, nempe materiae modus, eadem creatione materiae eum creatum necesse est. Id ipsum Physicae convenit: extante enim natura, seu, ut scholae dicunt, *in facto esse*, omnia moventur: antequam extaret, omnia in Deo quiescebant; igitur natura conando coepit existere: sive conatus *natura*, ut scholae quoque loquuntur, *in fieri* est. Conatus enim quietem inter et motum est medius. In natura res extensae sunt: ante omnem naturam, res omnem extensionem indignans, Deus: igitur

Conatus iniquis motibus aequus subest.

Conatus dos puncti.

Natura conando coepit existere.

Conatus inter quietem et motum medius.

Deum inter et extensa est media res, inextensa quidem, sed capax extensionis, nempe metaphysica puncta. Neque vero aliunde summo inter se commensu, seu, ut dicunt, *proportione*, haec sibi respondent: hinc quies, conatus, motus; atque hinc Deus, materia et corpus extensum. Deus omnium motor in se quietus; materia conatur; corpora extensa moventur: et ut motus est modus corporis, quies Dei attributum, ita conatus dos puncti metaphysici est: et uti punctum metaphysicum est indefinita virtus extensionis quae iniquis extensis aequa subest, ita conatus indefinita virtus movendi est quae iniquos motus ex aequo explicat. Renatus tanquam fundamentum eorum omnium quae de motuum reflexione ac refractione praeclarissime cogitat, illud substruit quod motus ab ejusdem determinatione sit alius; ita ut sub eodem determinationis modo, seu *quantitate*, ut dicunt, plus motus fieri possit. Unde illud conficit, plus motus esse in determinationibus obliquis quam rectis. Atque hinc reserat rationem, quare corpus obliqua motum duabus caussis uno eodemque tempore satisfaciat: alteri sui ponderis, qua recta deorsum fertur; alteri directionis, qua obliqua tendit ad horizontem: et ita ubi in planiciem omnino imperviam incidit, uno eodemque tempore ambarum det effecta caussarum, et reflectat ita motum ut angulus reflexionis angulo incidentiae aequus sit: sin in planiciem incidat perviam, motum refrangat, et pro majori minorive medii fluxitate per quod decurrit, propius longiusve abeat a perpendiculari quam, si per medium uniusmodi pervium deferretur, describeret. Videt quidem verum illud Renatus: sub eodem determinationis modo plus motus fieri posse; rationem autem dissimulat, quia juxta sentit cum Aristotele contra Zenonem: dissimulat, inquam, quod uti diagonali et laterali aequa subest virtus extensionis, ita motui recto et obliquo ad horizontem aequa virtus quoque subest movendi. Harum rerum omnium quae hactenus disseruimus, ratio ea est, aut ego fallor, quia

Punctum medium inter Deum et extensa.

Deus quietus. Materia conatur. Extensa moventur.

Ratio eorum, quae cogitat Renatus de reflexione ac refractione motus.

puncta et conatus sunt, per quae primulum res ex sui nihilo existere occipiunt: et a nihilo minima, et ingentia ex aequo distant. Et ea ratione Geometria a Metaphysica suum verum accipit, et acceptum in ipsam Metaphysicam refundit: hoc est ad scientiae divinae instar humanam exprimit, et ab humana divinam rursum confirmat. Quam cum re ut apte haec omnia congruunt! Tempus dividitur; in individua re stat aeternitas: nisi alia moveantur, non habes quî metiri possis quietem: quare animi perturbationes minuuntur, augentur; tranquillitas nescit gradus; extensa corrumpuntur, immortalia indivisibili constant; corpus divisiones patitur, mens partium impatiens; in puncto opportunitas, undique circumstant casus; verum praecisum est, undique falsa obvia; scientia enim non dividitur, opinio sectas gignit; virtus nec ultra nec citra, vitium longe lateque patet; rectum unum, prava innumera; optimum in quoque rerum genere in individua re collocatur. Atque adeo Mundus physicus est de imperfectis, et rebus in indefinitum dividuis; Mundus metaphysicus de ideis, seu rebus optimis, nempe de individuis virtutibus quae efficaciae sint indefinitae. Est igitur in Metaphysica genus rerum quod extensum non est, est tamen capax extensionis. Non id videt Cartesius quia, Analyticorum more, materiam creatam ponit ac dividit. Vidit autem Zeno, quia a Mundo formarum, quem homo sibi per synthesim e punctis condit, de Mundo solidorum quem Deus creaverat disserere studuit. Non vidit haec Aristoteles quia Metaphysicam recta in Physicam intulit; quare de rebus physicis metaphysico genere disserit per virtutes et facultates. Non vidit Renatus quia recta Physicam in Metaphysicam extulit, et de rebus metaphysicis physico genere cogitat per actus ac formas. Utrumque vicio vertendum: nam si definire est rerum fines dirigere, et fines sunt formatorum extrema, et formata omnia a materia per motum educuntur, ac proinde naturae jam extanti accepto sunt referenda, et incivile est, extante jam natura, ex

A nihilo minima, et ingentia ex aequo distant.

Divisio malum, bona individua sunt.

Est in Metaphysica genus rerum inextensum, extensionis capax.

Cartesius Analysim in Physicam infert.

Zeno per Synthesim physicam spectat.

Aristoteles Metaphysicam nulla hypothesi in Physicam importat.

Renatus Physicam in Metaphysicam extulit.

De rebus physicis metaphysico, de metaphysicis physico genere cogitare, viciosum.

qua jam actus habemus, definire res per virtutes; et antequam natura existat et res formatae sint, eas describere per actus, importunum. Metaphysica Physicam transcendit quia de virtutibus agit et infinito; Physica Metaphysicae pars quia de formis agit ac terminatis. Quo autem pacto infinitum in haec finita descenderit, si vel Deus id nos doceret, assequi non possemus: quia id verum mentis divinae est, quod et nosse et fecisse idem. Mens autem humana finita est et formata; ac proinde indefinita et informia intelligere non potest, cogitare quidem potest: quod vernacula lingua diceremus: *può andarle raccogliendo, ma non già raccorle tutte.* Sed id ipsum cogitare fateri est quae cogitas informia esse et fines habere nullos. Et ob id ipsum distincte cognoscere humanae mentis vitium potius quam virtus est; nam est cognoscere fines rerum. Mens divina in suae veritatis sole res videt; hoc est dum rem videt, infinitas res cum re quam videt cognoscit: mens humana, quum distincte rem cognoscit, eam noctu cum lucerna videt, quam dum videt adsita aspectu amittit suo. Doleo enim, neque doloris formam agnosco ullam; nullos aegritudinis animi cognosco fines: cognitio indefinita, et quia indefinita, homine digna est: vivida doloris idea est et illustris, ut nihil magis. Sed haec metaphysici veri claritas eadem est numero ac illa lucis, quam non nisi per opaca distinguimus: metaphysica enim vera illustria sunt, quia nullo fine concludi, nulla re formata distingui possunt; physica autem sunt opaca quibus metaphysicarum rerum lucem distinguimus. Haec lux metaphysica, sive, ut scholae loquuntur, deductio virtutum in actus, citra inversa verba, vero conatu gignitur, hoc est indefinita virtute movendi, quae iniquis motibus aequa subest: quae dos est puncti seu indefinitae virtutis, qua quid porrigitur et iniquis extensis ex aequo sternitur.

Quo pacto infinitum in haec finita descenderit comprehendi non potest.

Distincte cognoscere humanae mentis vicium.

Metaphysici veri claritas eadem ac lucis.

Lux metaphysica seu deductio virtutum in actus conatu gignitur.

§ II.

Extensa non conari.

Extensorum vel conatus nullus omnino est.

Nam sane extensa non videntur quicquam conari posse: sive omnia plena sint ex uno genere corporum, quae aequa vi mutuo sibi obsistant, nam in aequa obsistentia rerum, et plenis omnibus, virtus movendi excitari non potest: sive sint plena omnia ex diversis corporum generibus, quorum alia obsistant, alia loco cedant, nam in iis verissimi motus fiunt. Nec vero, si brachio velim parietem perrumpere, conatus est; cum ea sit vera nervorum motio, qua ex remissis intenti fiunt: non aliter vere movetur piscis, qui ripae se applicat et adversae profluenti resistit. Nam ad eam tentionem alii atque alii spiritus animales succedunt, ac proinde verus sit motus, donec non succedentibus porro aliis, nervi languescant ac remittantur. Et ex genere, si conatus est virtus movendi, qua pollent extensa, impedita, an, ut maxime impedita sit, aliquo pacto explicatur tamen? an omnino explicari nunquam potest? Si quo tamen pacto explicatur, is verissimus motus est; sin autem nullo pacto explicari potest, quod hoc vis genus est, quae semper sit irrita? Cum vis fieri nulla possit, quin quo momento fit, explicetur; ut quod vim facit tantum intendatur, seu moveatur. Quare si naturae effecta omnia percurramus, ea motu, non conatu, nasci comperiemus.

Vel verissimus motus est.

Lucem vero motu gigni.

Vel ipsam lucem quae temporis momento diffundi videtur, physici optimae notae docent, temporis successu fieri et vero motu. Atque utinam lux instanti fieret, ut ex puncto luculentissimum naturae opus natum haberemus. Etenim si lux instanti temporis gignitur, dari id puncti effectus in natura necesse est; nam instans temporis loci punctum affectatur. Igitur si lux est directio orbiculorum quae in instanti fiat, orbiculi haud possunt in una sui parte dirigi quae extensa sit. Nam extensa sunt extremis disterminata; extrema mediis dis-

EXTERNA NON CONARI

sita: extrema autem et media tempore et vero motu percurruntur. Itaque quo lux conatu et temporis instanti gignatur, orbiculi in punctis quorum nulla pars sit dirigi debent: en res in natura esset, quae nullam haberet extensionem. Sed enim ista puncta, in quibus diffundi lucem, oboriri tenebras dicunt, sunt nimis corpulenta; nec pro gracili Geometriae ingenio exinanita, sive potius ex Metaphysicae subtilitate extensione omni spoliata. Quare extante jam natura, ubi sunt diversi generis extensa, quorum alia dura, alia pervia, nulli sunt conatus, sed veri motus. Itaque naturae jam extantis phaenomena non virtute et potestate explicare par est. Jam enim meliorum virtute physicorum illud disserendi genus per *studia* et *aversiones naturae*, per *arcana ejusdem consilia*, quas *qualitates occultas* vocant, jam, inquam, sunt e physicis scholis eliminata. Superest adhuc ex Metaphysica id *conatus* vocabulum. Quare quo disserendi genus de rebus physicis omnino perficiatur, e physicorum scholis est ad metaphysicos amandandum. Nos autem haec ad extremum conficiamus. Natura est motus; hujus motus indefinita movendi virtus conatus; quam excitat infinita mens in se quieta, Deus. Naturae opera motu perficiuntur, conatu incipiunt fieri: ut rerum geneses motum, motus conatum, conatus Deum sequatur.

Naturae effecta virtute et potestate explicare physicos dedecet.

Conatus vocabulum e physicis scholis ad metaphysicas amandandum.

Natura motus est: principium motus conatus: excitator conatus Deus.

§ III.

Motus omnes compositos.

Compositae rei modum compositum esse necesse est. Nam si modus res ipsa est ita se habens, et res extensa partes habet, modus rei extensae sunt plures res, quae ita disponuntur. Et vero figura modus compositus est, nam tribus minimum lineis constat: modus compositus locus, nam tribus constat dimensionibus: modus com-

Compositae rei compositus modus.

Ut figura.

Locus.

positus situs, is enim est plurium locorum ratio: modus compositus tempus, nam duo loci sunt, quorum alter stat, alter movetur. Quod et ipsum norunt auctores latinae linguae, quibus promiscuus particularum usus, et quibus locus et quibus tempus significatur: ut illa *ibi* pro *tunc*, *inde* pro *postea*; *usquam*, *nusquam* pro *unquam*, *nunquam*, et si quae sunt ejus generis aliae. Ad haec exempla compositus motus, nam *unde*, *qua*, et *quo* constat. Tum quia omnes motus aëris circumpulsu fiunt, simplices rectique esse nullo pacto possunt. Et quod corpora, sive per aërem decidentia, sive per aequor, sive terrae, sive maris progredientia, lineam rectam describere videantur, ea tamen reipsa recta non est. Nam *rectum* et *idem* res metaphysicae sunt. Idem ipse mihi videor; sed perenni accessu et decessu rerum, quae me intrant, a me exeunt, quoquo temporis momento sum alius. Sic quoque rectus qui videtur motus omni temporis momento pravus est. At si quis haec ex Geometria spectet, facile Metaphysica cum physicis componet. Nam ea una est verior hypothesis, qua ex Metaphysica in Physicam descendamus. Ut enim pravae lineae componuntur ex rectis, quare circulares ex indefinitis rectis constant quia constant punctis indefinitis, ita compositi extensorum motus ex simplicibus punctorum conatibus componuntur. Prava sunt in natura et imperfecta, supra naturam rectum, pravorum regula. Sed extensorum conatus ad rectos motus hodie eo firmatur quod si corpus libere, hoc est per non obstantia moveretur, recta quidem et in immensum moveretur. Sed id fingere primo prohibet quod qui id fingunt motum definiunt viciniae corporum mutatione. Quaenam autem vicinia in vano? Dixerit quis viciniam loci, unde primo motum est corpus, spectandam esse. Sed si id spectetur, quo pacto illud *immensum?* An in immenso quid vicinius? quid longius? Si iste id fateatur, quid a Scholastico distat, qui *spacia imaginaria*

Tempus.

Promiscuus Latinis *loci* ac *temporis particularum* usus.

Motus.

Motus nullus rectus.

Rectum et idem res metaphysicae, res physicae pravum, et aliud.

Ut curva linea ex innumeris rectis, ita motus ex indefinitis conatibus constat.

Nullus motus in vano, quia nulla in vano vicinia.

Idem est fingere corpus per inanem moveri, et spacia imaginaria comminisci.

proponit? Nam ejusdem mentis est ab ultima summi coeli superficie inane spacium imaginari, et confingere a loco unde primo corpus motum est, id longius longiusque per immensum inane promoveri. Deinde id fingere natura omnino non patitur. Etenim ideo constant corpora quia moventur in pleno, et ideo plus minusve constant quia plus minusve obsistunt aliis, ipsisque ab aliis obsistitur. Quae obsistentia nisi sit, nedum non moveretur, neque recta, neque adeo in finitum, sed ut, si ex loco subduceretur omnis contentus aër, loci parietes compingerentur, ita corpus in inane eductum dissiparetur. Norunt id verum sapientes linguae latinae auctores: recta Metaphysica, Physica prava esse; cum Latini, religionis caussa, *nihil* ab opposito *recte* dicant: quasi nihilo opponatur rectum, exactum, perfectum, infinitum; et finita, prava, imperfecta sint pene nihil.

Ideo constant corpora, quia moventur in pleno.

Nihil et *recte* cur Latinis opposita.

§ IV.

Extensa inquieta.

Quies res metaphysica est, physica motus. Et fingere corpus ex se integrum, seu, ut ajunt, indifferens ad movendum quiescendumque, id Physica non sinit. Neque enim licet fingere quid in natura, et extra naturam simul. Natura enim motus est, quo res componuntur, vivunt dissolvunturque: et in omni temporis momento aliud nobiscum componitur, aliud a nobis dissolvitur. Quare compositum esse moveri est. Motus enim est viciniae seu situs mutatio: nunquam non corpora corporibus vicina situm mutant: semper corpora effluunt, semper influunt: et haec est vita rerum, fluminis nempe instar, quod idem videtur et semper alia atque alia aqua profluit. Quare nihil in natura hanc corporum viciniam, seu eundem situm, vel momento quidem temporis, obtinet. Et illud placitum: quod res pergant obtinere formam qua semel praeditae sunt, scholas decet, quae

Quies res metaphysica est, physica motus.

Compositum esse moveri est.

Vita rerum fluminis instar.

ista tutoria naturae consilia in rerum naturalium causis habent. Nam sane quae cujusque rei naturalis propria forma est, cum omni temporis momento ei accedat aliquid, vel decedat? Quare forma physica nihil aliud nisi continens rei mutatio est. Igitur ista perfecta quies omnino e Physica est procul eliminanda.

Forma physica est continens rei mutatio.

Perfecta quies in natura non est.

§ V.

Motus incommunicari.

Motus nihil aliud est nisi corpus quod movetur; ac, si pro severiori Metaphysica loqui velimus, non tam quid est quam cujus. Nam modus corporis est, qui a re, cujus est modus, nec mente quidem secernitur. Quare tantundem est motum communicari, quantum corpora penetrari. Nec sane minori reprehensione dignum videtur hoc placitum, motum a corpore in corpus communicari, quam illud de attractionibus motibusque, qui ob fugam vacui vulgo scholarum obtinet: nam tantundem mihi videtur corpus projectum secum ferre omnem manus projicientis impulsum, quantum aërem in antlia haustum post se aquam sursum attrahere. Jam virtute physicae melioris per praeclarissima experimenta isthaec attractiones veri aëris circumpulsus comperti sunt: et in id placitum constantissime itur: motum omnem impulsu nasci. In hos scopulos impingit qui extensa quaedam quiescere putet. Sed qui omnia perenni motu moveri, et nullam esse in natura quietem intelligit, is corpus, quod quiescere videtur, manus impulsu non excitari ad motum, sed ad alium motum determinari; nec nostrùm esse movere quicquam, sed Deum omnis motus auctorem, eumque excitare conatum; conatum autem incipere motum; motus vero in nobis esse determinationem, ac determinationes alias ex alio machinarum genere fieri; et communem omnium motuum machinam aërem, et circumpulsionem esse sensibilem Dei manum,

Motum communicari, penetrari corpora est.

Motus communicatio et attractio eadem videtur.

Omnis motus impulsu nascitur.

Deus omnis motus auctor.

In nobis est motus determinatio.

Communis omnium motuum machina aëris circumpulsio.

MOTUS INCOMMUNICARI

qua omnia moventur; singula vero quaeque aliter atque aliter moveri, peculiari machina quodque sua conficiet. Et si omnis motus localis est, et impulsu nascitur, nullum sane discrimen admiserit motum inter quo aqua syphonem subit, quae omni procul dubio aëris manu in syphonem effertur, et quo projecta per patentem aërem promoventur. Quin nec inter projectorum motum, et motum quo flamma ardet, planta adolescit, bestia per prata lascivit, quicquam differre judicabit. Omnes enim sunt aëris circumpulsus: et uti peculiarium ope machinarum communis aëris motus, motus flammae, plantae, bestiaeque fit proprius, ita evadit proprius projectorum. Certe calor, quem pila pro motu concipit, ei non est a manu communicatus: et tamen is calor certo certius est pilae proprius. Quid autem calor nisi motus? Igitur manus est machina peculiaris projectus, qua et determinantur nervi, qui sunt in motu ad manus intentionem; et determinatur corpus, quod est in motu ad aliter se movendum; et determinatur aër circumfusus, qui in motu quoque est, ad promovendum projectum: et haec machina communis, nempe aëris circumpulsio, evadit propria corporis projecti: quare proprius ejus est calor, et saepe ignis.

Motus communis aëris, ut evadit cujusque proprius.

Omnes motus ex impulsu locales, et unius modi.

CAPUT V.

De Animo et Anima.

Elegantia duùm horum verborum *animus* et *anima*, quod *animâ vivamus, animo sentiamus*, tam scita est, ut T. Lucretius eam veluti in Epicuri hortulo natam vindicet suam. Sed et observandum Latinos *animam* quoque *aërem* appellasse, quem omnium mobilissimum esse constat: et nos supra disseruimus, unum esse, qui motu omnibus communi movetur, et deinde peculiarium ope machinarum evadit cujusque proprius. Hinc igitur conjicere datur antiquos Italiae philosophos, aëris motu

Animâ vivimus, animo sentimus.

Aër *anima* dictus.

Aër sanguinis vitae vehiculum.

animum et animam definivisse. Et vero vitae vehiculum aër est, qui inspiratus, et transpiratus, cor et arterias, et in corde arteriisque sanguinem movet, qui sanguinis motus est ipsa vita. Sensus autem vehiculum est aër, qui per nervos insinuatus eorum succum agitat, et fibras distendit, inflat, contorquet. Nunc in scholis aër, qui in corde et arteriis sanguinem movet *spiritus vitales;* qui autem nervos, eorumque succum et filamenta, *spiritus animales* appellantur. Atqui longe celerior est animalis, quam vitalis spiritus motus; ubi enim velis, statim digitum moveas: sed multo tempore, saltem horae trientis, ut quidam physici rationem ineunt, a corde ad digitum sanguis circulatione perveniat. A nervis praeterea cordis musculi contrahuntur et dilatantur, qua systole et diastole sanguis perpetuo movetur: unde sanguis suum nervis motum accepto referre debet. Igitur hunc masculum strenuumque per nervos aëris motum, *animum;* effoeminatum et succubum, ut ita dicam, in sanguine, *animam* dixerunt. Cum autem de *immortalitate* Latini loquebantur, eam *animorum,* non animarum dicebant. An ejus locutionis origo sit, quia ejus auctores animi motus liberos et ex nostro arbitrio; motus autem animae non sine corporis, quod corrumpitur, machina gigni animadverterent; et quia libere animus movetur, infinitum desiderat, ac proinde immortalitatem. Quae ratio tanti momenti est, ut metaphysici etiam christiani hominem per arbitrii libertatem a brutis distingui putaverint. Certe Ecclesiae Patres hominem immortali animo factum, et propter Deum immortalem factum, hinc praecipue confirmant quod appetit infinitum.

Aër nervorum vehiculum sensus.

Spiritus vitalis inertior, animalis actuosior.

Motus sanguinis nervis debetur.

Animus immortalis non anima Latinis dicta.

§ I.

De Anima brutorum.

Congruit cum his quae modo disseruimus ea locutio, qua Latini animantia rationis expertia dixere *bruta:*

brutum autem iisdem idem ac immobile significabat: et tamen bruta moveri videbant. Necesse igitur est antiquos Italiae philosophos id opinatos, bruta, quod non nisi a praesentibus moveantur, ea immobilia esse, et ab objectis praesentibus, veluti per machinam, moveri; homines autem principium internum motus habere, nempe animum, qui libere moveatur.

Brutum Latinis *immobile.*

Bruta a praesentibus objectis tanquam machinâ moventur.

§ II.

De Animi sede.

Animi sedem et domicilium antiqua Italiae Philosophia cor esse opinata est: nam Latini vulgo in corde prudentiam collocatam, et in corde versari consilia, et curas, et pectore inveniendi acumen, seu, ut Plautine loquar, *e pectore acetum*, hoc est ingenium promi loquebantur, et illae praeterea locutiones, *cor hominis!* et *excors* pro stupido, *vecors* pro demente, *socors* pro tardo ad cogitandum, contra *cordatus* pro sapiente: unde P. Scipio Nasica *Corculum* dictus, quia Romanorum omnium sapientissimus oraculi sententia judicatus. An haec quia cum reliqua antiquitate italica secta consenserit a corde nervorum originem duci? Et quod nobis videamur in capite cogitare, quia in capite sunt organa duûm sensuum, quorum alter est omnium maxime disciplinabilis, nempe auditus; visus alter, qui omnium est maxime acerrimus? Sed de origine nervorum a corde opinio per nostri temporis anatomen jam falsa comperta est: ii enim a cerebro tanquam a stirpe per totum corpus diffundi observantur. Quare in glandula pineali animum humanum veluti in specula Cartesiani collocant, et inde omnes corporis motus per nervos excipere, et per motus objecta speculari opinantur. Atqui saepe homines cerebro deminuti, et viveré, et moveri, et sentire, et ratione feliciter uti observatum. Sed et in corporis parte ubi plurimum mucoris, sanguinis minimum,

Latini in corde prudentiam collocarunt.

Acetum pectoris.

Cor hominis!

Excors, Vecors, Socors.

Cordatus.

Corculum.

De nervorum origine antiquorum opinio.

Cur videamur in capite cogitare.

An sedes animae in glandula pineali.

Homines cerebro deminuti recte usi ratione.

Mechanica refragatur, mentem in capite corpori praesidere.

In plantis vitae sedes in semine.

Cor primum generatur, novissimum interit.

An in corde principium vitae, et in principio vitae principium rationis?

Animo deficere, male habere.

Sapiens quis.

Mens animi.

Fomites affectum appetitus duo.

Appetitum sedes et vehicula.

Ab animo pendere mentem.

Utra tutior cautio ad vera meditanda, affectus exuere, an praejudicia.

ac proinde crassa tardaque sedere animum verisimile non videtur. Mechanica enim in horologio docet, rotas, quas spiritus proxime movet, omnium tenuissimas ac mobilissimas esse: et in plantis vitae sedes in semine est, et inde per truncum in ramos, et per stirpem in radices diffunditur. An igitur, quia cor primum omnium in generatione animantis extare, salire, ultimum in morte motu et calore destitui observabant? An quia in corde vitae flammam ardere opinarentur? An quia cum quis deliquio intercipitur, qui cordis morbus est, quem nos Itali vertimus, *svenimento di cuore*, non solum nervorum, sed etiam sanguinis motum cessare viderent, eum *animo deficere*, et *animo male habere* putarent ac dicerent? et in corde principium animae, seu vitae, et in eo principium animi seu rationis esse arbitrarentur? An quia sapiens est qui vera cogitat, et justa vult, hinc in affectibus animum, in animo mentem posuerunt, quam proinde *mentem animi* appellaverunt? Certe fomites omnium animi perturbationum, seu affectuum, sunt concupiscibilis et irascibilis appetitus: et sanguis concupiscentiae, bilis irae vehiculum esse videtur; utriusque liquoris sedes in praecordiis praecipua (1). Itaque ab animo pendere mentem putarint, quia ut quisque est animatus ita cogitat, de iisdem enim rebus pro diversis studiis alii aliter sentiunt. Ut tutior cautio sit ad vera meditanda exuere affectus rerum pene dixerim, quam praejudicia: praejudicia enim nunquam deleas, manente affectu: at affectu restincto, detrahitur rebus persona, quam iis nos imposuimus, et ultro res ipsae manent (2).

(1) Elementa, in quibus totius humanae sapientiae disciplina et ratio continetur, sunt: *nosse, velle, posse.* Haec divisio triplex summopere congruit in opere *De uno universi Juris principio et fine uno* usurpata tribus partibus, quibus animus constat, videlicet *ratione*, *cupiditate* et *irascibilitate*, quas Vicus Platonis vestigiis inhaerens hic commemoravit. V. *De Rep.* lib. IV.

(2) Confer quoque secund. Vici Epist. in fine hujus Operis, § 4 prope ad dimidium; unde patet non esse easdem caussas ac erroum occasiones.

§ III.

De Scepsi civili Romanorum.

An ideo Romani suas sententias per verba *videri, parere*, et juramenta *ex animi* quisque *sui sententia* concipiebant, quia neminem de se animum affectu vacuum praestare posse arbitrabantur, et judicandi, ac jurisjurandi religio erat, ne, rebus aliter se habentibus, pejerarent?

Formolae *censendi, judicandi, jurandique* Romanorum.

CAPUT VI.

De Mente.

Mens Latinis idem quod nobis PENSIERO: et ab iisdem *mens* hominibus a Diis *dari, indi, immiti* dicebatur. Par igitur est ut qui has locutiones excogitarint ideas in hominum animis a Deo creari excitarique sint opinati; ac proinde *animi mentem* dixerint; et ad Deum liberum jus et arbitrium animi motuum retulerint, ut *libido* seu facultas quaeque desiderandi *sit suus cuique Deus*. Qui peculiaris cujusque Deus *intellectus agens* Aristoteleorum, *sensus aethereus* Stoicorum, et Socraticorum *Daemon* esse videatur. Qua de re subtilissimi hujus tempestatis metaphysici multa ingeniosissime dissertarunt. Verum si haec acerrimus Malebranchius vera esse contendit, miror quomodo in primum Renati Cartesii verum concedat: *Cogito; ergo sum:* cum ex eo quod Deus in me ideas creat, conficere potius debeat: *Quid in me cogitat; ergo est: in cogitatione autem nullam corporis ideam agnosco; id igitur quod in me cogitat, est purissima mens, nempe Deus.* Nisi forte mens humana ita sit comparata, ut cum ex rebus de quibus omnino dubitare non possit ad Dei Optimi Maximi cognitionem pervenerit, postquam eum norit, falsa agnoscat vel

Mens Latinis idem ac nobis PENSIERO. *Mentem a Diis dari.*

Ideas a Deo in hominum animis creari. *Mens animi.*

Intellectus agens Aristoteleorum.

Sensus aethereus Stoicorum.

Daemon Socraticorum.

Malebranchii doctrina arguitur.

ea quae omnino habebat indubia. Ac proinde ex genere omnes ideae de rebus creatis prae idea Summi Numinis quodammodo falsae sint, quia de rebus sunt quae ad Deum relatae non esse ex vero videntur: de uno autem Deo idea vera sit quia is unus ex vero est. Adeo ut Malebranchius si constare doctrina vellet, docere debuisset mentem humanam, nedum corporis cujus mens sit, sed vel sui ipsius a Deo cognitionem induere; ita ut nec se quoque agnoscat, nisi in Deo se cognoscat. Mens enim cogitando se exhibet: Deus in me cogitat; in Deo igitur meam ipsius mentem cognosco. Sed haec esset Malebranchicae doctrinae constantia. Quod autem in nobis recipimus illud est quod Deus omnium motuum, sive corporum sive animorum, primus auctor; sed heic illae syrtes, illi scopuli: quonam pacto Deus mentis humanae motor, et tot prava, tot foeda, tot falsa, tot vicia? quonam pacto in Deo veracissima et absolutissima scientia, et in homine liberum rerum agendarum arbitrium? Certo scimus Deum omnipotentem, omniscium, optimum; cujus intelligere, verum; cujus velle, bonum; cujus intelligere, simplicissimum et praesentissimum; cujus velle, defixum et ineluctabile. Quin immo, ut Sacra docet Pagina, nemo nostrùm potest *ad Patrem* ire, nisi *Pater* idem *traxerit.* Quomodo trahit, si volentem trahit? En Augustinus: *non solum volentem, sed et lubentem trahit, et voluptate trahit.* Quid aptius et divinae voluntatis constantiae, et nostri arbitrii libertati? Hinc fit quod in ipsis erroribus Deum aspectu non amittimus nostro: nam falsum sub veri specie, mala sub bonorum simulacris amplectimur: finita videmus, nos finitos sentimus; sed id ipsum est, quod infinitum cogitamus: motus a corporibus excitari, a corporibus communicari nobis videre videmur, sed eae ipsae motus excitationes, eae ipsae communicationes Deum, et Deum, mentem, motus auctorem asserunt et confirmant: prava ut recta, multa ut unum, alia ut idem, inquieta ut quieta cernimus; sed cum neque rectum, neque unum, neque idem, neque

Deus omnis motus primus auctor.

Unde mala?

Qui arbitrium hominis liberum?

In ipsis errorum tenebris lucet Deus.

quietum sit in natura; falli in his rebus nihil aliud est, nisi homines vel imprudentes, vel falsos de creatis rebus, in his ipsis imitamentis Deum Optimum Maximum intueri. Ideo Metaphysica de indubio vero tractat; quia de argumento est, de quo si vel dubites, si vel erres, si vel fallaris, certus fias.

Cur Metaphysica agit de indubio vero.

CAPUT VII.

De Facultate.

Facultas dicta quasi *faculitas*; unde postea *facilitas*: quasi sit expedita, seu exprompta faciendi solertia. Igitur ea est facilitas, qua virtus in actum deducitur. Anima virtus est; visio actus; sensus videndi facultas. Quare satis eleganter scholae loquuntur, quum sensum, phantasiam, memoriam, intellectum *animae facultates* dicunt; sed elegantiam inquinant, quum colores, sapores, sonos, tactus in rebus esse opinantur. Nam si sensus facultates sunt, videndo colores, sapores gustando, sonos audiendo, tangendo frigida et calida, rerum facimus. Ejus antiquorum Italiae philosophorum sententiae integrum in verbis *olere* et *olfacere* vestigium extat: res enim *olere*, animans *olfacere* dicitur, quod animans odorem olfactu faciat. Phantasia certissima facultas est, quia, dum ea utimur, rerum imagines fingimus. Sensus internus item, nam advertendo vulnus, qui pugna excedunt, dolorem sentiunt. Ad haec exempla intellectus verus facultas est quo, quum quid intelligimus, id verum facimus. Igitur Arithmetica, Geometria, earumque soboles Mecanicha in hominis facultate; quia in iis ideo demonstramus verum, quia facimus. Physica autem in facultate Dei Optimi Maximi sunt, in quo uno vera facultas est, quia expeditissima et expromptissima est: ut quae in homine facultas est, ea in Deo purissimus actus sit. Atque haec dissertata illud consequitur, quod quemadmodum homo, in-

Facilitas unde dicta.

Animae facultates eleganter in scholis dictae.

Facultates sunt eorum quae facimus. Sensus externi.

Olent res, olfaciunt homines.

Phantasia.

Sensus internus.

Intellectus verus.

Arithmetica, Geometria et Mechanica sunt in hominis facultate.

Physica in facultate Dei.

Vera facultas in Deo.

tendendo mentem, modos rerum, earumque imagines, et verum humanum gignat, ita Deus, intelligendo, verum, divinum generet, verum creatum faciat. Ita ut quod nos vernacula lingua improprie dicimus, statuas et picturas, *PENSIERI DEGLI AUTORI*, id proprie de Deo dicatur esse omnia quae sunt *PENSIERI DI DIO*.

Ut vere omnia sunt *PENSIERI DI DIO*.

§ I.

De Sensu.

Latinis omnia mentis opera *Sensus*.

Latini *sensus* appellatione non solum externos, ut sensus videndi, ex. gr., et internum qui *animi sensus* dicebatur, ut dolorem, voluptatem, molestiam, sed judicia, deliberationes et vota quoque accipiebant: *Ita sentio*, ita judico; *stat sententia*, certum est; *ex sententia evenit*, uti desiderabam; et in formulis illud: *ex animi tua sententia*. An igitur, qui antiqui Italiae philosophi opinati sint mentem humanam nihil percipere nisi per sensus, ut Aristotelei; vel eam non nisi sensum esse, ut Epicuri asseclae; vel rationem, sensum quendam aethereum ac purissimum, ut Platonici Stoicique existimarunt? Et vero ethnicarum sectarum nullae quae mentem humanam omni corpulentia puram agnorint. Et ideo omne mentis opus sensum esse putarunt; hoc est: quicquid mens agat vel patiatur, corporum tactus sit. Sed nostra Religio eam prorsus incorpoream esse docet: et nostri metaphysici confirmant, dum a corporibus corporea sensus organa moventur, per eam occasionem moveri a Deo.

Et haec erat ethnica Metaphysica.

Contrarium docet Metaphysica christiana.

§ II.

De Memoria et Phantasia.

Memoria quid.

Quid *Reminiscentia*.

Memoria Latinis, quae in sua penu per sensus percepta condit, quae *reminiscentia*, dum promit, appellatur. Sed et facultatem qua imagines conformamus, et

phantasia Graecis et nobis *IMAGINATIVA* dicta est, significabat: nam quod nos vulgo *imaginari*, Latini *memorare* dicunt. An quia fingere nobis non possumus nisi quae meminimus, nec meminimus nisi quae per sensus percipiamus? Certe nulli pictores, qui aliud plantae, aut animantis genus, quod natura non tulerit, pinxerunt unquam: nam isti byppogryphes et centauri sunt vera naturae falso mixta. Nec poëtae aliam virtutis formam, quae in rebus humanis non sit, excogitarunt; sed de medio lectam supra fidem extollunt, et ad eam suos heroas conformant. Quare Musas Graeci, quae phantasiae virtutes sunt, Memoriae filias esse suis fabulis tradiderunt.

Phantasia eadem ac *Memoria* Latinis.

Homini fingere nihil praeter naturam datur.

Cur Musae Memoriae filiae.

§ III.

De ingenio.

Ingenium facultas est in unum dissita, diversa conjungendi; id *acutum* Latini *obtusumve* dixerunt: utrumque ex Geometriae penetralibus, quod acutum celerius penetrat, et diversa, tanquam duas lineas in puncto infra angulum rectum, propius uniat; obtusum vero, quia tardius res intrat, et res diversas, uti duas lineas in puncto unitas extra rectum angulum longe dissitas a basi relinquat. Et ita obtusum ingenium sit quod serius, acutum quod ocius diversa conjungat. Porro *ingenium* et *natura* Latinis idem; an quia humanum ingenium natura hominis sit, quia ingenii est videre rerum commensus, quid aptum sit, quid deceat, pulchrum et turpe, quod brutis negatum? An quia ut natura gignit physica, ita ingenium humanum parit mechanica, ut Deus sit naturae artifex, homo artificiorum Deus? Certe unde scientia, et inde *scitum:* quod non minus eleganter *BEN INTESO* et *AGGIUSTATO* Itali vertunt. An quod scientia ipsa humana nihil aliud sit nisi efficere, ut res sibi pulchra proportione respondeant, quod uni ingeniosi praestare

Ingenium quid.

Acutum et *obtusum* unde dictum.

Ingenium et *natura* idem.

Ingenium propria hominis natura.

Unus homo videt rerum commensus, sen proportionem.

Deus naturae artifex, homo artificiorum Deus.

Cur *scitum* pro *pulchro* dictum.

Cur Geometria et Arithmetica scientiarum exploratissimae. *Ingegneri* cur sic dicti.

possunt? Et ideo Geometria et Arithmetica, quae haec docent, sunt scientiarum exploratissimae; et qui in earum usu excellunt, *ingegneri* Italis appellantur.

§ IV.

De certa facultate sciendi.

Tres mentis operationes: perceptio, judicium, ratiocinatio.

Quae meditata disquirendi occasionem faciunt quae sit propria homini facultas ad sciendum data. Homo enim percipit, judicat, ratiocinatur: sed saepe percipit falsa, saepe temere judicat, perperam saepe ratiocinatur. Graecae philosophorum sectae has homini ad sciendum facultates datas opinatae sunt, et sua quamque dirigi arte: facultatem nempe percipiendi Topica, judicandi Critica, ratiocinandi denique Methodo. De Methodo autem nulla in suis Dialecticis praecepta tradiderunt, quia eam satis superque pueri usu ipso, dum darent Geometriae operam, ediscebant. Extra Geometriam antiqui ordinem putarunt prudentiae committendum, quae nulla dirigitur arte; et quia nulla dirigitur arte, prudentia est. Nam soli artifices percipiunt ut alia primo, alia secundo, alia alio loco disponas: quae ratio non tam prudentem, quam fabrum aliquem format. Et vero si methodum geometricam in vitam agendam importes,

Tribus artibus diriguntur: Topica, Critica, Methodo.

Cur antiquis nulla peculiaris methodi ars.

Methodo geometrica nec consilia instituenda;

nihilo plus agas,
Quam si des operam ut cum ratione insanias;

et tanquam in rebus humanis non regnarent libido, temeritas, occasio, fortuna, per anfractus vitae recta pergas. Methodo autem geometrica orationem civilem disponere idem est ac nihil in oratione acutum admittere, nec nisi ante pedes posita commonstrare; auditoribus tanquam pueris nihil nisi praemansum in os ingerere, et, ut uno verbo complectar, in concione pro oratore doctorem agere. Et sane demiror qua ratione isti, qui tantopere in oratione civili methodum geome-

Nec oratio civilis dispensanda.

tricam commendant, unum Demosthenem in eloquentiae exemplum proponant. Jam si ita Diis placet, Cicero confusus, inconditus, perturbatus: in quo tantum ordinem hactenus doctissimi viri, tantamque dispositionis contentionem admirantur, ut prima quae dicit, se pandere quodammodo, et secunda excipere animadvertant; ita ut quae posteriore loco dicit, non tam ab eo dici quam ex rebus ipsis prodire et fluere videantur. At hercule Demosthenes, quid aliud totus est nisi hyperbata, ut recte Dionysius Longinus, omnium rethorum judiciosissimus, notat? Cui ego illud addiderim, quod in ejus perturbato dicendi ordine omnis enthymematica dicendi vis tanquam catapulta intendatur. Is enim de more proponit argumentum, ut moneat auditores qua de re agat; mox in rem, quae nihil cum re proposita commune videtur habere, excurrit, ut auditores quodammodo alienat ac distrahat; ad extremum similem rationem inter id quod assumit et quod proposuit intendit, ut ejus eloquentiae fulmina eo cadant, quo magis improvisa, graviora. Neque sane putandum omnem antiquitatem manca ratione usam esse, quod hanc quartam, ut nunc numerant, mentis operam non agnoverint. Non enim ea quarta mentis operatio est, sed ars tertiae, qua ratiocinia ordinantur. Itaque omnis antiqua Dialectica in artem inveniendi et judicandi divisa est. Sed Academici toti in illa inveniendi, in illa judicandi toti Stoici fuerunt. Utrique prave: neque enim inventio sine judicio, neque judicium sine inventione certum esse potest. Etenim quonam pacto clara ac distincta mentis nostrae idea veri regula sit, nisi ea, quae in re insunt, ad rem sunt affecta, cuncta perspexerit? Et quanam ratione quis certus sit, omnia perspexisse, nisi per quaestiones omnes, quae de re proposita institui possunt, sit persecutus? Principio per quaestionem an sit, ne de nihilo verba faciat; deinde per eam quid sit, ne de nomine contendatur; tum quanta sit, sive extensione, sive pondere, sive numero; porro qualis, et heic con-

Ciceronis ordo dicendi.

Demosthenes perturbatus.

Et in perturbato dicendi ordine omnis eloquentiae Demosthenicae vis continetur.

Methodus non est quarta mentis operatio, sed ars tertiae.

Omnis antiqua Dialectica in Topicam et Criticam divisa.

Critica Cartesiana sine Topica certa non est.

templari colorem, saporem, mollitudinem, duriciem et alia tactus; praeterea quando nascatur, quandiu duret, et in quae corrumpatur; et ad hoc instar per reliqua praedicamenta conferre, et cum omnibus rebus, quae ei sunt quodammodo affectae, componere; sive sint caussae ex quibus nascatur, sive quae producat effecta, sive quid operetur, cum re simili, dissimili, contraria, majore, minore, pari collata. Itaque praedicamenta Aristotelis, et Topica, si quis in iis quid novi invenire velit, inutilissima sunt; et Lullianus, aut Kirkerianus evadat, et similis ejus fiat, qui scit quidem litteras, sed eas non colligit, ut magnum librum naturae legat. At si tanquam indices et alphabeta habeantur quaerendorum de re proposita, ut eam plane perspectam habeamus, nihil ad inveniendum feracius: ut ex iisdem fontibus, ex quibus copiosi oratores et observatores etiam maximi provenire possint. Vicissim si quis in clara ac distincta mentis idea rem perspexisse confidat, facile fallatur, et saepe rem distincte nosse putaverit, cum adhuc confuse cognoscat, quia non omnia quae in re insunt, et eam ab aliis distinguunt, cognovit. At si critica face locos Topicae omnes perlustret, tunc certus erit se rem clare et distincte nosse, quia per omnes quaestiones, quae de re proposita institui possunt, rem versavit: et per omnes versasse Topica ipsa Critica erit. Artes enim sunt quaedam litterariae reipublicae leges: nam sunt omnium doctorum virûm animadversiones naturae, quae in regulas disciplinarum abierunt. Ita qui ex arte rem facit, is cum omnibus doctis se sentire certus est: sine arte facile fallitur, quia suae unius naturae fidit. Et quidem tu, sapientissime Paulle, haec ipsa censes, qui, dum tuum Principem instituis, non eum praecipis recta ad criticam artem contendere; sed diu multumque exemplis imbui, priusquam artem de iis judicandi erudiatur. Id quorsum, nisi ut prius efflorescat ingenium, deinde arte judicandi excolatur? Hoc dissidium inventionis et judicii non aliunde inter Graecos ortum, nisi

Praedicamenta et Topica Aristotelis qua ratione utilia ad inveniendum.

Artes sunt litterariae reipublicae leges.

Cur divisae inter Graecos Topica et Critica.

quod facultatem sciendi propriam non attenderunt. Ea enim ingenium est, quo homo est capax contemplandi ac faciendi similia. Nos quidem in pueris, in quibus natura integrior est, et minus persuasionibus seu praejudiciis corrupta, primam facultatem se exerere videmus, ut similia videant; unde omnes viros patres, foeminas omnes matres appellant, et similia faciant,

Propria sciendi facultas ingenium.

In homine a puero sese exerit.

> Aedificare casas, plostello adjungere mures,
> Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Similitudo autem morum in nationibus sensum communem gignit. Et qui de rerum inventoribus scripserunt, tradunt artes omnes, omniaque commoda, quibus ab artificiis genus humanum ditatum est, aut forte fortuna, aut similitudine aliqua, quam vel bruta animantia commonstrarint, aut homines sua excogitaverint industria, inventa esse. Haec quae hactenus diximus, Italicam sectam novisse id linguae vestigium docet, quod ratio, quae in scholis *medius terminus* dicitur, *argumen* sive *argumentum* appellarint. Argumen autem inde unde et argutum, seu acuminatum. Arguti autem sunt qui in rebus longe dissitis ac diversis similem aliquam rationem, in qua sint cognatae, animadvertunt, et ante pedes posita transiliunt, et a longinquis locis repetunt commodas rebus, de quibus agunt, rationes: quod specimen ingenii est et acumen appellatur. Unde ingenio ad inveniendum necesse est: cum ex genere nova invenire unius ingenii et opera et opus sit. Quae cum ita se habeant, verisimilis conjectura est antiquis Italiae philosophis nec syllogismum nec soritem probari, sed inductione similium in disserendo usos esse. Et ratio temporum id suadet: nam antiquissima omnium Dialectica erat inductio, et collatio similium, qua ultimus Socrates usus est; postea syllogismo Aristoteles, sorite Zeno disseruerunt. Et vero qui syllogismo utitur, non tam diversa conjungit, quam speciem sub genere positam ex ipsius sinu generis explicat; qui utitur sorite

Quid sit sensus communis.

Similitudo mater omnis inventionis.

Argumentum cur ita dictum.

Arguti qui.

Quid autem ingenium.

Inventio ingenii, et opera, et opus.

Antiquissima Dialectica, inductio, et collatio similium.

Quid Syllogismus.

Quid Sorites.

caussas caussis, cuique proximam attexit: quorum qui alterutrum praestat, non tam duas lineas in angulum infra rectum conjungere, quam unam lineam producere, et non tam acutus, quam subtilis esse videatur: quanquam qui sorite quam qui syllogismo utitur, tanto subtilior est, quanto crassiora sunt genera quam cujusque rei caussae peculiares. Soriti Stoicorum geometrica Renati methodus respondet. Sed ea in Geometria utilis, quia eam Geometria patitur: ubi et definire nomina et postulare possibilia licet. Sed ea, ab argumento trium mensurarum et numerorum abducta, et in Physicam importata, non tam utilis est ut nova inveniamus, quam ut ordine disponamus inventa. Tu ipse, Paulle doctissime, id mihi firmaveris. Nam quid est, quod alii bene sane multi istam methodum callent, nec quae, tu praeclarissime, cogitas apti sunt invenire? Tu vero, natu grandior, ad interiores litteras animum appulisti; vitam in judiciis de ingenti re pecuniaria cum principibus et magnae potentiae viris, necessariis tuis, exercitam habuisti; omnia viri liberalis officia hoc saeculo usque ad moram officioso, et interdiu et ad multam noctem, obis; et tantum brevi profeceris, quantum vix alius in hisce studiis omnem aetatem abditus proficere potuisset. Vide ne tua modestia id methodo accepto referas, quod est divini ingenii tui beneficium. Concludamus ad extremum non methodum geometricam in Physicam, sed demonstrationem ipsam importandam. Maximi geometrae principia Physicae ex principiis Matheseos spectarunt, ut ex antiquis Pythagoras, Plato; ex recentioribus Galileus. Ita peculiaria naturae effecta peculiaribus experimentis, quae sint peculiaria Geometriae opera, explicare par est. Id curarunt in nostra Italia maximus Galileus et alii praeclarissimi physici, qui antequam methodus geometrica in Physicam importaretur, innumera et maxima naturae phaenomena hac ratione explicarunt. Id curant unum sedulo Angli, et ob id ipsum Physicam methodo geometrica publice docere prohibentur. Ita Phy-

Quae disserendi ratio subtilis, quae acuta.

Methodus geometrica cur in Geometria utilis ad inveniendum.

Extra geometrica utilis ut disponamus inventa.

Non methodus geometrica, sed demonstratio in Physicam importanda.

sica provehi potest. Idque adeo in dissertatione *De nostri temporis studiorum Ratione*, Physicae incommoda ingenii cultu vitare posse innui (1); quod aliquis methodo occupatus forte miratus sit. Nam methodus ingeniis obstat, dum consulit facilitati; et curiositatem dissolvit, dum providet veritati. Nec Geometria acuit ingenium, quum methodo traditur, sed quum vi ingenii per diversa, per alia, multijuga, disparata in usum deducitur. Et ideo non analytica, sed synthetica via eam edisci desiderabam; ut componendo demonstraremus, hoc est ne inveniremus vera, sed faceremus. Invenire enim fortunae est, facere autem industriae; et ob id ipsum neque per numeros, neque per species, sed per formas eam tradi desiderabam; ut si minus ingenium inter ediscendum excoleretur, phantasia firmaretur tamen, quae ita est ingenii oculus, ut judicium est oculus intellectus. Et vero Cartesiani, quos tu, Paulle, littera, non spiritu, Cartesianos eleganter appellas, animadvertere haec possent quae dicimus, se, quanquam verbis negent, re ipsa profiteri; qui vera, ad quorum normam cetera dirigunt, praeter illud quod a conscientia petunt: *cogito, ergo sum*, non aliunde nisi ab Arithmetica et Geometria, nempe a vero quod facimus mutuantur; et illa celebrant: *sit verum ad hoc instar; ut tria et quatuor faciunt septem; ut trianguli duo anguli ambo sunt tertio majores:* quod tantundem est quantum ex Geometria Physicam spectare; et qui id postulat, re ipsa hoc postulat: *tunc mihi physica vera erunt, cum feceris: ut geometrica ideo hominibus sunt vera, quia faciunt.*

Geometria quando acuit ingenium.

Synthesis facit, Analysis invenit vera (2).

Phantasia ingenii oculus, ut judicium est oculus intellectus

(1) Pag. 14-16.

(2) Editiones hujus Operis et versio italica habent: *Synthesis invenit, Analysis facit vera.* Haec lectio, ceteris sejuncta, forsitan non repugnat (*Synthesis invenit:* cf. II Vici Epist. prope ad finem. *Analysis facit vera*: cf. Cap. III et pag. praeced.); at hoc loco palam auctoris menti adversatur, qui asserit Synthesim Analysi anteferendam esse, ne *inveniremus vera* (Analysi), *sed faceremus* (Synthesi). Ergo *Synthesis facit* (componendo demonstrat), *Analysis invenit* vera corrigendum censemus.

CAPUT VIII.

De Summo Opifice.

Cum his quae de *vero* et *facto* disseruimus: et quod verum sit collectio elementorum ipsius rei, omnium in Deo, extimorum in homine: et verbum mentis proprium in Deo, improprium in homine fiat: et quod facultas sit eorum quae facimus, et quae solerter et faciliter facimus, haec quatuor Latinorum verba, *Numen*, et *Fatum*, *Casus*, et *Fortuna* consentiunt.

Numen, Fatum, Casus, Fortuna.

§ I.

De Numine.

Deorum voluntatem dixere *Numen*, quasi Deus Optimus Maximus suam voluntatem facto ipso significet, et tanta celeritate et facilitate significet, quam celer et facilis nutus est oculorum. Ita ut quod Dionysius Longinus admiratur de Mose, eum digne divinam omnipotentiam et granditer illa locutione exprexisse: *dixit, et facta sunt*, Latini uno verbo utrumque significasse videantur. Divina enim bonitas, volendo, res, quas vult, facit, et tanta facilitate facit, ut eae ex seipsis existere videantur. Quare cum Plutarchus Homeri poësim et picturas Nicomachi iccirco laudasse Graecos narret, quod sponte sua orta, non arte ulla facta, viderentur, ego puto ab hac fingendi facultate poëtas pictoresque dictos esse *divinos*, ita ut haec divina faciendi facilitas natura sit; in homine autem sit rara et praeclara illa virtus, tam difficilis, quam commendata, nobis dicta *NATURALEZZA:* Cicero verteret *genus sua sponte fusum, et quodammodo naturale.*

Divina bonitas, volendo, res facit.

Cur poëtae et pictores divini dicti. Natura quid.

§ II.

De Fato et Casu.

Dictum Latinis idem ac *certum*; certum idem ac nobis *determinatum*; *fatum* autem et *dictum* idem; et *factum* et *verum* cum *verbo* convertuntur. Et ipsi Latini cum quid celeriter effectum datum significare volebant, *dictum factum* dicebant. Ad haec et rerum et verborum exitum *casum* dixerunt. Igitur qui Itali sapientes has voces primi excogitarunt, aeternum caussarum ordinem *fatum*, ejus aeterni caussarum ordinis eventum *casum* esse sunt opinati: ita ut facta Dei dicta sint, et rerum eventa verborum, quae Deus loquitur, casus, et fatum idem ac factum: et ideo fatum putarunt inexorabile, quia facta infecta esse non possunt.

Dictum. Certum. Fatum.

Dictum. Factum. Casus.

Cur fatum inexorabile.

§ III.

De Fortuna.

Fortuna sive prospera, sive adversa dicebatur; et tamen fortuna ab antiquo *fortus*, seu bonus dicta. Quare postea, ut alteram ab altera separarent, *fortem fortunam* dicebant. Fortuna autem Deus est, qui ex certis caussis praeter nostram spem operatur. An igitur antiqua Italiae philosophia opinata est Deum bonum facere quicquid facit, et omne verum, seu omne factum idem sit bonum? Nos autem prae nostra iniquitate, qua nosmetipsos, non hanc rerum universitatem, spectamus, quae nobis adversantur, mala putemus, quae tamen, quia in mundi commune conferunt, bona sunt? Itaque mundus sit quaedam naturae respublica, in qua Deus Optimus Maximus commune bonum spectat ut princeps, certum quisque suum uti privatus; et malum privatum sit bonum publicum; et quemadmodum salus populi

Fortuna unde. *Fortus.*

Fortuna quid.

Mundus naturae respublica.

in Republica ab hominibus fundata suprema lex est, ita in hac rerum universitate a Deo constabilita fortuna omnium regina sit; seu Dei voluntas, qua universi salutem spectans, in privatis omnium bonis, seu peculiaribus naturis dominatur, et uti saluti publicae salus privata loco cedit, ita conservationi universi bonum cujusque peculiare posthabeatur, atque eo pacto adversa naturae sint bona.

Quo sensu fortuna omnium regina.

CONCLUSIO

Operae precium.

Habes, sapientissime Paulle Doria, Metaphysicam humana imbecillitate dignam, quae homini neque omnia vera permittat, neque omnia neget, sed aliqua; christianae pietati commodam, quae verum divinum ab humano discernat, neque humanam scientiam divinae, sed divinam humanae regulam proponat; experimentali Physicae, quae nunc cum ingenti humani generis fructu excolitur, ancillantem; utpote ex qua id pro vero in natura habeamus cujus quid simile per experimenta faciamus. Etenim habes vera scire et facere idem esse (Cap. I): atque inde Deum scire physica, hominem scire mathematica (§ I), et ita neque Dogmaticos omnia (§ II), neque Scepticos nihil scire (§ III). Indidem genera ideas esse perfectissimas, ex quibus Deus absolute facit; imperfectas, ex quibus homo ex hypothesi facit vera (Cap. II). Ex his ipsis probare a caussis esse ipsum efficere (Cap. III). Sed quia Deus rem quamvis minimam infinita virtute facit, ut existentia actus et res physica est, ita rerum essentiam virtutem ac rem metaphysicam esse, proprium hujus doctrinae argumentum (Cap. IV). Atque ita esse in Metaphysica genus rei, quae est virtus extensionis et motus, et iniquis sive extensis, sive motibus aequa subest; idque punctum metaphysicum esse, hoc est rem quamdam, quam ex hypothesi puncti geometrici contemplemur (§ I); atque ipsis Geometriae sacris Deum purissimam et infi-

Summa operis capita.

nitam mentem demonstrari; inextensum facere extensa, excitare conatus (§ II), componere motus (§ III), et quietum (§ IV) movere omnia (§ V). Habes in hominis anima animum (Cap. V), et in animo mentem, et in mente Deum praesidere (Cap. VI). Et mentem advertendo facere (Cap. VII) ficta, vel ex hypothesi vera humanam, absolute vera divinam (§ I, II, III). Hinc ingenium homini ad sciendum, seu faciendum, datum (§ IV). Habes denique Deum (Cap. VIII) nutu, seu faciendo, velle (§ I): fando sive aeterno caussarum ordine facere; quod nos ex ignorantia nostra dicimus casum (§ II), ex nostra utilitate fortunam (§ III). Recipe in tuam fidem, rogo, haec Italorum de divinis rebus placita. Tuum enim est, qui ex nobilissima et maximarum rerum gestarum monumentis inclyta Italiae familia prognatus es, et Metaphysicae cultura doctissimus per Italiam celebraris.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

ANIMADVERSIONES

in primum librum De Antiquissima Italorum Sapientia, etc., *quae in Ephemeride, vulgo* Giornale de' Letterati d'Italia, (*Tom. V, Art. VI. Venetiis,* 1711) *inveniuntur.*

Fine principale di questo dotto Signore si è il dare a conoscere quale sia stata la filosofia degli antichi popoli dell'Italia; e perchè ciò non si può dimostrare da' loro libri, non essendone veruno giunto a noi, d'onde apprendere ciò si possa, promette egli d'andarlo raccogliendo dall'origine e dal significato di varj vocaboli della latina favella. Imperciocchè (dice egli nel Proemio, pag. 59) postomi a considerar l'origini della lingua latina, molte voci io v'osservai così dotte, che certamente dall'uso del volgo essere provenute non possono, ma più tosto da qualche dottrina intrinseca a quella nazione che le usava: non essendo inverisimile che arricchito sia un linguaggio di maniere filosofiche di dire, ogni qual volta molto siavi in uso la filosofia. Quindi è, conchiude, che gli antichi Romani essendo stati affatto d'ogni scienza sforniti infino a' tempi di Pirro, e per altro senza intenderne la forza del significato essendosi serviti di vocaboli pregni di filosofici sentimenti, egli è d'uopo che altronde dalle circonvicine nazioni abbianli appresi; e questi furono quinci quelli che professavano l'italica filosofia colà trapiantatavi insino dall'Ionia, e quindi i vecchi Toscani, i quali esso pruova essere stati molto dotti in ogni sorta di scienza, e principalmente nella Teologia. Anzi è fuor d'ogni dubbio che da questi ricevettero i Romani, non che le cose spettanti alla religion degli Dei, ma ancora la favella e le frasi usate da' pontefici nelle sacre ceremonie.

Divide egli questa sua opera filosofica in tre libri, cioè a dire, in Metafisica, in Fisica e in Morale. In questo primo libro, ovvero di Metafisica, intitolato al sapientissimo signore Paolmattia Doria, prendesi a trattar di quelle maniere di favellare, dalle quali conghietturar possiamo quali fossero l'opinioni degli antichi sapienti dell'Italia intorno al primo Vero, al sommo Dio, e alle menti umane. E lo divide in otto capitoli, confessando di essere stato stimolato a porvi mano da tre suoi dottissimi amici, li signori Agostino Ariano, Giacinto di Cristoforo e Nicolò Galizia.

Primieramente egli afferma (pag. 62), appo i Latini questi due vocaboli *Verum* e *Factum* essere termini convertibili; il verbo *intelligere* significare il medesimo che *leggere perfettamente* e *conoscere con evidenza;* e 'l verbo *cogitare* significar ciò che noi volgarmente diciamo *pensare* e *andar raccogliendo.* E però c'conghiettura essere

stata opinione degl' italiani antichi sapienti in Dio essere il primo Vero, e infinito, e perfettissimo, essendo lui e il primo facitore, e il facitore di tutte le cose, e il suo Vero a lui rappresentando gli elementi delle cose tutte sì estrinsechi, sì intrinsechi. E perchè il sapere non è altro che un comporre gli elementi delle cose, e' conchiude che l'intelligenza è propria del sòlo Dio, il quale contenendo in sè tutte le cose, legge non che l'esterno di quelle, ma anche l'interno; là dove è proprio della mente umana (la quale è finita e fuor delle cose) il solo pensare, cioè il raccorre non tutte intiere le cose, ma le sole estremità, e quel ch'è al di fuori, per dir così.

Quindi e' passa a dimostrare che nel solo Dio essendo il vero perfetto, non abbiam noi scienza più certa della Teologia rivelata (pag. 64), cioè di quella che mediante la fede abbiamo ricevuta dal medesimo Dio. Iddio sa ogni cosa, contenendo in sè gli elementi, onde ogni cosa e' compone; ma l'uomo studiasi di sapere ogni cosa per via di divisione, siechè dire possiamo che la scienza umana sia come una notomia dell' opere della natura. Imperocchè, per esempio, noi sogliam dividere l'uomo in corpo e in anima, l'anima in intelletto e in volontà; astrarre dal corpo la figura e il moto, e da queste, come da qualunque altra cosa, l'ente e l'uno. Ed ecco l'origine delle scienze umane: delle quali la Metafisica contempla l'ente, l'Aritmetica l'uno e le sue moltiplicazioni, la Geometria la figura e le sue misure, la Mecanica il moto intorno al centro, la Fisica il moto dal centro, la Medicina il corpo, la Loica la ragione, e la Morale la volontà. Tuttavia queste scienze nell' uomo son la maggior parte imperfettissime e lontane dal vero; e noi avendo le cose sol fuor di noi, conoscerle non possiamo se non per via d'astrazione, volgendo a nostra utilità quel ch'è puro difetto della nostra mente. E da tal astrazione son prodotte due scienze le più utili, perchè le più certe: la Geometria e l'Aritmetica; e da queste poi ne fu generata la Mecanica, onde ne nacquero tutte l'arti all' uman genere necessarie. Laonde, perchè queste scienze son facitrici, son ancor le più vere, assomigliandosi alla scienza divina, nella quale il vero e 'l fatto son convertibili.

Gittati finalmente tai fondamenti, che dalla mente umana, se non tutte, almen conoscansi molte verità, scende a confutar prima il Cartesio (p. 68), il quale per regola principale al suo Metafisico assegna prima di tutto lo spogliarsi non pure d'ogni pregiudizio, ma eziandio di qualsisia verità; dipoi gli Scettici (pag. 71), i quali ogni verità metteano in dubbio, e dicevano di nissuna cosa potersi avere certezza.

Di là scende al II Capitolo, dove disamina questi due vocaboli *Genus* e *Species* (pag. 72), de' quali il primo, dice, appo i Latini

significava la *Forma*, e 'l secondo ciò che nelle scuole chiamasi *Individuo*, e ciò che noi volgarmente diciamo *Simulacro* ed *Apparenza*. E perchè tutte le sette de' filosofi convengono in ciò, che i generi sieno infiniti, però e' conchiude opinion degli antichi filosofi dell' Italia essere stata che i generi sieno forme infinite, non nell'estensione sua, ma nella perfezione, e come infinite trovinsi nel solo Dio; ma che le specie, o cose singolari, sieno simulacri fatti secondo le medesime forme. E perchè il vero e 'l fatto son d'una medesima significazione, egli è d'uopo che i generi delle cose non sieno gli universali delle scuole, ma forme, e forme metafisiche, cioè idee e modelli su' quali le forme fisiche si lavorano, cioè delle cose singolari. Quindi molte cose utilissime al trattar delle scienze egli deduce: 1.° esser migliore il metodo della Sintesi per le scienze che quel dell'Analisi; 2.° quell'arti giugnere più certamente al suo fine, le quali propongono alla mente l'idea di ciò che deesi fare, che quelle le quali procedon più tosto per via di conghietture; 3.° molto esser pericoloso lo starsi troppo sulle cose generali, ned esservi via più sicura per incamminarsi all'acquisto della verità, che 'l saper accordare l'universalità dell'idea a tutte le particolarità delle circostanze che incontransi in qualsisia cosa singolare.

Segue il III Capitolo. Furono sinonimi nella latina favella i vocaboli *Caussa* e *Negocium* (pag. 76) che *operazione* significa; e ciò che quindi ne nasce e' chiamarono *Effetto*. Laonde s'una cosa medesima sono il vero e il fatto, cioè l'effetto, provar che che sia per le cause e' sarà un farlo; e perchè la materia o sia gli elementi delle cose son le sue cause, proverà dalle cause colui che agli elementi mal ordinati e disposti darà il suo ordine e disposizione, onde ne risulta la forma della cosa, la quale induce in quella una special natura; il che della Geometria è proprio e dell'Aritmetica.

Quindi egli a lungo molte cose sottilmente discorre nel Capitolo seguente (pag. 78) dell'essenze o virtù delle cose, de' punti metafisici e degli sforzi al moto e dello stesso moto: le quali però chi volesse tutte esporre, non farebbe un compendioso estratto del libro, ma un nuovo libro di cui questo più tosto sembrerebbe esser l'estratto.

Nel V Capitolo (pag. 91) osserva essersi distinti da' vecchi Latini questi due vocaboli *Animus* e *Anima*, di modo che *Anima* sia quella con cui si vive, e *Animo* quello con cui si sente. Ma perchè l'*aria* eziandio, cui egli mostra essere il principio comune di tutti i movimenti, fu da' medesimi chiamata col nome di *anima*, quindi egli argomenta aver giudicato gli antichi Sapienti dell'Italia l'animo e l'anima altro non essere negli animali che movimento particolare di aria, la quale, introdotta per via della respirazione nel cuore, e da quello nell'arterie e nelle vene, spinge quivi al moto

il sangue; siccome di là insinuandosi ne' canali de' nervi, e agitando il loro sugo vi cagiona tutti que' moti che alle facoltà sensitive soglionsi attribuire. Quindi pure deduce (pag. 93) che 'l vocabolo *Brutum* appo i Latini null'altro importando che *cosa immobile*, lor opinione fosse che le bestie non avessero, come abbiam noi, un interno principio de' loro movimenti: ma che per sè stesse fossero immobili, se non in quanto dalla presenza degli esterni oggetti determinate venissero al moto.

« sorta di spiegazione e di prova. Che se il signor Giambattista di « Vico, in cui abbiam sempre considerato la gentilezza uguale alla « dottrina, vorrà riguardare questa nostra *Replica* come degna di « qualche novella *Risposta*, allora noi, unendo insieme, come in « un sol corpo, e 'l suo primo libricciuolo di *Metafisica*, e 'l se- « condo libricciuolo della sua *Risposta*, e ciò che noi avrem detto « nel presente *Articolo*, e ciò che a lui sarà paruto di rispondere « a noi, allora, io dico, ci riputeremo d'avere ottenuto il nostro « intento, cioè di tutte quest' opere insieme essersi composta non « più una brevissima Idea di Metafisica, ma una Metafisica intiera « e in tutte le sue parti perfetta ». Talchè io voglio, e debbo volerlo, che 'l mondo creda, con questa *Risposta*, me non contender con essovoi, ma avervi ubbidito; ed ossequiando tutte le loro Signorie Illustrissime, fo loro umilissima riverenza.

EDITORIS MONITUM

Cum alterum hoc Vici Responsum Ephemeris vulgo *Giornale de' Letterati d'Italia* (Tom. XII, p. 417-418. Venetiis, 1712) innueret, haec tantum proferebat: « Dessa è scritta con molta dottrina, di- « fendendosi da quelle cose che gli si appongono, delle quali pure « alcuna gentilmente afferma essere vera ». Et addebat: « A questa « noi niente replichiamo, e per riverenza dell' Autore che nostro « parzialissimo si dichiara, e per non moltiplicare in infinito le « contese ». Revera disputationes Vici, quae ad librum *De Antiquissima Italorum Sapientia*, etc. pertinent, hac DECLARATIONE finem habuere:

« Perchè in questi miei libricciuoli di Metafisica alcuno non possa « con mente men che benigna ninn mio detto sinistramente inter- « pretare, metto qui insieme le seguenti dottrine sparsevi, dalle « quali si raccoglie ciò che professo: che le sostanze create non « solo in quanto all'esistenza, ma anche in quanto all'essenza, sono « distinte e diverse dalla sostanza di Dio. Nel cap. IV della *Me- « tafisica*, pag. 78, dico, l'essenze essere le virtù delle cose; nella « *Prima Risposta*, pag. 127, dico che l'essenza è propria della so- « stanza; nella *Seconda Risposta*, pag. 156, dico che l'essere è pro- « pio di Dio, l'esserci è delle creature; e che ciò con molta pro- « prietà dicesi nelle scuole: *Dio essere sostanza per essenza, le « cose create per participazione*. Talchè, essendo Dio altrimente « sostanza, altrimente le creature, e la ragion d'essere o l'essenza « essendo propia della sostanza, si dichiara che le sostanze create, « anche in quanto all'essenza, sono diverse e distinte dalla sostanza « di Dio. »

DE REBUS GESTIS
ANTONII CARAPHAEI
LIBRI QUATUOR

EXCELLENTISSIMO DOMINO

HADRIANO CARAPHAEO

TRAJECTINORUM DUCI FOROLIVIENSIUM DOM. XIII.
S. R. I. COMITI HISPANIARUM MAGNATI AMPLISSIMO

INSCRIPTI

Digitized by Google

Digitized by Google

Excellentissime Domine

Vixdum primum justae aetatis diem abhinc ferme biennium attigeras, quum mihi, eam Tecum gratanti augurantique ut virtute et felicitate cumulatam ad aevum usque perduceres, Tu, pro tua humanitate meo officio commendato, Antonii Caraphaei *patrui tui vitam latine conscribendam mandasti. Ibi tum scivi novique quam bonum ingenium haberes, quantum liberali institutione profecisses, et ad qualem esses animi virtutem eximiam incohatus. Ad quam enim aetatem plerique omnes adolescentuli vel in sacris paternis constituti pervenire flagrantissime cupiunt, ut liberius vivendi habeat potestatem, Tu, parentibus orbatus, jam liberi tuarum rerum arbitrii, ista praestas plena sapientis magnique animi exordia. Inter sermones enim tecum cotidie habitos, de ore tuo, neque de praeclarissimo genere unde ortus, neque de amplissimis fortunis in quibus natus es et eductus atque educatus, ullum unquam excidere verbum memineram; quando id te primum curare animadverti, ut Patrui tui res gestae communi cunctis gentibus linguae, et seculorum vetustatem perlaturae, commendarentur: ex quo facto tua eximia in Patruum pietas, singularis patriae exornandae diligentia, et admirabile virtutis studium plane intelliguntur. Quamobrem conficiebam: si isthaec adolescentulus agitat, quid ubi ad exactae virtutis aetatem pervenerit? qui nunc severioribus interioribusque disciplinis incumbens cum summo ingenio acre judicium componit? docilitatemque vero tantam exhi-*

Digitized by Google

bet, ut de abstrusissimis altissimisque rebus cuicumque cum eo disserat pauca admodum verba sint satis? eâ autem vultus cultusque modestiâ, ut vel tacitus adrogantiam fastumque, adfinia summae fortunae mala, pudore adficere videatur? Ista quidem laudanda debes Generi amplissimo ex quo prognatus; cujus peculiares semper spectatae virtutes sunt, gravitas et moderatio; sed multo magis institutioni, qua lectissima femina Isabella Tomacella, mater tua, Te vix ortum, Hadriano parente optimo orbatum ad decimum usque aetatis annum perduxit: quo morum tyrocinio maxime humanus animus in utramque partem effingitur. Ed vero id est proprium Feminarum ex ea Gente decus, ut matresfamilias extiterint pietate, pudicitia, frugalitate, prudentia incomparabiles. Ex omnibus unam heic memorare lubet, Lucretiam Tomacellam Philippo Columnae Magno Regni Neapolitani Comestabulo nuptam; quae insigni fecunditate vel maxime ob sapientem duodecim liberorum educationem promeruit magnificentissimam funeris pompam, et meditata ad memoriam virtutis carmina, laudationes ceteraque vitae praeclare actae monumenta (1). *Sed decennis matre quoque orbati, Tui tutela lege rediit ad Claram Jesualdam tuam ex matre aviam, Matronam antiquis moribus ornatissimam, quae virtute et gravitate omnino refert antiquissimum Genus, mille ab hinc supra centum annos nobilitate spectandum, ut gravissimus Familiarum Scriptor* (2) *prima omnium Nobilitatis Neapolitanae monumenta ab Jesualdis se in-*

(1) Racconto delle solenni Esequie celebrate in Palliano in honore dell' Illustriss. et Eccellentiss. Signora D. Lucretia Tomacello-Colonna duchessa di Palliano e Tagliacozzo, ecc. In Roma, per Giacomo Mascardi, 1625.

(2) *Scipio Ammiratus, lib. I* delle Famiglie Nobili Napolitane, *discorso I, pag.* 7, *let.* C.

venisse prodat. Igitur cogitanti mihi, Te ita institutum, ut vera ames, adulationem oderis, non difficile visum est veram historiam conscribere; idque adeo quod a Te ipso veris rerum scribendarum documentis instruerer. Jam Summi Numinis virtute opus absolvi. Si non pro dignitate Virum narrare Tibi fortasse videar, in Livii, Sallustii, Caesaris et maxime Cornelii Taciti lectione versanti, cujus beatâ illâ memoriâ tuâ nedum facta omnia, sed singula quoque verba feliciter tenes, ignosce, quaeso, non multum praestanti ingenio hominis, in publicis privatisque praelectionibus omnem vitam occupato, familiaribus curis distento, corporis doloribus et gravibus et molestis per omne id ferme tempus adflicto. Quapropter id magno animo excipe, et gloriâ superare Patruum enitere; dum vota concipio, ut Tu diu posterique Tui semper isthac familiari fama perfruantur. Vale.

Dabam Neap. VII Id. septembris anno MDCCXV.

Tui, Excellentiss. Domine,

Addictissimus Cliens
Joh. Baptista Vicus.

Digitized by Google

PROOEMIUM

Si qua historiae pars magnam prae ceteris affert legendi utilitatem, ea procul dubio est quae clarorum hominum vitas posteritati consignat. Ea namque eximios virtute viros, labore et industria a prima usque vitae institutione ad summa evectos describit, minoribus in aemulandi incitamentum et viam: cum contra in rerum publice scriptarum memoriis summi duces jam consummatae virtutis amplissimaeque auctoritatis exhibeantur, qui sane juventuti, cujus erudiendae praecipua reipublicae cura, magis admirationi sunt quam documento. Praeterea hoc scriptionis genus, in peculiari argumento occupatum, minutas et maxime proprias rerum caussas, quae obtutum eorum qui communia ac summa scribunt facile effugere solent, diligentius exequitur, ut quam exiguis saepe momentis ingentes rerum moles stare, vel ruere doceat: nam ut omnis doctrinae, ita historiae praecipuus fructus habetur, minima, unde magna existunt, intellexisse. Postremo, quemadmodum ii quos memorat utroque vitae genere constarint, et quo pacto domi forisque consenserint atque constiterint, sedulo narrat: qua una re vera Sapientiae nota discernitur. Hujus historiae partis utilitas.

Sed quia natura comparatum vires primum modeste haberi, mox intendi, tandem dissolvi, hoc item progressu haec historiae pars est ipsas respublicas consecuta. Principio enim is honor virtuti, generis humani commodis indulgenti, habebatur; deinde potentiae ac Ejusdem vices.

Digitized by Google

dominandi libidini paruit; tandem ignavorum fortunae est prostitutus; et eorum quoque vitae literis consignatae, qui cum nihil insigne ex sese ediderint, nihilque nedum eximium ad gloriam, sed vel mediocre, ad demerendam laudem, effecerint, ipsa rerum mole, quarum forsan inutilis pars fuere, conspiciantur: itaque eorum vitae, praeter quam ut honores et imperia ab ipsis in familias inlata legentes admoneant, nullo alio conscriptae esse videantur.

Auctoris consilium.

His de caussis RERUM GESTARUM nomine inscriptam ANTONII CARAPHAEI vitam contexere destinavi; qui sub Leopoldo Romanorum Imperatore ab imis militiae ordinibus ad summa armorum imperia, maximas provincias, amplissimas legationes promotus, et ad Regni arcana, penitius quam ceteri Aulae, a Principe inductus, consilio et virtute tot tantasque res confecit, ut Imperii Romani temporibus natus omnino esse (*) diceretur. Nam scientiae militaris, quam qui maxime, gnarus; sed enim equi militisque cura, et arte hyberna disponendi, aestiva adversus hostes firmandi, omnes suae tempestatis belli duces facile superavit; prisca disciplinae severitate militarem licentiam coërcuit; rarâ prudentiâ quam minimo ære minimoque sanguine maximas res bene gessit; magis cauti imperatoris apud sapientes laude, quam animosi strepitu inter multitudinem delectatus; per summam animi magnitudinem aliorum belli summorum ducum, quamvis aemulorum, gloriae mirâ providentiâ commodavit; in consiliis dandis, vel cum potentiorum offensione, tuta magis quam magnifica censuit; alienasque sententias, si quae inutiles viderentur, inter deliberan-

Narrandi Viri amplitudo.

Virtutes.

(*) Ex Epist. Francisci Udalrici Com. Kinskii Magni Bojohemiae Cancellarii, et a sanctiori belli Consilio.

dum libere graviterque aversatus, decretas tandem eo studio ac diligentia adjuvit, ut suas; in muneribus obeundis suam nominis honestatem nunquam tulit ulterioris potentiae cupiditati servire; et si quae cum minima suae existimationis minutione delata essent, alto animo respuit, mox dignitate cumulata recepit; diligenti incessantique aemulorum arte fere semper a Caesare procul habitus, fere semper Caesari consiliis praesto fuit; asperrimis provinciis objectus, ut rerum difficultate obrueretur, semper Austrii rem, aemulorum invidiam, reliquorum de se opinionem auxit; sui obtrectationes reipublicae condonavit, ratus a solo Principe civilem honestatem aestimari oportere; nisi Caesarem unum, respexit praeterea neminem; et incredibili animi fortitudine ejusdem rem faciens, magnas inimicitias cunctas post rempublicam habuit. Cum his virtutibus juxta vicia: in majestatis rebus suspiciones habere pro crimine; rigore nimio ad saevitiam inclinare; acerrimus tributa conradere; infensus inimicorum persecutor. Sed haec ipsa Leopoldi virtutibus altius eminendi opportunitatem dedere; qui vel manifestis perduellionis reis ignosceret; gravia civibus tributa remitteret; et omnes vel Aulae administros, vel belli duces nedum Principis, sed patria charitate complecteretur. Tandem eo, quo maxime laborabat, supremae necessitati concessit; nam in rebus, quae, salva republica, privatam ipsius laederent dignitatem, infirmus animi praecepsque consilii fuit: qua parte intectus lethali inimicorum vulneri patuit.

Hujus scribendae historiae caussa et ratio.

Patria pietate ductus talem virum popularem meum in scribendi argumentum delegi, qui Neapolitanum nomen inter Germanos citra omne exemplum praeter ceteros illustravit. Ejus ita praeclare facta prodam, ut non dissimulaverim inlaudata; Hadrianus enim,

ejus opum ac nominis heres, juventae flore, tamen ea praeditus sapientia est, ut Patrui pietatem vero postponat. Ingenio, ut non decoro, scribendi tamen libertatem Optimus Princeps fecit: cujus artes fuere, acquiescere partis, sancte foedera custodire, liberalitatis et clementiae laudibus celebrari. Latine scribo: magnae enim et immortali memoria dignae res gestae merent linguae committi qua Majestas Romana locuta est, et cum Romanis legibus caeremoniisque aeternum duratura speratur; et ea heic certa ratio, ut Vir apud multas et varias Europae nationes nobilis cunctis communi lingua narretur.

Digitized by Google

DE REBUS GESTIS
ANTONII CARAPHAEI
LIBER PRIMUS

CAPUT I.

Antonii genus, parentes, patria.

Carafiam, seu Caraphaeam gentem, quae si unquam alias, sub Aragoniis maxime Austriisque Regibus ita crevit amplitudine, opibus, dignitate, ut facile inter Italiae praeclarissimas habeatur, ex una Caracciolorum olim Caraczulorum dicta, Familia urbis Neapolis indigena, qui de Neapolitanarum originibus Familiarum et successione ex vero et citra studium scripserunt (*), prodiisse commemorant.

Caraphaeum genus ex una Caracciolorum Familia prognatum.

Est qui peregre ejus accersat originem; sed is, atque adeo omnes qui certis dubia, solidis inania praeponunt, gravi injuria patriam immerentem afficiunt; quasi vero indigna fuerit, ex qua nobilissimae amplissimaeque familiae orirentur. Urbs enim ab heroicis usque temporibus naturae cultusque deliciis tam praeclara, ut primus omnis memoriae scriptor Homerus dignam qua suas ornaret fabulas existimarit, et Parthenopem Syrenum unam effinxerit. Reipublicae autem forma ad Svevos usque Reges semper libera usi cives. Quum enim Romani a Campanis orbis terrarum imperium metuebant, Neapolitana civitas Capuae proxima suis tamen le-

Urbs Neapolis praeclarissimae cujusvis Familiae digna patria.

(*) Scipio Ammiratus, par. II, pag. 165, 166. Franciscus Zazzera *ne' Carafi*. Philibertus Campanilis *ne' Carafi*, pag. 205.

gibus vivere suique arbitrii in Romanis partibus contra Hannibalem stare maluit, barbarique Ducis, qui Pyreneos Alpesque formidabilis seu superavit, seu rupit, crudelitatem artesque de praealtis muris despexit. Romani autem jam rerum domini eam prae humanitatis studiis fideique erga suum nomen officiis praecipuam habuere; et cum Neapolitanis Tiberius Nero Caesar Inarimem insulam pro Capreis aequo jure permutavit. Nero autem Domitius Imp. in Neapolitano theatro musicos agens ludos, quanta fuerit urbis magnificentia, quantusque cultus, dedit posteritati conjiciendum. Quam autem fuerit artibus celebris quae libero homine dignae sunt, passim Romani Patricii confirmarunt, qui transmarinam et longinquam Athenas usque liberorum institutionem prae patria charitate non sustinentes, Neapolim eos ingenuis artibus erudiendos mittebant. Cum autem decurrentes ab peninsula Scandinavia ingenti numero barbarae nationes sub aliis atque aliis ductoribus omnia late flamma ferroque vastarent, Neapolis ab iis omnibus integra egit. Quin argumentum haud sane spernendum et grave firmat, per id tempus, quo urbs Roma eorum direptionibus incendiisque excindebatur, praecipuos Romanos cives; maris opportunitate, quod, terrâ undique infestâ, unum iis effugium patebat, in eam secundo litore proximam et munitissimam urbem, in cujus amoenissimam oram praedia et villas habebant; et quo rusticatum ventitabant, profugia quaesivisse: idque satis manifesto evincunt quamplurima nobilium familiarum, quae omnes jam extincta sunt, nomina (*), nam Latini sermonis talem tantamque obtinent Romanam urbanitatem, ut a barbaris originibus nullo prorsus pacto deductae esse videantur. Et dum Gothi magnae Italiae parti domina-

(*) Ut ex Curia Capuana *Ahalae, Aquilii, Virginii, Proculi*; ex Curia Nidi, *Papirii, Pulvilli, Sulpicii*; ex Curia Montana, *Anci, Bruti, Caecinae, Genutii, Mumiae, Julii*; ex Curia Portus, *Atratini, Albini, Capellae, Cicurini, Bruti, Furii, Genutii*, aliique apud Mazzell. in *Descript. Regni Neap.*

rentur, Neapolis, Optimatium consensu et militari Belisarii fraude, Graeca urbs Graeco Constantinopolitanorum Imperio se quidem commisit in clientelam, ut per suos tamen duces respublica regeretur. Sub Langobardis vero adversus tres in proximo Principes, Salernitanum, Beneventanum Campanumque suam obtinuit libertatem. Interea a Saracenis pulcherrimae magnificentissimaeque urbes per omnes interni maris oras depraedatae aut desolatae jacere; Neapolitanis autem per eos saepius infestatis et urbs et civitas stetit. Postremo a Northmannis Svevisque inchoatum, ab Andegavensibus Regnum in Italia praeclarissimum constitutum, et Neapolis a Carolo I Regni sedes delecta Reges habuit splendore et amplitudine, ut in illa Regnorum modestia, ceterorum Europae minores nemine. Ad haec beneficia, sive Langobardorum, sive Francorum moribus instituta, et per Aragonios Reges infinitis in subjectos imperiis aucta; quorum successiones publicis tabulis inscriptae atque in aerarium inlatae, multo certius quam antiqua in Romanorum atriis disposita stemmata, familiarum nobilitatem confirmant. Ex urbe igitur a duabus nationibus nata celebrataque, altera omnium elegantissima, Graecis, Romanis, omnium nobilissima altera, et perpetua omnium saeculorum memoria, sive suae sive alienae ditionis, inter ceteras orbis terrarum inlustri, Caraphaeos haud sane poenitet suam gentis originem revocare.

Gens Caraphaea in duas divisa familias. A Spina cognominati antiquiores.

Ea vero gens in duas familias diducta, alteram a *Spina*, alteram a *Statera* dictam. Qui Caraphaei a *Spina* cognomentum habent, antiquiores. Familia gentis princeps habetur (*), in quam Foroliviensium ditio in Samnitibus sita ab Andrea Caraczulo cognomine *Carafa* inlata, in ea tercentum ferme annorum spatio continenti undecim successorum serie servata est.

Foroliviensium Reguli Carafiae gentis principes.

Antonii parentes.

In hac domo Antonius in ulteriorem familiae spem

(*) Ab Ammirato, Zazzera, Campanili in locis superius cap. I allatis.

Patria.

ex Marco Antonio et Maria Caraphaea, Foroliviensium Ducis filia, anno MDCXLII, Uxenti in Salentinis posthumus natus est.

CAPUT II.

Antonii educatio.

Domestici mores.

Prisca severitate et parsimonia eductus educatusque: quas bonas artes postea in publicum protulit. Nam praenimii rigoris notatus, et militaris aerarii supplendi, supra quam dici aut fingi potest, sagax, administrandi frugalissimus fuit.

Artes ingenuae.

Praeter ceteras libero homine dignas artes, palaestrae plurimum studuit. Literis autem ingenuis non est admodum delectatus. Non ultra latinam linguam edoctus, quam qua id sermonis genus postea tenuit, quo Germani, Hungari, Poloni, aliaeque ejus plagae gentes ad humani commercii necessitates utuntur. Numerorum linearumque doctrinam usu magis quam caussis edidicit.

Naturae dotes.

Beatior autem natura et acris industria ea disciplinae vicia postea supplevere: nam ingenio ad excogitandum acuto, judicio solido res sedulo meditabatur incipiendas; incoeptas fortiter pertendebat. Ex quibus mentis animique virtutibus genus eloquendi postea sibi paravit, rerum, de quibus agebat, proprium, ad deliciendos sibi animos quam lenissimum, perinde ad insectandum grave; rerum pondere, et copia momentosum et plenum; per quod, uti per corpus sanguis, utilitas dignitasque perfusa. Nam qui in urbano homine reprehenditur verborum neglectus, decebat militem. Quod postea in potissima caussa fuit, ut hominum vulgus, qui extantia verborum lumina tantum advertunt, tenues prudentiae ductus et coleres in recessu non cernunt, militarem virum doctrinae civilis peritissimum summopere admirarentur.

Quo eloquendi genere postea usus est?

Cur doctrina civis peritissimus eum admiratione habitus sit?

Sed heic liceat vestigari, quid sit quod in rebus publicis gerendis nullius interioris eruditionis homines aptiores spectati? An quia rerum altissimarum contemplationi longo tempore assueti, facile mentem a sensibus abducant; et civili viro alacritas adprime necessaria, qua nedum id quod agit, ut ajunt, agat, sed corporis quoque motus, vultus, vocis sonos, et moras eorum quibuscum agit graviter advertat, ut inde quid simulent dissimulentve conjiciat? Unde viri ejusmodi attentius nationum mores observant, aularum studia penitius explorant, rerumpublicarum arcana callidius scrutantur. An quia qui respublicas administrant quamplurima singularia nosse student, unde porro intelligunt, quâ quaeque pars et quantum conferat summae rei; severiorum autem doctrinarum cultores summa rerum genera intuentur, minuta negligunt, in quorum diligenti observatione omnis caussarum utilitas conlocata? Certe homines immensa naturae mente et cogitatione non pervagati, exempla propiora, et quadrantiora sequuntur, quae in deliberationibus potissimum dominantur. Unde forsan civilem doctrinam melioris frugis tradunt, qui Reges aut liberos populos historiis in exemplum proponunt, quam qui eam disserunt per praecepta; quia utile ac dignum, ad quae duo Politici maxime spectant, in ipso rerum actu advertuntur; cumque certis scientiae definitionibus contineri, tanquam cancellis, non ferant, prudentiae arbitrio committuntur. Postremo nosse quid quanque animi perturbationem sequatur, et quae sint propria cujusque fortunae consilia, cum natura ipsa ex sese ultro prodat, rectius et expeditius pro re nata sensu ipso notantur, quam ex abdita impeditaque mentis humanae doctrina subtilibusque rationibus intelliguntur (*).

Cur interiorum literarum ignari reipublicae administrandae meliores?

Cur de re civili exempla utiliora praeceptis?

Haec illud sequitur, quod ut maxime bona consilia rerumpublicarum pariunt felicitatem, ea tamen ut plurimum expressit necessitas, cui fere semper sese sociam

An literis Regna fundentur?

(*) V. *De Stud. Rat.* pag. 20 et 29.

virtus addit. Nam imperia electione perdi possunt, fundari autem non possunt. Quisquam enim facile profundit sua; aliena autem acquirere citra domini voluntatem vel ipsi industriae non datur. Innumeri Reges libidine, aut liberi populi factionibus occidêre; sed neque Philippo Macedoni, neque Pyrrho fortissimis Regibus de invito Atheniense aut Romano quicquam decerpere licuit. Respublicas autem hostibus prodi velle significant eorum qui praesunt luxuries, avaritia crudelitasque; civium factiones, et effoetae deliciis ac voluptatibus vires. Neque adeo difficile est ex alienis conlabentibus Imperiis suum constabiliendi nosse opportunitatem. Sed Summi Numinis providentia, cum in ceteris humanis, tum in hac re maxime dominatur, quae obscuris populis barbarisque gentibus ejusmodi offerre ac dare solet occasiones. Atque adeo Regna et Imperia fere omnia vi et armis fundantur; fundata vero volunt ratione omnino diversa clarescere, studiis humanitatis.

Literae rebuspublicis necessariae ad earum incrementum et lumen.

Non haec eo dicimus, quasi humaniores artes, interioresque disciplinae reipublicae non conducant: cum eae maxime populos, inter quos excoluntur, dexteriores acutioresque efficiant; unde et politiora artificia et nova excogitata. Nautica certe, bellica ars et militaris architectura sine iis promoveri non possunt. Neque semper id, quod priscis Romanis, conducit; doctrinarum fructus peregre capere, et ignorantiam domi, ac proinde ferociam obtinere inter suos, quod hodie Turcae habent in institutis: id enim sat est, ut ejusmodi Imperium non omnino sua sit vi nixum. Nam perfidi Christiani iis classes, quibus in Europam trajicerent, commodarunt; et, si non ultra eorum viribus sua consilia adderent, prudentes rerum hac una re censent id Imperium maxime formidandum sponte sua defecturum. Sed praeclari scientia viri id conferunt in commune, ut ipsi minuta cognitionis semina excolant, unde alii porro pingui usu colligant fructus. Diverti desinam sub pollentis florentisque Europae Regis auctoritate, qui hanc in ceteris Regni

Philosophi ut rebuspublicis utiles?

artibus habet, ut res publicas interioris doctrinae viro demandet nemini; et tamen sacratiora severioraque literarum studia prolixe fovet. Quare cum egregium ad rempublicam factum ingenium, utilis historiarum memoria, prudens rerum publicarum observatio, et longus et multiplex rerum usus virum civilem absolvant, non mirum, si Antonius, ea quam modo memoravimus educatione, et institutione vitae quam mox narrabimus, in politicis postea rebus eximius extiterit.

Civilis viri instrumentum.

CAPUT III.

Vitae institutio.

Adolescens domi in Johannitarum militiam nomen dedit: quod ipsius gens apud eum Equitum Ordinem plurimum habet dignationis. Nam Caraphaeis e Roccellensium Principum domo in eum numerum adscriptis familiare beneficium satis amplum est constitutum, et tum temporis Gregorius Caraphaeus multa inter eos pollebat auctoritate, qui postea eorundem Equitum Magister creatus est. Manebat interea domi deses cum in sacris forte ludis sub Moderantis Neapolitanum Regnum conspectu per juvenilem ferociam caedem fecit: quem lapsum in sapientiam statim vertit. Animadvertens enim amplissimis saepe viris praeclarissimum vitae genus, ad quod egregia natura facti erant, ipsique electione aberrabant, casum aliquem feliciter commonstrasse, et quod ingenium in omnes partes excutere ipsi prudentia debuerant, ut ubi valeret intenderent, iis retexisse fortunam, se eam admisisse caedem in eam partem accepit, ut laboris, industriae, virtutis iniret viam. Itaque patria urbe cessit, et in insulam Melitam ad Johanniticae militiae tyrocinium trajecit, ibique Gregorii gentilis sui officiis statim inclaruit; sed multo magis per virtutis specimina, quae in incursibus et navalibus proeliis semel atque ite-

In Johanniticam militiam conscribitur.

Saepe homines vitae genus, quo postea clari fiunt, imprudentes, atque adeo inviti amplectuntur.

Ob id ingenium in omnes partes excutiendum, antequam genus vitae eligatur.

Johanniticae militiae tyrocinium init.

In Gigeris obsidione spectatus.

rum cum Turcis piratis edidit. Praeter cetera autem in Gigeris obsidione plurimam tolerantiae in laboribus, alacritatis in periculis, modestiae in recte factis laudem promeruit.

Militia navalis non tam amplam quam terrestris gloriam gignit: et quid ita.

Sed navale jam bellandi genus expertus, cogitans id ut animosum maxime, nam contra ventos fluctusque saepe est quoque etiam dimicandum, et viri intra angustos unius navis cancellos coërciti pericula expectare constanter, quam vindicare fortiter possunt: ita prae terrestri, ubi prudentia magis dominatur, latiorque patet virtuti campus, non perinde gloriam reportare: mutavit consilium, et ad Leopoldum I Austrium Romanorum Imperatorem militatum ire constituit. Ea opportunitate utitur, quod Carolus Caraphaeus e Roccellensium domo, Gregorii germanus frater, Alexandri VII Pontificis Maximi ad Caesarem Germaniamque legatus, Viennae egerat, et anno superiore, consentientibus omnium studiis, Ratisbonae in conventu, cui Maguntinus et Treverensis Pontifices, et Bavarorum Saxonumque Duces, omnes Imperii Septemviri adfuere, ab Alexandro purpureum S. R. E. Cardinalis galerum accepit. Is igitur Antonium ex gentilitate sua, ac praeterea spectatae virtutis ac prudentiae a Gregorio fratre laudatum, in fidem recepit, ac Leopoldo curatissimis officiis commendavit. Caesar et claritudine generis, et cardinalis auctoritate, ac in Romanum Imperium promeritis, et ingenuo viri aspectu cultuque, et multo magis sermonis genere, in quo veritas cum obsequio molliter conveniret, et, loco omnium, ejusdem fortuna permotus, eum Principalis cubiculi ministerio decoravit.

Ad Leopoldum Caesarem militatum venit anno MDCLXV.

Ab Imperatoris cubiculo creatur.

Eximias Aulae artes exequitur.

Ibi Antonius Principis ingenium, quidve adversaretur, quove propenderet, Augustarum mores, Ministrorum artes, Imperii Regnorumque hereditariorum constitutionem, subditorum studia, aerarii opes usumque sedulo serioque observare quae prompta erant, scrutari abdita instituit; ac interea, uti inter exteros decet, tanquam in aliena republica versari videbatur. In sermonibus ne

aliorum laudanda quidem ultro probabat, ne ea res quandam prae se ferre videretur auctoritatem; rogatus quandoque sententiam, specie consultantis interponebat. Haec palam. Dum ad interiores hasce Aulae artes se compararet, a Principe, vel amplissimis viris dissimulata videri non intelligere: ut ad continendum arcanum consuefieret, ne quae palam quidem ageret profiteri: nunquam iners, aut deses, neque satageus tamen: ipsum ocium negocii caussa conlocare, et animi quoque relaxamenta ad aliquam utilitatem intendere. Cum vir politicus ea potissimum parte aestimetur, ut multa transigat, cum nihil agere videatur: unde in eo placidi species laudatur maxime; et quo magis eorum, quibuscum agit, amorem sibi conciliet, neque acrem ostentans a se eos ipso alienet. Ad haec consuescebat constanti observantia perrumpere obstructa; denegandi obtinere pudorem; colorem quaerere, quem probaret; omnium ordinum sibi conciliare quamplurimos, et a quoque quam posset sibi utilitatem suo tempori locoque destinare. Hac re maxime existimabat obsequii contineri naturam, quae velis ita molliter praeparare, et Principi, aut amplissimis Aulae viris tam ad eorum ingenia studiaque accommodate opportuneque proponere; ut ii, quae ex vi ipsa rerum a te suaviter inlata faciunt, ultro facere, et tuo consilio, tanquam sua prudentia, delectari videantur. Ita morum sermonisque civilitate laudem apud Aulicos simul et benevolentiam invenit. Imprimis autem Eleonorae Matris Augustae animum sibi adjunxit: cujus officiis apud Caesarem invalescens, magnus animi praecipuum in Aula sibi olim futurum locum proposuit. Arduam enim pro acri, ut erat, ingenio reputavit ambitionis inire viam, magna sibi ab initio proponere; ut vel ima eo animi ardore et contentione assequi conaretur, ac si ipsa peteret summa; ne parvo honore parto, uti pusilli animi faciunt, acquiesceret, aut in privatam rem abuteretur: sed eum ad ulterioris mox referendi meritum recte gerens, non tempore et mora, sed festi-

Ars Aulae omnium praecipua.

Eleonorae, Augustae Matri charus.

Quae efficacissima amplissimos honores ambiendi ratio.

nata gesti muneris publica utilitate, ad majora dignus provehi censeretur.

Ad aerarii curandi artes potissimum applicat.

Neque vero eam affectare potentiam constituit sibi, sed Principi. Ex iis enim quae animadverterat intellexit, quibus regni artibus Imperator, uti inter Christianos Reges est dignitate primus, ita et potentia fieri posset. Primam ducebat rectam solidandi aerarii administrandique rationem; unde modestas privatim divitias, ingentes in publicum opes; domi concordiam; arma foris expeditissima. Cogitabat autem ingentem Austrio Regi opulentium terrarum tractum parere; et memoria recolebat, universam ferme septentrionalem plagam Slavonica olim lingua usam esse, non ob aliam sane rationem, quam quia Slavonia rerum ferax, mercium commeatibus commoda in quamplurimas ejus orbis terrarum partes pateret. At agrorum culturam primarium, non unicum aerarii subsidium censebat: priscis enim saeculis ex solis naturae fructibus publice partas opes, quia simplici victu ac vestitu humanum genus contentum erat: in hac vero cultus nedum elegantia, sed effuso luxu, ingeniosas earum rerum artes in precio haberi. Bojohemis, ut Germanis, eximia morae patientia; unde opificia in admirationem usque tenuissima. Quanquam opinabatur, populos ac nationes eam habere mentem, quam ipsis indidisset Respublica. Batavos rudes olim, hodie ingenii laude praestare; Atticam contra, omnium olim disciplinarum et artium inventricem, hodie stupidissimos Turcarum educere. Certe Hungaros satis superque ingeniosos; quare inter eos dissidia et factiones crebrae. Regna autem Austriacae ditionis Italiae contermina, ita indolis acumine proxima. Itaque confidebat fore, ut Austriaca Regna, artium cultu excitato, immensas Austrio opes essent redditura. Obstare videbatur Austrium assiduis bellis a potentissimis hostibus exerceri; Germaniam autem Religionis caussa in duas factiones distractam eo regni consilia simul intendere, ut alteri neutra praepolleat; et vicinos Reges opulentum

Cur Slavonica lingua olim Septentrionalibus communis.

Aerarii subsidia agricultura.

Et elegantiae luxusque artificia.

Populi eam habent mentem, quam ipsis indit Respublica.

Imperium in proximo aegre ferre: sed potentiam exercere, nisi alter patiatur, non licet; frugalem domi instituere rationem cuique dari, unde porro potentia. Et Regna Imperiaque, ut cetera mortalia, non extemplo extare cuncta, sed sensim crescere. Jamdiu Armandum Plessium et Julium Mazarinium cardinales amplissimos Gallici Regni recte habendi artes, dum internis externisque malis misere conflictabatur, prospexisse; nunc sentiri, quanti profuerint. Multa tempore nasci, quae non censeas; at consiliis in fortunae casus providendum. Nostrum esse eniti, consiliis quam latissime de humano genere bene mereri; fortunae autem gloriam tribuendam, tempore extitisse; quod bonis consultis utendi obtulit opportunitatem. His rationibus ad curandi aerarii artes sedulo applicuit, quibus ad prima reipublicae munia se compararet; cumque sola civilis vitae institutio in Aula, continentibus bellis exercita, manca, debilis et viro milite aliena videretur, militarem adjungere censuit.

Galliae Regnum inter bella ordinatum.

Laus virtutis est; gloria tribuenda fortunae.

Oeconomica et militaris doctrina cum civili compositae Aulae ministrum absolvunt.

CAPUT IV.

Meret prius in Alsacia, mox in Hungaria; et ab assiduo in pluribus militiae ordinibus per gradus legitur.

Bellum tum temporis ad superiorem Rheni ripam flagrabat. Cum enim Austrius Alsaciam Hungariamque, duo Germaniae claustra, habeat in ditione, cumque reliquos Germanos Principes summosque Reges opibus vincat, si aliis unquam, his maxime temporibus, quibus Galliae Regnum tantum invaluit, Austria Domus sua regnorum majestate praesidio decorique Germanici Imperii omnino esse judicatur.

Alsacia et Hungaria duo Germaniae claustra.

Austria Domus Germanici Imperii praesidium et decus.

Eo igitur Antonius miles assiduus profectus est, quum summum armorum imperium gerebat Raymundus Montecucculus, qui cum Henrico Turena Gallo, suae tem-

Assiduus militat sub Raymundo Montecucculo.

pestatis omnium praeclarissimo belli duce, de imperatoriarum virtutum laudibus gloriaque certabat. Itaque impense gaudebat Italus ab Italo sui temporis maximo belli imperatore belli artes condiscere.

Scientiam militarem vestigat in Ducis exemplis.

Quare animum studiose applicavit ad ejus Ducis militarem scientiam vestigandam: quam utilitatem, agmen hac potius quam illac ducendo, sibi proponeret; cur id loci potissimum castris caperet; qua ratione praecipua ita aciem instrueret; cur modo equestri, modo pedestri proelio, modo divisis, modo universis copiis pugnandum, modo urgendum in hostes, modo cunctandum censeret; et quod, ut omnium difficillimum, ita in ea scientia utilissimum est, qua rei bene gerendae oblata fortuna is pro sapientia uteretur. Ad haec observabat variam nationum militantium naturam; quae ad excursus et impetus; quae ad resistendi moras; quae pedibus, quae equo; ut alia alio telorum genere; quae gravi armorum tegmine, quae levis et expedita valeret. Praeter cetera autem notabat rei frumentariae tempori administratae commoditates, et alia aliunde paratae compendia; eamque rem neglectam, aut impeditam ingentia, et incoeptis et militi et agris, ubi bellum geritur, damna et mala adportare. Ea igitur cura conficiebat, belli tempore, modo virtus adsit, summam reipublicae contineri: nam inde corporum vires, animorum alacritas, armorum inter pacatos innocentia, expeditionum in hostes maturitas, unde potissimum victoriarum felicitas. Ad hoc instar in rerum gerendarum caussas ad rei militaris scientiam comparandam inquirebat; cetera ad belli usum imperiis praesto esse, et alacri obsequio parere, ac in iis exequendis insigne aliquid edere conabatur, ratus facinora in bello egregia honores militiae promereri; cui rem vulgo et communiter bene gerit, sat praemii nomen nationis communi virtutis laude auctum esse.

In variis nationum ad varia belli genera ingeniis.

In rei frumentariae providentia.

In militare imperium inquirere ad scientiam licet; ad parendi deliberationem flagitium.

Praeclarum nationis nomen promiscuae genticorum virtutis praemium.

Quare Offemburgensi Agenaviensique proelio praeter ceteros sui ordinis locique assiduos strenuus spectatus miles; quo merito turmae ductor creatus. Ibi ita se com-

In Offemburgensi Agenaviensique proelio strenuus rem gerit.

Turmae ductor creatus.

paravit: se suorum equitum his rebus primum: in agmine, in acie iis labore et virtute praeire, pericula antecapere: ubi faciundum militare opus, opera praemonstrare: non umbrae somnive deliciis a militum vulgo distingui: neque cibi vestitusque luxu spectari praecipuum: atque adeo, praeter ductum imperiumque, cuncta cum iis habere promiscua. Ita apud eos plurimum sibi amoris conciliavit; quo permoti, rem bene gererent, ingenuo magis pudore ducti quam metu.

Praeclarae Ducis artes.

Hinc in Hungariam ad bellum contra perduelles sub Aenea Caprara militatum missus. Uterque, Aeneas Antoniusque, ea provincia forte plurimum laeti. Gentici enim, qui peregri una sunt, prae exteris, ubi versantur, quibus laxissimo humanitatis vinculo conjunguntur, ceu quadam sanguinis necessitudine se devinctos agnoscunt; quam domi inter suos, quia arctiori premuntur vinculo, non persentiscunt. Aeneas igitur viri singularem in ducis muniis obeundis vigilantiam animadvertens (natura namque somni parcissimus erat, et quandam in oculis vultuque insignem alacritatem prae se ferebat) ei arcem Kalaviam, vulgo *Kalò* dictam, in Hungaria superiore sitam, quae Toccajam et Zattmarium diversis itineribus et satis infrequentibus ducit, custodiendam attribuit.

In Hungariam transit sub Aenea Caprara militaturus.

Cur gentiles peregri chariores.

Arci Kalaviae praesidio imponitur.

Ibi Antonius insolenti belli genere asperoque exercetur: nempe inter perduelles, a quibus te muri non protutantur; ubi intus amici, clientes, cognati, a quibus metus, ne adversarum studia partium foveantur, conspirationes succrescant, unde incauti tumultus erumpant. Sed enim ea arx, in deserto pene loco, vastique agri aequore posita, quatuor quidem ingentibus ad angulos propugnaculis, sed antiqui operis ac semiruti munita, tenui praeterluente rivo, ab Emerico Techelio perduellium principe obtinenda erat; repentino et improvidendo hoste, qui eam intus annonae difficultate, foris crebris incursibus oppugnabat. Tamen Antonius frugalitate, et multo magis exemplo; qui aspere cum

Ejus tuendae difficultates.

militum vulgo victitabat, ac per cautas eruptiones relatis quandoque e longinquo praedis, eum ad custodias vigiliasque sustinebat; in officio continuit oppidanos, arcem servavit.

Sed eos Caraphaeus labores inglorius pertulit: nam cum perduellium modo hac, modo illa manu ei res erat, quae loco incelebri, tempore infrequenti, in latrocinii, non belli morem pugnabant. Neque servatae res eam vulgo pariunt virtutis opinionem, ut partae. Vulgus enim quos rerum motus non sentit nullos putat; et ubi vestigia factorum non videt, facta esse non arbitratur; et tamen in natura sunt quidam insensiles minutissimarum et omnem obtutum effugientium motus, ex quibus immensa haec mundi moles constat et circumagitur: at eos pauci sapientes viri subtili ductu rationum intelligunt; quod multitudini imperitae negatur, quae tantum pinguia rerum advertit. Saepe quiddam in gerendis agendisque rebus surdum caecumque majora parit commoda iis quae perstrepunt aures et aciem oculorum perstringunt. Ita qui servat quod difficile alius obtinere possit, multo utilius gerit reciperante: nam qui reciperat, quae mala rerum mutationes afferre solent non arcet, ac praeterea damna in reciperando perpetitur.

Cur qui servant, non perinde ac qui bello acquirunt, gloriae compotes fiant?

Et tamen sunt saepe utiliores.

Insignior igitur Antonii virtus in Jurchensi prope Cassoviam proelio spectata; ut ei, qui Germanicam equitum legionem legatus ductabat, atque in eo proelio occubuit, sit succenturiatus. Praestans is habetur honos, quem quidem virtute assequaris: sed quid praestantius secum affert, in quem succedas, quo decessor ob eum virtute gerendum simul et vita defunctus est: ea enim res testimonii loco habetur, successorem ejus muneris dignum esse; ne recenti comparatione is, qui honores tribuit, injustitiae manifesto arguatur.

Viri in Jurchensi proelio egregio opera. Germanorum equitum legionis legatus.

Praestans honos, quo decessor per gloriam defunctus est.

CAPUT V.

Catherinam Cardonam uxorem ducit.

Jam Antonius in Johannitarum Equitum numeris pro Leopoldo Caesare octo ferme annis in Germania Hungariaque meruerat; quum et viri praeclarae devinciendorum sibi animorum artes, et multo magis ipsa rerum series, ex qua caussa alia in aliam cuique proximam influunt, quarum cernere affinitatem nobis natura negatum, prudentia tantum tentare permittitur, uxorem ipsi obtulerunt.

In Augustae Aula erat praecipua Herillensium Comes, quae et generis nobilitate, et lectissimae feminae virtutibus, a Mariana Hispaniarum Regina Margaritae Mariae, quam Philippo IV ejus nominis Regi filiam ediderat, primum in juventae regimen, deinde Leopoldo Caesari nuptum missae comes itineris addita, postremo ab ipso Caesare ad Augustae conjugis primariam cubiculi curam delecta. Ea autem tanta Reginarum educandarum arte diligentiaque excelluerat, ut nedum Margarita ipsa, sed et Maria Theresia Ludovici XIV Galliarum Regis uxor, Margaritae germana soror, eam uti alteram colerent matrem, eandemque Mariana suas longinquae parentis obire partes ocioso animo sineret. Itaque eae tres maximae orbis terrarum Reginae quos ipsis charitatis affectus sanguinis necessitudo pietasque excitaret omnes in Herillensis sinu deponere (*).

Catherinae mater.

Margaritae Augustae Comes primaria.

Ea Castronovensium Marchionem duxerat virum e Cardona, una ex familiis prognatum, quarum conditores, Carolum Magnum in Hispaniam bellum contra Mauros inferentem secuti, in Catalaunia consedere; ex hac autem orti ab oppido Cardona, quod in ditione habue-

Pater et genus.

(*) Ex compluribus Epistolis Marianae Hispaniarum ac Mariae Theresiae Galliarum Reginae ad Herillensem scriptis.

runt, duxere nomen. Ab eo Catherinam enixa, quam patre orbatam secum in Germaniam duxerat, et in Mariae Antoniae, quam Leopoldus filiam ex Margarita susceperat, secundas habebat curas.

Amplissimae matrimonii caussae.

Sed cum Margarita supremum obisset diem, Herillensis seu ne praesentibus et observantibus Augustae Alumnae defunctae munimentis luctuosis et importunis afflictaretur, sive quod non eundem potentiae obtineret in Aula locum patriae et suorum desiderio integrascente, tandem in Hispaniam reverti decrevit. Ubi Mariana per ejus literas id rescivit, quando Herillensi ita facere certum esset, saltem Catherinam in Germania manere volebat; ut Antonia neptis, amissae filiae solamen, Hispanam feminam, sub qua jam adolescebat, jamque educandi arte spectatam haberet comitem. Nam Hispani Proceres Augustam puellam hispaniensibus formari moribus cupiebant, si quis ei in Hispanicam Monarchiam successionis casus se forte daret. Cum enim Philippus unum omnino filium superstitem, Carolum reliquisset, et Maria Theresia major natu filia, quam Ludovico XIV Galliarum Regi nuptam modo narravimus, Hispaniensis se Imperii successione abdicasset, opima hereditas, si Carolus in orbitate moreretur, ad unam Antoniam redire putabatur. Quare quum postea Leopoldus Aug. eam Maximiliano Emmanueli Bavarorum Duci nuptui tradidit, in dotis legibus quoque cavit, ut Antonia omni materni stemmatis jure sibi suaeque posteritati concederet: cujus cessionis ignari rerum publicarum prudentes, deflexa specie, renovatum Philippi II Hispaniarum Regis exemplum conjectabant; qui Isabellam Claram Eugeniam sororem Alberto Austriae Archiduci uxorem dedit, et dotis nomine ipsi ejusque posteris perpetuam Belgii provinciae procurationem demandavit, quo Austria Domus pluribus fundamentis insisteret. His de caussis Regina ad Herillensem scribit se cupere, ut prius quam Germania abiret, Catherinam matrimonio collocaret; polliceturque se eam Caesari omni officio commendaturam; et Josepho

Nuptiarum gravitas.

Spinolae, Balbasensium Marchioni, Hispano apud eundem Legato Viennae agenti mandaturam quoque, ut in ejusdem nuptiis suam publice ferret auctoritatem. Igitur Herillensis, quanquam a filia, cujus diligentissima erat, per omnem vitam segregari iniquo animo ferret, tamen ut ei et Caesaris et Reginae gratiam servaret partam, pararetque majorem, de viro ei deligendo deliberabat.

Sed quae consilium differebat, sors maturavit. Mos enim Aulae, ut rusticandi temporibus summates viri primarias Augustarum comites alius in aliam villam invitent, et hospitalibus officiis prosequantur. Antonio Catherina cum matre evenere. Is igitur in villa, quam ad id utendam acceperat, tanta comitate, elegantia lautitiaque eas habuit, ut omnes aemulos facile superarit. Iis liberalibus viri officiis Herillensis devincta, eum conjugem filiae destinavit. Conjugii occasio.

Probavit placitum Eleonora, ut quae Caraphaeo impense favebat; sed Caesar graviori consilio probavit. In Antonio enim amplissimi viri, qualis postea fuit, insigne specimen observabat; uti et Antonius Pignatellius, tum temporis Pontificis Romani ad Caesarem legatus, ex augusto viri vultu, decora facie et oculorum vigore eximio, ac non vulgarem in sermonibus rerum prudentiam perspiciens, eum ad maximos olim honores provehendum praesagiebat. Quare postea Summus Pontifex creatus, cum Antonius in Italia cum summa rerum gerendarum potestate ad Italos Principes legatus ageret, suo judicio gaudebat; et cum Neapolitano nomine gratabatur *popularem suum super Germanis, Italis Hispanisque praeter omnia majorum exempla tantam habere potestatem* (*). Ob haec Caesar censuit, quando Herillensis esset in Hispaniam commigratura, Caraphaeum ei Regi subditum ejus filiae virum dari, ut apud Hispanos quoque de sua republica bene mereri conaretur; et per has ipsas, sed in contrarium tractas rationes, rem Caesaris super eo matrimonio consilium.

(*) Ex Abb. Matthaei Herculani Epistola ad Caraphaeum.

Contraria Hispano Legato ex iis nuptiis proposita utilitas.

probavit Legatus: malebat enim Catherinam Caraphaei quam Germani viri domum induci, ut in Caesaris Aula, et militaribus campis, Regis sui studiosum haberet.

CAPUT VI.

In superiore Hungaria mereri pergit, et amplioribus militiae ordinibus insignitur.

Bellorum civilium foeda atroxque conditio.

Hinc Caraphaeus Hungariam repetens mereri pergit adversus hostis genus, a quo cum nulla armorum honestas staret, omnia saeva nefariaque cavenda erant. Nam civilium bellorum auctores provulgatis sceleribus suas solent firmare partes; cumque earum duces quasi precaria gerant imperia (nam mobilis vulgi incertis studiis sustinentur) infinita est multitudinis armatae licentia, quae caedibus ultro ferociens nullum habet irarum modum; neque ducibus, ut maxime velint, licet clementia uti; ne a plebe sibi sceleris conscia, rerumque imperita, et utramque ob caussam suspiciosa perfidiae arguantur. Accedit, quod poenarum severitas, quae perduelles victos manent, ipsis, si forte vincant, ad crudelitatem animos acuant. At in bellis externis communes fere plerumque irarum caussae, gloria nominis, vel Imperii amplitudo; quas res victoria, ab utra stet parte, decernit: cum in civilibus bellis privatae odiorum rationes quamplurimae nec proeliorum exitu terminantur. Cum hoste externo, si stet a civibus obsequii fides, agri, tecta, ceteraque inanima pugnant; at inter perduelles infensa et infesta vel ea ipsa quae tibi pacata esse videantur.

Ob haec omnia Caraphaeus cum gente insuper ad incursus pernicissima, cum insidiosissimo Duce bellum gerens, multi agminis labore, plurima explorandi solicitudine, continentibus vigiliis exercebatur; ut victoriae loco haberetur in partibus sibi attributis ditionem in Caesaris obsequio obtinuisse. Hinc Germanorum equi-

Germanae equitum

tum legionis ductor creatus; is ibi duûm millium et quingentum virorum rigidum se factum parentem ratus est; quos esset in bellicis meditationibus aut aerumnis aspere, in laborum ocio lenitate, recturus. Principio itaque usque ad fastidum curiosus valentes procerosque corpore, ipso aetatis flore, feroces aspectu legere; militem in corporum cura, lautitia vestium et elegantia, equorum cultu sedulo observare; intelligebat enim squalorem ac situm, uti equorum, ita hominum robori obesse; ita ut quod in copiis recensendis explicandisque nitentes utiles faciat. Invigilabat Centurionibus ne disciplinae vilem facerent quaestum; neve miles ab iis justi vacationem muneris, nedum aerumnam ullam redimeret; ut opere aut opera militari omnibus ex aequo tributa, omnes aequo animo rempublicam gererent. Cavebat ne in agmine, aut acie quicquam in motu, statuve virorum equorumque inaequale unquam offenderet; unde ejus legio unum corpus uno spiritu moveri aut stare videbatur: qua una in re omnis militiae bonus ordo continetur, ut una mole in hostes ingruat, et quasi objectus murus adversus insultantes obsistat. Praemia vero sine ulla ambitione offerebat virtuti; praesentes quoque poenas cum summa severitate in flagitia exercebat; neque ad ordinem militarem viros aut ab Augusti matre, aut Poloniae Regina Lotharingii Ducis uxore (1), aut aliis Principibus summis (2) commendatos, nisi meritos eosdem provehere: itaque apud eum una virtus sola non erat, et spectata pro commendata satis superque habebatur. Cogitabat enim si urbanos honores non pro dignitate tribueris, quamquam id rempublicam labefactet, dari tamen emendandi vicii moras et appellationum tem-

Legionis ductor creatus.

Duces severi militiae parentes.

Qui militum ab eo delectus.

Quae corporum cura?

Adversus disciplinae quaestum obviam ibat.

Ordinis militaris diligentissimus erat.

Ordinis militaris virtus.

Praemia ex merito et ultro; poenas severe et citas tribuebat.

Immeritos praemiis affici in rebus belli periculosissimum.

(1) Ex pluribus earum Epistolis super ejusdem rebus ad Caraphaeum scriptis.

(2) Ex Epistolis Septemviri Palatini, Bonvisii Cardinalis de eodem argumento, ex lib. II. Epist. Summorum Principum, bellique Ducum, aliorumque amplissimorum virorum ad eundem.

peramenta; at in rebus belli, si una cohors aut turma inter proelia, aut imperitia aut degeneri Ductoris animo, summi Ducis imperium praevertat, irreparabilem summae rei calamitatem afferre posse. Praeter cetera illam avarae militiae malam fraudem, quae saepe maxima bella perdidit, a sua legione omnino abesse curavit, vanitatem scilicet numerorum. Nam saepe Reges decepti, cum multo plus virorum in exercitu, quam re ipsa habuerunt, se habere putarent, inani virium fiducia proelia commiserunt; qui si verum copiarum rationem tenerent, detrectando pugnam, rempublicam conservassent. Itaque supplendi militis diligentissimus erat, nec vel unum in ulla suae legionis turma inanem numerum recenseri passus est.

Vanitatem numerorum a sua legione prohibuit;

Gravium in bellis malorum caussam.

Caraphaei legio laudatur a Caesare.

His de caussis Caesar, cum forte recensendis copiis adesset quae in Hungariam ibant militaturae, ubi Caraphaei legionem egregiis equis, delectis viris instructam, armis insignem, vestibus elegantem, aspectu praeferocem traduci spectaret, suo in eum beneficio collato letatus est; et Lotharingius postea praecipuam Caraphaei laudem esse dicebat militis delectum et curam (1). Itaque cum postea militum Tribunus creatus est, singulare jus in eum a Caesare constitutum, ut ipsius legio ab eo nunquam abscederet. Ob id alii legionum ductores, aut Duces summi praeclare secum actum esse putabant, ubi eae sub Caraphaei imperio hyemarent; sub quo sciebant, militem suum recte curari, et ab eo recipere quam lectissimum (2). Et is saepe querebatur: « sibi fere semper injungi ut alienas legiones perditas restituat; aliis autem foecundas gloriae provincias cum eo militum robore demandari ».

Ejusdem laus ex Lotharingii Ducis judicio.

Caraphaeae legionis jus singulare.

Legionum per acies conflictarum restitutor.

(1) Ex libro Epistolarum Lotharingii ad Caraphaeum.

(2) Ex Epistolis Bavari Ducis ad eundem in Hungaria hyberna habentem; ex Epistolis Marchionis Brandeburgici ad eum ipsum hyberna disponentem post Maguntiam Bonamque receptas, quae extant in vol. III Epist. quas summi Principes, summique belli Duces, aliique amplissimi viri ad eundem scripsere.

Cum suo igitur hoc milite in superiore Hungaria contra Techelianos perstat: qui, bacchantium similes, qua pervadunt, cuncta igne ferroque corrumpunt; cumque in crebris cum Germano milite occursibus numero et insidiis victores fere semper extitissent, jam hostes imminebant toti provinciae formidandi. Itaque Caraphaeus sedulo invigilabat fines suae tutelae permissos ab ejus lymphati hostis insultibus protutari.

Adversus Techelianos usquequaque furentes provinciam in partibus sibi commissam tuetur.

Ubi Techelius novit difficile Caraphaeum nec opinantem insidiis patere, in oppida agrosque, queis praesidio erat, nihil temere audebat. Quare Antonio multa proeliis clarescendi praerepta copia: quod tamen aequo animo patiebatur, dummodo rebellionis incendium omnia depascens a finibus sibi commissis arceret. Tandem evenit, dum Scepusiensi ditioni praeesset, Techelius satis fidens copiis, quibus instructus erat, in ejus fines irrumperet. Caraphaeus, pro solita vigilantia instructus intensusque, occurrit, adest; committitur proelium, acriterque pugnatur; hinc in minori numero virtus, illinc furor multitudinis et desperatio diu anceps eventum sustinuere. Germanae turmae caesae quatuor, quae ingruentem hostium vim sensim lassantes superstitibus victoriam pepererunt; et Techeliani castris exuti, ultra fines in fugam acti, ac Scepusii ditio servata.

Techelius contra Caraphaeum non temerarius.

Ad Scepusii fines cum Techelio pugnat, fundit, castrisque exuit.

His promeritis militum Tribunus a Leopoldo creatur, ea singulari lege inrogata, ne ab eo ipsius legio unquam segregaretur. Is ad id amplissimum munus administrandum his se rationibus comparavit, ut prima curarum esset servare cives; deinde nihil fortunae committere, quod is prudentia cavere posset, dictitans: « Fortunam in bello dominari oportere quae in ipsius sunt ditione, casus nempe humano consilio majores; eumque Ducem, cui eae opportunitates secundant incoepta, fortunatum dici; cui autem incauta prospere eveniunt, temerarii subire notam; neque fortunae imputandum, quod ex prava belli administrandi ratione, si quam forte hostis instituerit, vincendi tibi captaveris occasionem; id enim

Militum Tribunus creatur.

Egregiae Ducis artes.

Quae in bello permittenda fortunae?

Sapientia est hostis stultitia recte uti.

ipsissimam sapientiam esse hostis stultitia recte uti». Hinc illud principio curare ne te in eas angustias conjicias, ut tua de manu excidat libera rei gerendae potestas; tum, ubi gerenda est, omnia praecipere animo, quae cadere humanitus possint. Unde inter proeliorum turbas Duci nihil trepido aut festinanti summa mentis constantia et tranquillitas constat, quod nulla ei rerum facies nova surgat aut inopina; et destinato in utramque fortunae partem proeliorum fine, neque auscultare irae, et, adverso Marte pessundante, se dare praecipitem, neque cupiditati obtemperare, qua saepe victores profligandi hostis avidi, ab eo abjecto perculsi sunt. Eam militarem sapientiam existimabat Duci parare auctoritatem: cum enim de belli imperatore ea constet opinio eum nihil temere aggredi vel conari, inde fiduciam addi suis, metum hostibus incuti: unde imperatoria laus egregia, magnas res metu armorum magis quam armis gerere. Ad hoc instar Caraphaeus amplissimum opulentissimumque Transylvaniae Regnum, ut infra narrabimus, Caesari constabilivit.

Unde inter proelia Ducibus mentis constantia?

Unde iidem agendi patiendive modus?

Sapientia militaris Ducibus gignit auctoritatem.

Eximia imperatoris laus.

His igitur rationibus obfirmatus sibi imperavit vulgi sermones contemnere, cui suapte natura violento ac praecipiti facile audacia pro fortitudine imponit; et ob rempublicam lubens degeneris pusillique animi ab aemulis insimulationem subire. Nam saepe dicebat (1): «Belli Ducem et politicum virum utilitatibus partis aestimari oportere; utrumque bonum, qui rempublicam auxerit, idque adeo si virium compendio magnam rem fecerint: qui vero ob nullum aut exiguum fructum orbem concutiunt, similes eorum esse qui precia rebus indicant, non ex ipsarum virtute, sed sua ex opinione; et apud multitudinem inanem captare famam qui a sapientibus viris turbulenti homines dicerentur. Ob id eos non laudabat belli Duces, qui pro quavis expeditione Darii, ut dicebat (2), copiis, Croesique thesauris

Belli Dux et vir politicus utilitate aestimandi.

Scita Caraphaei comparatio.

(1) Ex ejus Epistolis ad Kinskium.
(2) Ex ejusdem ad Kinskium Epistolis.

instrui postularent; eos vero unos suspicere, qui ita bella administrarent ut paucis copiis parvoque ære maximas provincias confecissent ». Ita Agriam Mungactiumque subegit, quae munitissima oppida si quis alius tentare vi vellet ingentes utrobique exercitus confecisset.

Cur Caraphaeus non perinde belli Dux ac vir politicus vulgo habitus.

His de caussis apud homines scientiae militaris imperitos Caraphaeus politicus vir magis quam bonus belli imperator habitus est; qui tamen a Lotharingio, Caprara (1) aliisque praeclaris belli Ducibus, ac saniore bellici Senatus parte, quin et a Caesare ipso (2) optimi armorum Ducis honestissimas retulit laudationes.

CAPUT VII.

In belli Techeliano-Turcici initia et caussas excursus, quo Caraphaei in eo gesta illustrius exponuntur.

Sed jam fortuna Caraphaei virtuti opportunitatem parat amplissimam summis armorum imperiis clarescendi, occasione belli Techeliano-Turcici oblata: in quo quia is praeclarissima incoepta sive consiliis expedivit, sive armis confecit; et imprimis ingentes exercitus, exhausto aerario, summus belli Quaestor expromptis stipendiis sustinuit; Eperiesina conjuratione vindicata, teterrimos perduellium conatus oppressit; Mungactioque capto, eorundem partes afflixit; Transylvaniam, praecipuum ejus intertrimentosi belli fructum, in Caesaris obsequium redegit; plurimumque de pace Turcis danda agitavit: quo ejus acta gestaque illustriore ad narrandum sita sint loco; ejus belli non per partes, ut alii fecere, sed ex genere, quae una scribendi ratio utilis ad legentium doctrinam, initia caussasque altius latiusque narraverim.

(1) Ex eorum Epistolis ad Caraphaeum.
(2) Ex lib. Epist. Kinskii ad eundem.

Turcicum Imperium totum factum ad vim.

Ejus jam quoquo versus defixi fines, ab occidente tantum per bella proferuntur.

Fines in Africa.

Ab oriente plaga iidem qui Romani fines.

Par Turcarum Persarumque potentia.

Cur Turcae a Tartaris abstinentes?

Compotes cujusque vicini maris.

Turcicum Imperium egregie comparatum ad vim, quae nisi crebro exerceatur resolvitur, quoquo versus per terrarum orbem longe lateque diffunditur. Sed ab omni reliqua terrarum plaga haeret; in occidentalem vero nunquam non sine prolatorum finium progressu movetur. In Africa namque regiones, natura cultuque bonas, Aegypti continent claustra; immenso arenarum aequore dissita vectigales Reges habent: per cetera vasta fames sitisque, et lethalium serpentium immaniumque ferarum pericula Aethiopes ibi gentium potentes arcent. Qua sol exoritur iidem ferme fines, qui olim Romanas, nunc Turcicas Provincias disterminant; et Persa, qui olim Romanis Parthus, nunc Turcis Sophus, mutato nomine idem metuendus hostis, in minori quidem Regni ambitu, sed civilitate cultioribusque artibus intentiores acutioresque vires exercet; nam quod Persis stemmatum nobilitas, id Turcis generosa Janicsarorum militum institutio ad bellicam virtutem compensat, et ut illis robur atterunt vitae deliciae, ita his quidam animorum stupor alacritatem obtundit. Itaque pari ferme potentia, et acerrimis ob diversas, quas colunt, superstitiones odiis, quae una utrisque perpetua bellorum caussa, victoria partis diu neuter insistit: sic Turcis ab ea parte ulterius dominandi libido occlusa. In septentrionali autem Orbe Tartaros sylvestris horridaque vita per immensos camporum tractus sub dio, palanterque agitata tutos facit; neque enim ea civium frequentia Turcica Respublica scatet ut colonias in devictas terras deducere necesse sit; et provincialium magistratuum avaritia crudelitasque urbes civibus, agros cultoribus passim vastat. Ad haec Tartarorum Hamus, in Osmanici Imperii successionem, sicubi olim ea exhauriatur familia, vocatus, excursiones, populationesque, quibus unis valet, Turcis sibi aeterno belli foedere junctis, in eorum, quibus cum bella gerunt, perniciem, saepe gratificatur. Quicquid autem insularum hoc immenso terrarum continenti adjacet interjacetque, jam ei imperio paret.

Itaque ejus ulterioris dominationis cupiditati una ab occiduo sole regna objiciuntur Moschum, Polonicum, Hungaricum et Venetorum Respublica, quae a borea austrum versus perpetuo fine directa universum Christianum nomen a Turcica vi quasi interjectus murus protutatur. Hinc indignationis stimuli Musulmanico fastui adduntur, quod Constantinopolis Imperii sedes in hoc continente sita; unde dignitati foret ejus hostes quam longissime agere; at ab unaquaque earum, quas numeravimus, gente, multas magnasque terrestribus proeliis accepisse clades per expeditos nuncios triduo aut summum quatriduo obnunciatur; et auctoritatem existimationemque regni graviter minui, opinione potentiae longinquas ditiones in officio continere, et in proximo maximos exercitus a paucioribus fere semper hostium copiis fundi profligarique. At hercule Turcica tumiditas infremit maritima armorum dignitate a Venetis longe superari, quod ingentes ipsorum classes ab iis victae, incensae, obrutae, depredatae; cumque nuper jam Cretae potirentur victores, a Venetis triremibus ad Hellesponti fauces Regiam saepe obsideri, ut vitae necessariis laboraret. Neque hanc, ut Persicam, uno spiritu potentiam regi: nam Moschi Polonique inter se infensi, et Polonus, Austrius Venetusque aliud alii conducere sibi putant. Hinc Turcis adversus eas gentes bellorum fomes aeternus.

Limes Imperii Turcici ab occidente Moschum, Polonicum, Hungaricum Regna et Venetorum Respublica.

Caussae intenti Turcarum odii in Christianum nomen.

Quae Turcis adversus Christianos aeterna bellorum inlecebra?

Sed enim Moschum Polonicumque regna parum inde imminuta, sive quia par regnis cujusque virtus, sive quia Tartarus, cui magis praetenduntur, ea suis praedationibus servat; quare neutrum alteri praepollere in sui perniciem curat. Veneti trium Regnorum Euboeae, Cypri Cretaeque inlachrymabilem jacturam fecere; sed insulis longe dissitis, quas Turca suo continente e proximo quasi perpetua obsidione cinxerat, tandem potitus est. Damna cominus gravissima perpetuo tercentum ferme annorum spacio Hungaria accepit, quia prae ceteris ea Constantinopolim versus per ipsius Turcae ditiones ma-

Cur ex omnibus Hungaricum regnum maxime infestatum a Turcis?

Turcae proximo continente potiundo adjacentes obsident Insulas.

gis insinuatur, et inde tamen reliquo Christiano orbi dominandi spes promptior. Intelligit enim barbarus hostis, sibi Bellogrado stante, suas Europae provincias constare, et Vienna Austriorum capta, ad cetera Christianorum regna invadenda patere viam. Ob has caussas bellis Hungaria Turcicis continenter infestata; nec unquam iis impetita, quin in pacis foederibus feriundis aliquid insigne ad regni amplitudinem vel securitatem abstractum.

Bellogradum Turcici, Vienna Christiani Imperii claustrum.

Initia ab Hungaris per Procerum factiones.

Hungaria *Domina gentium* dicta factionibus deartuata.

Initia autem ab Hungaris usque facta per Procerum factiones, quibus Hungaria, antiquitus *Domina gentium* dicta, miseris modis dilaniata ac discerpta; et provinciae, tanquam disjecti artus, primum in minuta imperia sub suis quaeque Regulis, quos *Despotas* dicunt, abiere; deinde aut in Turcicas provincias redactae, aut in iis Principes Turcis quoque vectigales constituti. Sic jam inde, quum Baisetes Turcarum Dominus ejus ditionibus primum adhaesit, Bulgaria, Boznia, Dalmatia, Croatia, Slavonia Turcico dominatui servire; Transylvania autem, Valachia Moldaviaque in Principatus Turcis mancipatos dilapsae. Post vero quam Soleimanes, Bellogrado Serviae principe urbe expugnata, patens invasionibus Viennam usque munivit iter, Strigonium, primam divinarum caeremoniarum sedem, Budam Regni caput vi cepit, Viennam ipsam obsidione tentavit: unde in meliorem Hungariae partem Turcici Imperii fines producti, et ab Soleimanis successoribus nunquam non Hungaria sub nativis Regibus afflictata, et aliquid inde decerptum. Postremo cum regnum ad alienigenas Austrios per successionem rediisset, ex iisdem caussis alia bellorum initia extitere.

Optimatum Hungariae de ejus Regni constitutione sententia.

Nam qui Procerum Austriis Principibus fidi bonique erant, praesentia et tuta obtinere satius rebantur: etenim per tot, tanta tamque diuturna, quae Hungaria ab intestinis dissensionibus accepit mala, rebus ipsis experti erant, eam reipublicae formam, qua regnum per libera comitia demandaretur gereretur que, omnino inutilem

esse; omnia ferme regna principio ita fundata, sed utilitate compertum melius successione deferri, et unius arbitrio cuncta regi; et ex omnibus rerumpublicarum formis hanc firmam ac stabilem ad temporum perennitatem longissimis per terrarum orbem regum successionibus perpetuisque doceri. Itaque Hungariae, discordiis civilibus fessae, censebant rationem non aliter constare posse quam si uni redderetur.

Regna per successionem delata diuturniora.

Alii vasti cupiditate vetera et incerta respicere; vicinisque Polonis regnum per suffragia delatum invidentes, ex sua gente atque ordine ad id fastigium evehi, seu studiis et ambitu, seu vi et factionibus exoptare. Neque ea fluxa putare vota, memores Franciscum Botskajum, acri et plusquam civili animo virum, armis contra Rodulphum Caesarem impie sumptis, Hungariae Transylvaniaeque Principem fuisse renunciatum. Animos ipsis faciunt opes privata fortuna majores; clientelae, ex quibus justos exercitus possint conscribere; et munitissimae, quas beneficio habent, urbes arcesque; et quae bonis civibus sunt argumenta, ut modesto Austriorum regno laetentur, inde turbidi ad id evertendum captare opportunitates. Nam in communi ad momenta virium expendunt, suam gentem ferocem, bello inclytam, liberrime constitutam, et inter duo praepotentia Imperia, Germanicum Turcicumque, tamquam in freto, aestuantem; atque ex ea viginti ferme virorum millia sub quatuor Hungaris quoque Ducibus ad fines tutandos sub armis agere; et Hungarum militem aperta urbium custodire, Germanum tamquam ab eo obsessum arcibus insidere. Itaque per flagitiosos in ea militia dispersos sperant faciles cum hoste commeatus, vicina conloquia, utraque inobservata; et per eosdem confidunt prodi posse rempublicam. Opportunus quoque novandis rebus quandoque visus est amplissimus Regni Magistratus, *Palatinus* dictus, appellatione pene Regia (*) de-

Turbidorum Procerum consilia.

Facultates.

Vires.

Opportunitates.

Bellicosum gentis ingenium.

Constitutio.

Limitanea militia.

Regni Palatinus.

(*) In libellis enim, quibus ei preces fundunt, praescribunt: *Serenissime Princeps.*

coratus, et in Comitis loci dignitate vel Transylvanorum Principe prior. Is libertatis Hungaricae custos adversus Regis placita, siquae forte eam minuant, intercedit. A Palatino commodus quoque reputatus Regiae Curiae Judex, idem summus armorum Regni Praefectus, et omnis controversi juris disceptator. At sive haec deficiant, seu non sufficiant, recordantur Gabrielem Bethlenium Georgiumque Ragoctium Transylvanos Principes prosperis armis sibi adsertores fuisse. Libidini dominandi libertatis colores inducti, *Decretum Stephani Regis cognomento Hierosolymitani super libera regni electione desiderari; grave stipendiorum indictum onus; adversus Germanos magistratus querelae.* Haec omnia superstitione perfundunt: nam ea gens Lutheranorum Calvinianorumque, aliisque omnis generis novatorum erroribus labefactata; et Austriis Regibus expedit Hungaros Romanam sacrorum religionem profiteri, quo majori pietate cum finitimis Turcis bella gerant. His consiliis capiendis Transylvani Principis Aula veluti curiam praebet; et si secus cadant, eadem offert suffugia: nam Transylvania *Hungariae arx* vulgo dicta. Succedentibus incoeptis facile, quibus Austrium nomen invisum, vires seu clam seu palam sociaturos sperant. Dubiis rebus Turcarum implorandam opem constituunt; desperatis autem ausorum gloriam superesse.

Regiæ Curiæ Judex.

Auxilia.

Rebellionis colores.

Transylvanica Aula rebellionum Hungariae fucina.

Et rebellium asylum.

Ad casum quaqua se daturum se comparant.

Weselenianae conjurationis historia.

Hinc Weseleniana conjuratio ex iisdem caussis concepta, aliis atque aliis initiis extitit. Nam a Leopoldi regno instituta sub diversis auctoribus argumenta quidem mutavit, idem tamen foedum obstinavit consilium; quo tandem tantorum fons malorum erupit, ut ipsis auctoribus exitiosa, non modo Hungariam, sed Imperium, Christianumque nomen universum in Turcicam pene abriperet servitutem.

Franciscus Weselenius prima fax.

Franciscus Weselenius Hungariae Palatinus prima veluti fax eam flammam corripuit, temporis successu in maximum Asiae Europaeque incendium exarsuram. Is gnarus a Caesare arcana consilia elicere, eaque prodere

conjuratis, vivus mortuusque pollentiores Regni Proceres, plurimamque nobilitatem suas sive duxit, sive adeo traxit in partes (1). In iis praecipuus Petrus Zrinius Croatiae Regni Moderator, *Banus* vulgo appellatus, Nicolai Zrinii frater, qui *Turcarum terror* dictus est, et invidissimo apri dente inter venandum ceciderat. Is generis amplitudine clarus, fratris gloria celebris, virtute fretus sua, magnisque adfinitatibus potens, Franciscum Ragoctium Georgii Transylvanorum Principis filium, quem Helenae Veronicae gnatae suae nuptiis sibi conciliaverat, Franciscum Christophorum Frangepanium, qui unus ex ea splendidissima domo supererat, uxoris suae fratrem, suas seduxit in partes; transversi et in eas acti Franciscus Nadasdius supremus Curiae Judex; et cum alii proceribus Stephanus Teöcheölius, sive Techelius Kermarkensium Comes, Aruensi ditioni cum summo imperio praepositus; cujus tandem filius Emericus indignantia ejus teterrimae conjurationis fata clausit. Hisce omnibus, seu clam seu palam, perpetuo affuit Michaël Apaffius Transylvanorum Princeps, sive potius Michaël Telechius, qui sub socordis Principis persona vim tenebat Transylvanici Principatus.

Petrus Zrinius.

Franciscus Ragoctius

Franciscus Christophorus Frangepanius

Franciscus Nadasdius.

Stephanus Techelius

Conjurationis successor Emericus Techelius.

Transylvanus perpetuum conjurationis fomentum.

Zrinianae conjurationis haec summa: civium virtus in Turcas non ex Principis arbitrio, qui summam belli pacisque potestatem habet, moderata; honores a Caesare sive ad devinciendos sibi, sive demulcendos eorum Procerum animos frustra demandati; adrogantia eorumdem merita; intutae Principi honorum petitiones; repulsae in perduellionem erupturae. Hinc primum novarum rerum arcana vota; mox turbidae voces libellique; posthaec immania ausa in sanctissimam Leopoldi vitam vel justis hostibus detestanda. Nam ferro eum (2) in arce

Zrinianae conjurationis summa.

Conjuratorum nefaria in Caesarem ausa.

(1) Ex Edicto Michaëlis Apaffii Transylvanorum Principis, quo bellum contra Germanos pro Hungaris exulibus capessit.

(2) Impio Stephani Wittnyedii suasu, dum Caesar Margarithae Mariae, Philippi IV filiae, novae nuptae, parvo comitatu ibat obviam, in ea Wittnyedii arce unam noctem diverteretur.

Kaszsza, Viennae igne Pottendorfii (*) apud Nadasdium veneno tollere decreverunt. Sed infandi doli seu Principum fortuna, seu conjurationum fato, retecti. Ex iis indiciis desperatio; ex desperatione tumultus: quibus in Germanum militem incautum nec opinantem saevitum; per temerata hospitia summi Caesaris intercepti duces; apertum postremo bellum. Interea apud libertatis intemperantes, impatientesque servitii stulta ac perversa consilia; Regnum, tot Proceribus inlustre, qui infinita in clientes exercent imperia, in libertatis statum transformare; vel Turcico dominatui vectigalem Principem inter eos Summates constituere, qui Reges suos libera omnino majestate praeditos fastidierunt ac divexarunt. Itaque sub effraenis libertatis specie vecors grassabatur adfectatio potentiae. Per omne id tempus a Caesare lenia remedia tentata; sed apud conscios se aspera meritos, frustra erant. Tandem quum Germanorum virtute perduellium victa vis, et regni prudentia eorundem delusus furor. Lex Majestatis in praecipuos conjurationis exercita; lapsae multitudini indultum; Zrinius, Nadasdius ac Frangepanius securi percussi; Weselenius enim communi fato poenae praereptus est; Ragoctius vi et armis ad Caesaris obsequium retractus; Stephanus autem Techelius ex aegritudine animi obiit, dum Agriae obnixe substinet a Germano milite obsidionem.

Perversa perduellium consilia.

Praecipuorum conjuratorum exitus.

In profugis autem ejus filius Emericus, dubia forma adolescens, sexum ementitus custodias fefellit; ac in Transylvania receptus est. Is incredibilis confidentiae juvenis, et inexplenda dominatus cupiditate, cui nunquam fortuna, qui nunquam fortunae cessit, perduellionem longe gravius integravit. Etenim praestantis formae dignitate solers lectissimarum animos feminarum inlicere, earundem studiis ad potentiam utebatur. Itaque adfectata cum Telechio adfinitate, filiam ejus sibi desponderat. Tum temporis Leopoldus Caesar bellum ad Rheni ripam cum

Emerici Techelii Eicon.

Factionem sibi parat.

Conjurationis tempus,

(*) Id enim oppidum in Nadasdii ditione erat.

Ludovico XIV Rege Galliarum gerebat; cumque Galliae Poloniaeque Reges in gratiam rediissent, quam restitutam amicitiam Bethunesiorum Regulus Polonae Reginae germanus frater, et Magni Poloniae Cancellarii sororius, Galli Regis nomine in Poloniam cum eo Rege venerat gratulatum, multi per id regnum bello sueti ac militia dimissi ociabantur. Per has igitur occasiones Telechius, ut futuro genero regnum pararet, Apaffio auctor est, ut profugos in fidem recipiat, iisque bello adsit. Hinc Transylvanus, tum suis tum alienis conlectis viribus, ex quinque et viginti virorum millibus exercitum conscripsit, et exulum nomine bellum Telechio, armorum regni perpetuo duci, administrandum permisit. Sed cum id a proscriptis, et Techelio maxime, in montanis avare gereretur, et seditio a militibus ob non soluta stipendia facta esset, vix incoeptum refrixit. Et Neomagensi pace perduellium hebetatae vires; atque a Polono Rege proscriptio in eos qui amplius in eam militiam nomina darent, sancita est.

Locumque obit.

Transylvanus ei bellum contra Caesarem gerit.

Quod mox restinctum.

Hinc idem Telechius ad Turcas convertitur; et auctoritate, qua apud eos purpuratos plurimum pollebat, rem Weselenio, Zrinio, aliisque inrito tentatam (quia Turcae per omne id tempus Cretensi bello distinebantur) perfecit, ut Emericus Techelius a Turcico Senatu Hungariae Princeps certo tributo imposito appellaretur, ea lege ut eo mortuo electio ad Regni Comitia rediret. Arripuit eam subigendi Hungarici Regni ansam Mehmedes IV Turcarum Imperator; et Kameneco Polonis, Neosolio Germanis, Venetisque Creta ab se bello abreptis, hanc opulenti bellicosique regni clientelam, veluti victoriarum cumulum addere, praeclarissimum ad aeternam Imperii sui famam putavit. Kara Mustapha, summus Turcici Imperii Procurator, quem dehinc Primum Vezirium cum Turcarum vulgo appellabimus, Principem sua sponte venientem rapit; ut, novo per hanc occasionem exorto bello, lubricum domi munus, foris intrepidantius gerat. Itaque respondet: « Mehmedi promptum in fidem Te-

Hungariae Regnum adfectat sub Turcica clientela.

chelium recipere, sed exercitu instructissimo opus esse, ut eumdem constabiliat armis ».

Caesar induciarum fidem a Turcis requirit.

Caesar, ubi a Turcis ingens bellum apparari sensit, Albertum Capraram ad Turcicum Senatum ablegat, qui ab eo Raabensium induciarum fidem reposcat; Cl. autem Saponaram ad Techelium mittit, qui eum ad obsequii officium reducat. Sed is, cum sat a Telechio sibi munitam ad Regnum viam intelligeret, sciretque eum quia Caesarem plurimum laeserat, necessario suis in partibus perstiturum, ejus filiae repudium mittit: eoque facto Saponarae probat, se jam a Transylvano Principe, sive adeo a Telechio, Caesaris hostibus descivisse; et tam doctis dolis eum circumducit, ut per vana obsequii promissa non modo Caesaris clementiae restitutus sit, sed insuper ejus auctoritate Helenam Veronicam Zriniam, majorum imaginibus tumidissimam, Petri filiam, viduamque Ragoctii, saevam immitemque feminam quia inter aspera atrociaque versatam, uxorem duxit; et cum regia pene dote acerrimum Zriniae Ragoctiaeque familiae ulciscendae suam domum invexit incitamentum et earumdem fata; Mungactio firmissimo omnium Hungariae munimento, in Poloniae finibus sito, ad sua explicanda consilia opportuno, quod in Ragoctiorum pupillorum ditione erat, potitus est; et a Saponara Toccajam et Patakium et Letniczem arcem in Trenchiniensi ditione sitam, Moraviaeque imminentem, quamquam omnia haec munimenta Germanum praesidium insideret, consensu tradita accepit.

Techelii excogitatissimus dolus.

Helenam Zriniam uxorem ducit.

Mungactio potitur.

Toccaja insuper et Patakio et Letnicze.

Jamque haec vulgus putare, Techelium, tot tantisque beneficiis ex clementia Caesaris ornatum, induisse civilem animum, neque adversus eum Turcas esse concitaturum. Sed is extemplo, non ultra privatum se ferens, Mungactii sedem ponit; ibi consilium, thesaurum et cetera aulae habet; ac, detracta tandem persona, perduellem Caesaris profitetur; ex Hungaris Transylvanisque exercitum conscribit; et a Budensi Praeside Turcicis auxiliis auctus, Cassoviam, Hungariae superioris principem urbem, vi, Eperiem et Leventiam voluntate capit.

Principem se gerit,

Et apertum Caesaris hostem.

Imminet Hungariae formidandus.

Dum popularium studiis et hisce victoriis florens pollensque suspicitur et fovetur, Sulthanae matris et Hibrahimi Praesidis Budensis officiis fretus, quos amplis donis sibi devinxerat, Legatos ad Primum Vezirium Philippos mittit, qui sibi Hungariae Regnum beneficio dandum orent. Ii cum Kionka Bejo callido et Techelii in utraque fortuna addictissimo homine agere jussi sunt. Ita anno MDCLXXXII, dum Fulekum ad deditionem cogeret, Principe Transylvanorum praesente aliisque factionis Proceribus, Hungariae Princeps a Turcico Senatu appellatur; Turcicus pileus, framea falcatusque ensis et regium paludamentum, regni insignia tradita, et ejus auctoritatis codicilli, *Athname* dictum, recitati; et Fulekum, fausti, sive rectius infausti ominis loco, ex Primi Vezirii mandato funditus eversa.

Hungariæ Princeps a Turcis appellatur anno MDCLXXXII.

CAPUT VIII.

Vienna obsessa, Caraphaeus in Poloniam ablegatus ejus Regis auxilium maturat.

Per has, quas supra memoravimus, caussas initiaque bellum extitit adprime memorandum; quod duûm maximorum Imperiorum alterum perdidisset, sive Turcae duce meliore usi essent, sive Germanis victoria uti licuisset. Sed summae rei gerendae Kara Mustapha ex ordine praefectus, vir femineo ambitu et principali, ut quidam tradunt, stupro a Sulthana Mehmedis parente ad Osmanici Imperii proximum a Principe fastigium evectus; supra gentis morem intolerabili fastu, avaritia inexplebili, et, quae expressior pusilli animi nota est, crudelitate foedissimus: sed malis aulae artibus adulatione, malitia, simulatione, vanitate, perfidia amplissimam sustentabat ejus muneris dignitatem. Duobus maxime pravis animi adfectibus ad id bellum movendum inductus, ex quibus res bellicae fere semper male geruntur, auri cu-

Karae Mustaphae Eicon.

Privatae belli ab eo suscipiendi caussae.

piditate et alienae virtutis formidine. Avaritia enim ei odium adversus praecipuum civium ordinem, qui superstitionis una et legum custodes sunt, quam acerrimum incendebat. Nam inter Turcicae Reipublicae instituta illud fundatoribus imprimis utile visum est, ut armis aulaeque ministeriis, et provinciarum moderationi, fortunae filii inter bellicosas nationes quaesiti, et e matrum uberibus rapti, pro suae cujusque indolis merito admoverentur: qui certos commonstrare parentes possent, legum scientia, et immensis in falsas caeremonias profusis opibus ditarentur; neu vires per necessitudines auctae abeant in factiones, et divitiae juris et superstitionis professione essent Principi tutae. Formidabat autem praeferocem et jam insolescentem Praetorianorum militum virtutem, a quibus Hibraimi patris fauces laqueo conlisas esse recordabatur. Itaque perverso consilio apud gentem stolide superstitiosam, aversis infensisque iis qui falsae religioni jurique praesunt, et injustae expeditioni, per quam induciarum frangebatur foedus, omnia improspera obnunciabant, bellum sumere; et per agminum aspera, ardua obsidionum, proeliorum iniqua Turcicae militiae robur, in quo ferme uno victoriarum spes omnis sita, extinguere statuit. Tali duce, talibusque consiliis, ex omnibus Osmanici Imperii legionibus et sociorum auxiliis exercitus centum octoginta virorum millibus formidandus conscribitur; cunctis belli vitaeque necessariis magnificentissime instruitur; et sub vexillo augustissimis auspiciis aucto, quod Turcarum Imperatori ad bellum progredienti praefertur, Hungariam versus formidabile movet agmen. Diserte provincia demandatur armis expugnandum Jaurinum; ita comparatis imperiis distributisque, ut primo loco Mustapha, post eum Haly Pasa, sua tempestate belli dux praeclarissimus, uterque Apaffii sive Telechii consilio rem gereret; et ut Mustapha in inferiore Hungaria centum, Haly cum Techelio in superiore octoginta virorum millia ductaret. Tum demum Turcicus Senatus Alberto Caprarae, quem diu miris

Cur Turcae aulae armorumque potentiam hominibus novis.

Leges et sacra patriciis permittunt.

Turca gens stolide superstitiosa.

Janicsari Turcicae militiae robur.

Belli apparatus.

Auspicia.

Jaurinum provincia destinata.

Imperiorum copiarumque distributio.

Turcis abstrusissima expeditionum consilia.

suis celandarum expeditionum artibus morati erant, justi belli colore inducto, respondent: « Hungaros crebris in suos fines incursionibus tumultibusque foedus ultro violasse: itaque suo se jure uti, in Hungaria clientem Principem, qui Turcici Imperii fines aeternum pacatos regat, bello statuere ».

Color bello inferendo quaesitus.

His trepidis Caprarae nunciis extemplo Leopoldus Caesar a Germaniae Principibus, Rebusque publicis, quae ex tempore licuit, auxilia concit; et per Georgium Adamum Martinictium, Legatum Romae agentem, cum Innocentio XI Pont. Max.; per Carolum autem Waldstainium, Cracoviam exstra ordinem Legatum, cum Joanne III ejus nominis Polonorum Rege, Christiani nominis communicata ope defendendi sub certis legibus sancit foedus: Carolum Lotharingium, sibi Heleonorae sororis, quae Michaëlis Polonorum Regis vidua fuerat, nuptiis paratum adfinem, virtute et scientia militari spectatissimum belli ducem, Germanici Imperii summum armorum Legatum creat. Is Neosolium obsidet munitissimum oppidum in Austriam maxime insinuatum, ea spe ut, priusquam Turcae adventarent reciperato, ibi primos virium impetus obtunderent, si forte Viennam obsessum venirent: quod ei consilium, immo omnem tuendae Hungariae rationem sex Hungarorum millia foeda mox perfidia corruperunt; qui difficilem Sancti-Gotthardi aditum sibi commissum hostibus ad eosdem transfugae praebuerunt.

Caesar fo foedus vocat.

Innocentium XI Pont. Max.

Johannem III Polonae Regem.

Summum belli ductum Lotharingio Duci demandat.

Interea jam Turcarum Imperator Bellogradum pervenerat, et Mustapha Jaurini oppugnationem instituerat; cum Techelius ad Essechienses pontes advenit, et in concione per summam perfidiam astutiamque suum in Turcas obsequium est contestatus « quod Caesar Zrinianis nuptiis, munitisque urbibus sibi permissis, suam elevare fidem apud Musulmanos frustra conatus sit; qui ad Primum Vezirium jam contendit consilium adportaturus, ut Austriam Domum funditus evertat »: quod extemplo executus, Mustaphae Viennam obsidendam

Anno MDCLXXXIII Mustapha Jaurinum obsidet.

Incredibilis Techelii perfidia et astus.

Mox, Techelio proponente,

proponit, longe faciliorem captu, opulentiorem praeda, et amplissimi Cristiani orbis claustrum. Mustapha Turcicum gerendorum bellorum institutum aspernatus, in proxima Imperium armis producere, temeraria superandi Soleymanis famam cupiditate, profundae avaritiae exsplendae libidine, bellicae gravitatis immemor vix institutam Jaurini obsidionem solvit; et agmine caedibus incendiisque late truci Viennam contendit. Et per ea quae utrinque sive temeritatem sive consilium, seu virtutem seu fortunam praebuisse ejus rei monumenta produnt, Vienna obsidioni parata est, et Caesar sospes: qui inde excedens urbis propugnationem Rudgero Hernesto Starembergio spectato duci permisit; eodemque tempore Caraphaeum ad Regem Poloniae legavit, ut quam primum auxilium maturaret.

Viennam obsidet.

Starembergius Viennam propugnare jussus.

Caraphaeus Cracoviam ad celerandum auxilium ablegatus.

Cur is potissimum ad id munus delectus

Is prae ceteris ad eam legationem delectus: nam ita arma profitebatur, ut dum a militiae muniis vacare licebat, scriptoribus de re civili sedulo attenderet; vir italico ingenio facilis alienos mores induere; in Aula spectatus ad animos perspiciendos sagax, eosque sibi convertendos lenissimus; ad res agendas ancipites dexter, ad urgentes acutus, firmatus animi ad repentinas; imprimis gnarus dura ita disponere, ut sponte sua quam mollissime cederent; accedebat, diu in Provincia Poloniae contermina versatum, propius Polonorum animos consiliaque introspexisse. Is Cracoviam properans, studia partium, aerarii angustias, turbulentam in ejus Praefectum de reliquis institutam accusationem, aliasque objectas aliunde moras offendit; et aliquem eorum Techelius persuaserat, Slavico Sarmaticoque nomini conducere, eadem forma constitutam habere Rempublicam. Quibus de caussis quinque equitum millia, non plus eo ad eam diem in procinctu habebantur. Igitur is omnes boni Legati obiens partes, uti quisque in ea Republica maxime potens res Caesaris aut adversari aut negligere visus est, ita eos abeuntibus in hanc sententiam dictis aggressus est.

Offendit difficultates et moras.

« Rem Christianam universam in praecipiti abruptoque vacillare; quamque diei cunctationem sera saeculorum solicitudine haud facile reparandam; Viennam ab omnibus Asiae viribus acriter obsideri. Si pro Hungariae Regno Techelius Turcicis auxiliis certaret, excusari posse privata aliquorum consilia conterminum habendi Principem, qui sit Caesare longe minor. At Turcici id esse arcanum Imperii, in ejus finibus adversus externam potentiam clientes locare Principes, qui tamquam objectae moles hostium impetus sustineant ac durent, ut externis tuta malis loca interius dominata pace ocioque fruantur; ubi vero regna eo metu libera habere possunt, ea in suam omnino dictionem redigere. Itaque Vienna capta et Austria subjugata, in Hungariam Transylvaniamque, Techelio Apaffioque in ordinem redactis, Turcarum Dominum suos Praesides dimissurum. Sed in urbe quae Germaniae Italiaeque propugnaculum adversus Turcas habetur, pro Caesare Mehmedem imponi, si ceteris inutile inhonestumque, Polonis maxime. Italis enim Germanisque Galliarum potentiam imminere, Christianam, cultissimam et elegantissimam tamen: sed Poloniam a proxima Turcarum et Tartarorum vi longe lateque urgeri premique, omnino miserum esse; quando Polono dignum, si foedus cum Caesare omnino sancitum non esset, ipsa Poloni nominis dignitate ad praesentissima firmissimaque ei ferenda auxilia commoneri commoverique. Nunc qui apud Turcas post Persarum Regnum primi ferme vigent opinione potentiae, eos, foedere jam icto, cunctari, id Turcis augere animos, et non temerariae iisdem conjecturae facere locum Polonos Turcicarum virium haerere metu. An expectare ut eo munimento hostis potiatur, quo majori gloria reciperent? Sed enim exploratum satis Turcas prosperis rebus supraquam credibile est insolescere et ferocire; et, vel afflictis fortunis, difficillime quod semel armis arripuerunt exuere. Ad haec eos seu stoliditate, seu virtute, pectorum muro aperta urbium propugnare; quid putan-

Falsum aliquot Polonorum Procerum arcanum potentiae.

Ubi Turca Reges sibi vectigales constituit?

Et quandiu regnare sinat?

Vienna capta, Germaniam Italiamque dubio urgeri malo,

Poloniam certo premi.

Polonus post Persam Moschumque primus Turcis in opinione potentiae.

Turcae prosperis rebus ferociunt.

Armis parta non nisi vi restituunt.

Viris magis quam muris propugnant urbes.

dum, ubi munitissimam totius Austriae arcem sint defensuri? Ad arcendum hostem nunc non sat esse Germanorum auxilia, et Polonica impense desiderari; ut dejiciatur, quasnam aliunde subitas arcessendas vires, ne Barbari torrentis instar in Germaniam et Italiam diruant diluantque? Galliae Regem centum ferme virorum millia sub armis ad Rheni ripam habere. Atqui Christianorum summam in fortunae casum dari non oportere, ut Regno Gallico haec forsan, sed certe cum ingenti intentae potentiae fructu maxima gloria prodatur, rem Christianam restituisse: quod decus Poloni eamdem servando praeripere certo possint. At hercule auxilium implorare Caesarem de Polona Republica bene meritum; et praeter vetera satis recentem opis ab eo ipsis adversus Suecos latae memoriam inter eos celebrari. Referendam a generosa Sarmatarum gente gratiam Austriae Domui his regnandi artibus clarae, avitis regnis pacatam frui, et tantum sociali fide praestare ceteris ».

Vienna Germaniae Italiaeque a Turcis claustrum.

Caesar de Polona Republica meritus.

Austriorum proprium pacificos regna habere, et pro sociis sumere bella.

His atque talibus Proceres cunctantes extimulat, Regem sua sponte cupientem inflammat, qui cum praecinto, quem diximus, equitatu primum corripit agmen, et paucorum dierum spacium manentibus permittit, quo reliquae copiae quam celerrime conscriptae instructaeque consequantur.

Polonus Rex agmen rapit.

Caraphaeus vero Regem praevertens citato itinere in Austriam redit, et spe jam adventantis auxilii animos Germanis addit. Ibi Lotharingius qui, soluta Neosolii obsidione, Closterneuburgi cum exercitu agebat, ut de proximo confirmaret obsessos, et cum Polonico auxilio, uti adventabant, maturius jungeretur; eumdem Caraphaeum cum delecta legione Regi obviam officii caussa misit, et ut locorum gnarus tutiora ei viarum compendia commonstraret. Nam justus suberat metus ne Mustapha, recentibus integrisque Transylvani, Valachi Moldavique auxiliis reparatus, bonam magnamque exercitus partem adversus Polonum inferret; divisum fessumque in ipso agmine aggrederetur; et de omni auxilii spe ob-

Caraphaeus in Austriam redit.

A Lotharingio Regi obviam remittitur.

Metus ne Mustapha Regem in agmine adoriatur.

sessos Viennenses dejiceret. Enimvero Budae Praeses, experientissimus belli dux, id ei consilium dederat: quod homo ingenti fastu aspernatus est, putans vel magnum fortemque orbis terrarum Regem non ingenti stipatum exercitu fundere, facinus esse Techelii viribus dignum, non suis. Itaque Rex, ubi Silesiae fines ingressus est, Caraphaeum obviam habuit; et itinere omnino inoffenso in oppidum quod *Krems* appellatur, pervenit.

Regi Silesiam ingresso Caraphaeus fit obviam.

Ibi junguntur vires; ad octoginta millia recensentur; trajectoque flumine, agmini proelioque instruuntur. Dexterum Polonus, sinistrum Austriorum Lotharingius, medium Germanorum agmen Maximilianus Emmanuel Bavariae et Georgius Saxoniae Septemviri ducunt. Ubi ad propinquare hostem Turcis renunciatum, Budae Praeses suadebat: « Non oportere intra eas stativorum angustias ab hostibus impeti: in apertiora evadendum; vicinos caedendos saltus; praealtum aggerem producendum; atque inde tormentis infestare hostes, et ferre obsessis auxilium prohibere ». Atqui Hadrianopolis Praefectus *solvendam omnino obsidionem* censebat, *sub magni Soleymanis exemplo, qui paribus ferme copiis, sub ejusdemmet urbis quam obsederat muris, Carolum V Imp. haud expectare sustinuit.* Sed Mustapha neque obsidium solvere, et cum hostibus Chalembergio monte descendentibus congredi maluit. Ejusque consilii auctor imprimis Michael Telechius fertur, qui cum Transylvano nuper advenerat: etenim astutissimus homo veritus a Turcis, ne, Vienna capta, Transylvania prorsus redigeretur in servitutem, ut praesens vitaret malum, sperans porro rerum casibus Hungariam a Germanis liberam fore, id facile Turcarum Duci suasit: qui et Janicsaros ardua obsidione delere, et urbem ad iniquissimam deditionem cogere, et ingenti de Christianis victoria inter praeclaros suae tempestatis duces censeri omni, uti insipientium est, amoto metu sperabat. Ita Janicsaris ad oppugnandam urbem relictis, triplici quoque instructa acie adversus hostem enititur. Acriter pugnatum; victo-

Exercitus Christiani recensio, Instructio, Duces.

Utilia Turcarum ducum consilia contempta.

Inutilis callidaque Telechii sententia probata.

Proelium.

Christianorum victoria.

ria a Christianis feliciter stetit; ac Vienna, oppidanorum constantia, militum virtute, fortiumque ducum vigilantia et exemplo, saevam diuturnamque oppugnationem perpessa, tandem liberata est. Turcae in acie fusi caesique; ab obsessis, eruptione sub idem tempus facta, obsidentes in fugam acti. Christianorum duces victoria gaudere; milites praeda laetari; Turcarum undique profugia, latebrae, caedes, vulnera, servitutes; atque adeo utrinque omnia evenere accideruntque, quae summam utriusque fortunae commutationem sequuntur. A Polonorum Rege inauspicatum Turcarum vexillum captum, et cum eo Turcae suam belli fortunam captam putare; quae Mustaphae quoque tentorium cum ingentis precii suppellectile et epistolarum scrinium Regi manubias objecit; cetera spolia postea Rex secum abstulit, vexillum ad Innocentium XI Pontificem Maximum Romam misit.

Vienna liberata.

Polonum Rex regium vexillum capit, et Mustaphae praetorio potitur.

CAPUT IX.

Pro summo exercitus Quaestore in superiore Hungaria munus gerit; Techelium fundit; et de belli porro gerendi genere cum Aenea Caprara juxta sentit.

Destinat Eperiem obsidere.

Exercitu in hyberna digresso, Caraphaeus in superiorem Hungariam proficiscitur, ut ibi cum Rodulpho Rabatta, summo exercitus Quaestore, junctis copiis, Eperiem obsideat, quando non licuit Cassoviam aestivis reciperare. Etenim Christiani duces omnes Viennensi victoria utendum censuerant. Sed Lotharingius Neosolium, uti ultimam de Hungariae Regno relatam a Turcis praedam, ita primam omnium recipiendam sentiebat; Aeneas Caprara cum Caraphaeo tota belli mole Cassoviae incumbere judicabant: « Ea enim ad deditionem adacta, omnem superiorem Hungariam principis urbis exemplum secutam, ad officium facile redituram, et opor-

Lotharingius Neosolium,

Caprara et Caraphaeus Cassoviam obsideri censuerant.

tere nefaria Principatus possessione principio Techelium exuere, unde belli initia extiterunt; neque utile videri, dum intestino hoste attinerentur, externum persequi ». Sed Polonus Rex, in perduelles a suo Principe armis animadverti, sibi cum communi hoste rem geri; et urbem Neosolio Cassoviaque digniorem, Strigonium, summo Hungariae Pontificatu augustam, a Soleymane, fortium Turcarum imperatorum, ultimo captam, suis armis dignam oppugnari ratus aggressus, fusis iterum proelio hostibus, brevi ceperat. Sed consilium de Eperie oppugnanda Rabattae et Caraphaeo aliae belli rationes distulerunt. Nam, ut advenit Antonius, Rodulphus a Caesare Lincium evocatus est, acturus de belli subsidiis comparandis; eique Caraphaeus cum in Quaestoris munere in ea Provincia gerendo, tum armorum, quae ductabat, imperio suffectus est; quod nemo melius et aes parare, ejusque compendia facere cum optima fruge nosset; et ejus provinciae expertissimus omnes Techelii artes calleret.

Polonus Rex Strigonium arma converterat;

Ceperatque, fuso iterum hoste.

Eperici obsidium dilatum.

Caraphaeus Rodulpho Rabattae in superiore Hungaria substituitur.

Interea ob tot tantasque tamque insperatas de hostibus perduellibusque partas victorias, aliasque ab ipsis hostibus, quas mox memorabimus, caussas, plerique omnes jam afflictum Techelium, jam Turcicum Imperium funditus eversum putare.

Multorum de Techelio et Turca jam debellato judicium.

Et quidem haec de Techelio opinari: nam Hungari ad octo millia ferme equitum peditumque, in quibus quamplurimi inlustri loco nati per omne id tempus sub Paullo Esterhasio, Hungariae Palatino, egregiam Caesari operam, fidei documentum, navarant; et Esterhasius ipse, quamquam Techeliam Emerici sororem domi nuptam haberet, tamen, privata necessitudine publicam habens potiorem, in Techelianos infestissimus ferebatur. Georgius autem Erdodius, Croatiae Procurator, et dum Vienna oppugnabatur, et post Viennensem victoriam innumera oppida arcesque in ea Regni parte Turcis subjecta sitas diripuerat, incenderat, devastarat. Quinimmo ipsum Techelium, dum munimentum Eperie non pro-

Hungarorum spectata fides.

Paulli Esterhasii Palatini laus.

Croatia Turcis subdita a Gregorio Erdodio ferme excisa.

Techelius repulsus ab Hungaris;

Fugatus a Litthuanis, qui Ragoctiae agrum vastant.

cul obsidet, Hungari obsessi vi et armis arcent; Litthuani fugant, et omem Ragoctiae ditionem igne ferroque corrumpunt. Igitur victoriis ad Viennam et de Strigonio relatis, tanta rerum Hungaricarum commutatio facta erat; ex facinoris audacia conscientiae vecordia; minae in preces versae; novandi studia sive detestata sive coercita; Techelio omnium malorum auctori omnes omnia mala imprecari; in perduelles profugos intenta Turcarum odia, in contumaces justae Germanorum irae; in redeuntes tempori ad obsequium Caesaris commendata clementia. Respublica interea, quae semper bonorum est, gravissima belli mala perferre. Ita adflictis partibus, jam Techelium injusto violentoque excidisse regno conjiciebant.

Rerum Hungaricarum commutatio.

Caraphaei de bello Techeliano sententia

Sed Caraphaeus nihilo remissius adversus eum, sed juxta ac integrum ac florentem bellum gerendum censebat; nec enim eum sententia post umquam fefellit. Nam per id ipsum tempus quo ejus res tam perculsae erant, jussus tanti admissi a Caesare veniam implorare, se ei subjicere dedignatur; quin, posita *Comitis*, sub *Hungariae Principis* praescriptione edicta proponit. Qui tantis Turcarum viribus excitis Christianum nomen universum perdere conatus erat, et novas de Numine opiniones ad studia partium obtinenda fovebat omnesque Romanis sacris initiatos ab usurpato ejecerat regno, octingentos Polonos, dum domum redeunt, trucidaverat, et quamplurima Germanorum corpora ex insidiis capta Tartarorum Hamo dono miserat in servitutem quo concitaret contra Polonum, ad Pontificem Maximum et Venetum Senatum literas scribere per summam audaciam sustinuit, quibus *se in Weselenianis partibus natum ajebat, et civile bellum pro Hungariae libertate agitare; idque nihil quicquam cum Turcis contra Christianos commune habere.* Mox duplex animi, Veneto quoque per Summum Pontificem in belli foedus conciliato, apud Turcicum Senatum sententiae loco proponit, uti « Musulmanorum Dominus suum sa-

Techelii ingens vel afflictis rebus audacia.

Praefracta improbitas

Nefanda versutia,

crorum Principem (1) in Persiam mittat, qui eum Regem moneat, Pontificem Romanum omnes Christianos Reges contra suum Imperium concitasse, ut Mehmedanam legem funditus evertat: eaque ratione persuadeat, ne se forte interea bello petat, sinatque potius pro communibus Mehmedanorum aris focisque ab eo securum pugnare » (2). Et vero per omne ferme ejus belli consequutum tempus spectatus est homo totiens adflictus erectus; perditus servatus; Turcis odiosus protectus; modo catenis oneratus, mox honoribus et imperiis amplissimis auctus; nusquam constanti sede tamdiu consistere; diffisus saepe suis, sui non diffidere; et per ingentem perfidiam confidentiamque fere semper defuisse aliis, numquam sibi.

Et mirae vices.

Non diu abiit, quod hoc Caraphaei judicium rebus ipsis comprobari coeptum est. Nam Techelius a factione desolatus instaurat vires; infensa Turcarum odia auro et arte delinit, et in studia convertit; infestatus a Litthuanis in suo, infestat acrius aliena; et sub anni exitum cum justo Hungarorum, Turcarum et Tartarorum exercitu in Scepusiensem agrum ingreditur, illac in montana aut in Trenchinienses fines penetraturus. Ut ad urbem Iglum castra ponit, ut Posoniensem conventum turbet, quem super perduellionis crimine lapsis condonando Lotharingius habebat, Caraphaeus ubi id per exploratores, per quos cuncta Techelii tentamina speculabatur, rescivit, Brisnensem ei aditum occludit ne in montana per Neosolienses fines inrumpat; cum certo peditatu alium ad Rosembergam occupat, ne in uberrimi soli Trenchiniensem agrum invadat. Techelius, ubi his Caraphaei consiliis se praepeditum sensit, Emericum Gergejum ad eum mittit, tamquam de venia sibi imploranda cum ipso agat. Interea, cum exercitus commeatu misere laboraret, divisit copias; et partim in montes

Reparato exercitu Scepusium invadit.

Arcetur a Caraphaeo.

Dolum adhibet.

(1) *Muphti* Turcis appellatur.
(2) Ex lib. MS. *Notizie particolari del Tecli.*

cum Pethnasio Rosnaviam versus, partim cum Tunyoghio versus Jolsuam dimisit. Ubi gnarum id Caraphaeo, Francicum Veteranium militum Tribunum Muranum versus expedit, qui Techelianos Jolsua et Rosnavia deturbat. M. Auriam suae legionis legatum in Scepusiensem agrum ire jubet, Kesmark proprium Techelii oppidum occupatum. Ita Techelius, cum se jam circumveniri animadverteret, Cassoviam versus se recepit; et Gergejus ad eum haec Caraphaei verba retulit: « Mirum sane esset, si Techelius Italum meditatum decipere velit: qui Saponarae verba dedit, sibi certe hautquaquam daturus ». Interea cum copiis, quibus imperabat, subsidiisque a Lotharingio propere accersitis, in eum tam subito invectus est, ut pernici hosti solita celeritate uti non plane licuerit. Nam ad oppidum *Hunguar* dictum cum Techelianis congreditur; magnam eorum partem caedit; reliqui super aspera montium ultra Scepusiensis agri fines, qua Poloniam pertingunt, sese recipiunt.

A Caraphaeo eluditur

Pene circumvenitur.

Ejusdem Techelio responsum.

A Caraphaeo caeditur et fugatur.

Ob ingentes autem clades, quas Turcae a Christianis acceperant, et mala quae ipsi ultro sibi dabant, iidem, qui Techelii partes oppressas, Turcicum Imperium jam eversum arbitrabantur. Etenim Mustapha cum trepidantibus copiarum reliquiis sese prius Budam, mox Bellogradum receperat; in quo turbato trucique agmine Budae Praesidi, summae apud Turcicum Senatum auctoritatis viro fauces collidi jusserat; et per multas iniquas falsasque caussas optimum quemque belli ducem substulerat, in quibus praecipuum Janicsarorum Praefectum; ne Reipublicae pessime ab se gestae delatores secum in regiam urbem adduceret, stolida dissimulatione, qui omnem exercitum suae stultitiae adhibuerat testem, ex Turcico instituto, ut in acie belli consilia palam omnibus habeantur, metu ne clam summi belli duces Rempublicam forte prodant. Sed enim duo potissimi Reipublicae, quos infensissime oderat gravissimeque laeserat, ordines, Janicsari, et qui juri et superstitioni praesunt, in summam eum invidiam trahebant; religione univer-

Mustapha Turcicae virtutis extinctor.

Cur apud Turcas palam in acie belli consilia?

Mustapha acri flagrat invidia.

sis incussa, *fractum contra fas gentium foedus a Summo Numine vindicari; et nefas auctorum caede expiandum.* Quas saevas contra Mustapham, turbidas contra se voces ubi Mehmedes Constantinopolim reversus palam fundi cognovit, eum interfici jusserat; pravis inertium Imperatorum exemplis insistens, quibus summa armorum imperia summis belli ducibus sine ullis certis mandatis delata sunt: qui tamen de rebus vel fortuna male gestis capite suo reddunt rationem. Quo more reipublicae damno peccatur; et apud aliam gentem aliqua ingenii vi praeditam deterrerentur duces quicquam fortunae committere; quae rerum bellicarum bonam semper sibi vindicat magnamque partem. Sed obtusae mentis homines iis exemplis passim editis nihilo fiunt cautiores; atque in ingentibus Imperii viribus, et quae quam celerrime reparantur, Turcae vix sentiunt quantum mali ea res ipsis olim sit adlatura. Primus igitur Vezirius creatus est Hibraimus Pasa, ruentibus rebus fulciendis impar; eo tantum laudandus nomine, quod invitus; Seitanes Soleymanesque summi belli legati (*), alter contra Polonum Regem, qui in Poloniam reversus per obsecundantem hyemem Cosacchorum exercitu in Budziachum immisso, ingentem Tartarorum stragem ediderat; contra Germanos alter in Hungariam dimissus est. Sed et alius jam ei hostis extitit, Venetorum Respublica; quae paullisper ambigens de ejus foederis ineundi dignitate, ob cives legatosque suos saepe a Turcis superbe avareque habitos, quas injurias sapienti consilio privatim perferre, publice dissimulare solet, tandem temporis opportunitate extimulante, et ab Innocentio Pontifice Maximo impulsa, ex gentium jure ad animum revocavit; et initio a Morlaccis sumpto, cum Caesare ac Polono in belli societatem convenit. Ita Turcica re conturbata, experientissimis belli ducibus a Mustapha extinctis, fortissimo legionario milite deleto, perculsis

Ad poenam turbulenter deposcitur.

Interficitur.

Pravus reipublicae mos duces res male gestas capite luere.

Seitanes et Soleymanes summi belli legati.

Ingens Poloni de Tartaris victoria.

Novus Turcae hostis Venetorum Respublica.

Belli caussae,

Initium.

Imperii Turcici aerumnae.

(*) Ita visum *Serascherios* appellare.

undique religione animis, tentatoque arcano, quod id Imperium una belli mole semper aut premere, aut premi curavit, qui spei plus aequo fovebant jam ejus Imperii finem adesse, corruptam jamdiu rempublicam nunc dilabi, jam Turcas Constantinopoli atque adeo universa Europa exutos cernebant. Qua de re Caraphaei, qui in eam partem quae tutior esset peccabat, cum Aenea Caprara, qui juxta secum sentiebat, sermonem per literas habitum in ejus monumentis reperio: in quo, quia de Turcarum depravatis moribus multa disserit, ut intelligatur quantum a primis institutis deflexerint, non ab re fuerit brevi excursu cum caussis suis ejus Reipublicae formam contueri.

Turcae una belli mole res gerunt.

Caraphaei de Turcico bello judicium.

Turcica respublica eximio ad tyrannidem ordine constituta, atqui ad priscos Scythicae originis mores accommodata. Gens enim stolide ferox, abjecta et vilis, omnium egena et ad servitutem nata, erat sane metu aspere, superbe crudeliterque continenda. Hinc lege, armis, pecunia ita fundatum imperium, ut haec omnia unius utilitate aestimentur. Vana enim lex aeternam animorum beatitudinem meritis erga Principem praemio proponit; unde vecors civium obedientia: falsam de Fato persuasionem inducit, ut sint destinata morte ferociores: sacris suae ridendae religionis formulis profana reipublicae concipit; et qui falsi Numinis caeremoniis praesunt, eos juri interpretando disceptandoque praeponit, omniaque religione perfundit, quo formidolosior sit dominatus. Hinc omne jus fasque unius arbitrio permissum, et omnes Principis jussa adspectare. Quia dominatus eximias virtutes et postrema vicia perinde odit; magna mediocribus recte factis proposita praemia, atroces manifestis compertisve criminibus poenae, utraque repraesentata, et aequa omnibus: unde ardor aemulandi acrior, metus validior quam poena; et ob eas caussas obsequium in Principem effusissimum. Indidem executiones praecipites, arcanus terror, in Principis placita inquirere exitiosum. Imperatoris aut inter arma conspecti formido, aut ma-

Turcicae reipublicae forma ad tyrannidem,

Lege, armis, pecunia constituta.

Aeterna animorum beatitas praemium servitutis.

Fati persuasio ad ferociam.

Sacris profana miscet.

Idem legibus et superstitioni praepositi,

Ad dominatus formidinem.

In omne jus fasque unius arbitrium.

Mediocres virtutes amat;

Comperta crimina punit.

Arcis arcanorum custodia.

Principis summus timor et reverentia.

jor e latebris reverentia. Unus Veziriorum Princeps ejus subit vultum, auditque vocem; neu dominatus arcanum potentiae Veziriorum obtinendae subserviat, Turcarum Tyrannus consulentem de republica Senatum sub aulaeis celatus tristi observat silentio. Is rerum dominus, Primus Vezirius procurator, omnes industrii, ut unus ocio pari tantae potestati fruatur. Ita Imperatores aut sua virtute clari, aut alienam recte factorum gloriam ad sua auspicia transducunt; cum enim auctorum sanguine male consulta aut gesta expientur, Principes aliena invidia peccant. Quia vero praeter Osmanicam familiam nascendi conditio omnibus aequa est, plurimum apud eos aemulationis invidiaeque: quare Aula delatoribus referta; amplitudo lubrica; egregia virtus exitiosa: aemuli namque nedum fortuita, sed vel recte facta in crimen detorquent; et inter obtusa ingenia leves suspiciones pro explorātis argumentis haberi. Ita trepidis omnibus unus Princeps securus. Ad Rempublicam accedunt ignobiles, viles ac dura passi; et ob id obedientia observantiaque in superiores insigni, in subditos minoresque superbia intoleranti, jactabundi, adrogantes, fastuosi ubi sunt honoribus cumulati: ex qua morum insolentia frequentes casus. Eo autem impio instituto Principem in suorum necem, unde aliquis publice metus, durare; et fortium virorum formidolosam virtutum opprimere, saeva domi pax res custodit. Miles autem non legitur, sed semper instructus, semper intentus adest: alter factus a Principe, alter jam bello spectatus. Prioris ordinis *Janicsari*, posterioris *Spahii* appellantur: illi pedites ad regiam urbem Principis tutelae, hi equites veluti minutae coloniae Imperii custodiae agunt. Janicsarorum institutio ad virtutem militarem tam generosa, ut stemmatum quamvis nobilissimorum animos superet: quare per plura saecula invicti; in iis exercituum robur, et ab iis omnium victoriarum adorea. In eum numerum adlegi concessum nemini, sed forte datum inter nationes bellicosiores perquiri, et e Christianarum parentum sinu

Primus Vezirius rerum procuratur.

Omnis gloria Principis,

Aliorum invidia.

Cur graves et crebrae inter Aulicos simultates?

Et delationes iniquae.

Cur viliter serviunt, superbedominantur?

Et spissi Procerum casus?

Pax cruenta.

Miles semper et ubique paratus.

Janicsari ceu Praetoriani.

Spahii veluti minutae coloniae.

Janicsarorum generosa educatio.

Eorum genus.

Fortunae filii dicti coelibes,

abripi pueros, in palaestrae claustris adolescere, et coelibes nulla re alia nisi militia exerceri. *Principis filii* dicti: eaque adpellatione superbi, unum Imperatorem tamquam parentem verentur; ceteros omnes insolenti fastu despiciunt; quadraginta millium numero; ex quo dignitas urbi, securitas Principi, ipsis fiducia, ceteris terror. Spahiis in spectatae virtutis praemium villae pagique (*) stipendiorum loco adsignati. In ea militia uti in coloniis Romani, ita Turcici Imperii firmitas, et ab ea etiam amplitudo; ad quadrigenta equitum millia expeditos semper sub armis per omnes Imperii partes habere. Unde Turca tam facile ex captis regnis militum numerum auxit, et per tot saecula Osmanicae vires acriores intentae, horum industria ac vigilantia; ne beneficiis forte exciderent, quos aemuli infensi servabant, an et arte equestris militiae exercitia celebrarent, ut in desidis vel ignavi mulctati beneficium porro delator succederet. Hinc ea gens praeter ceteras equitatu formidabilis; hinc in exercitibus cogendis celeritas; hinc omnis victoriae spes in vi proeliorum sita. Hac ingenti praesentique militum copia freti arcibus non firmare fines, quos longe lateque vastant, ut inde hostes fame ac siti submoveant; urbes muro clausas perraras habere; et terrestribus bellis pollere student, gnari continentis terrae dominos adjacentium insularum potentes esse. His viribus navalium bellorum et muniendarum urbium imperitiam compensant. Tales prisci mores, ut omnia pacis in usum belli componerent; ei generi victus cultusque assueti, tamquam omnis vita in acie exigenda esset; sine ullis gulae inritamentis famem expellere, eadem adversus sitim temperantia; abstemias inire coenas; humi sedere; innupti juvenes super pellibus humi stratis dormire; venatu exerceri; silentio cuncta peragere. Nihil in urbe molle; amantium nequitiae occultissimae; et feminae obnuptae foris incedere; truci musica delectari;

Unum Imperatorem spectant.

Numerus.

Spahii.

Timarri militaria Turcarum beneficia.

Numerus formidandus.

Ars Turcici imperii proferendi.

Turcae olim equestribus proeliis potentes.

Unde expeditionum celeritas.

Agrorum vastitate claudunt Imperium.

Cur terrestri bello gaudent?

Pax in belli usum comparata.

(*) *Timarri* Turcis dicuntur.

poetis fortium virorum facta perpetuum esse argumentum; atque adeo omnem domi vitam castrensem meditationem videri. Hinc porro in bello laborum, inediae, sitis, aestus frigorisque juxta patientes; frugales commeatus; in agmine, in acie silentium; in stationibus vigilantia, vecors in proeliis furor, ubique ordo et concordia; ac spe meliorum libenter extrema pati. Una urbanarum in castris cura, militem lautum, et adversus caeli saevitiem bene tectum, unde virorum robur. Cetera foedissime etiam provisum, ut quamvis feminae castra non sequantur, earum tamen nullum sit desiderium. Eae postremo aerarii artes, pares necessitatibus opes, civium frugalitate et parsimonia comparatae: nam privatim vestium inornata elegantia; aedes, quales sub tyrannis, humiles et e ligno; non signa, non pictae tabulae per domos suspiciuntur; nullus aleae lusus, et simplices parcaeque mensae. Publice autem magnifici in templorum hortorumque cultu, ut splendide religent animos, tuto relaxent. Plures pro re cujusque uxores, ad gentis frequentiam. Nullus pro censu ordo, nulla honorum successio; opes publice partae reipublicae recidunt. Inde cujusque virtuti aequus ad rempublicam aditus, firmissimum ejus Imperii fundamentum, quos sub acri tyrannide praecipuo libertatis commodo utuntur. Nullum censent lucrum, nisi quod vel armis in bello, vel domi religionis legumque professione sit partum; et ob agros jam stipendiis adsignatos, inlibato ferme aerario, bella gerunt; nam Spahii de suo aere instructi agunt et pugnant. Agris autem per servos cultis, tantum naturae fructibus contenti, illos industriae Graecis, Armenis, Epidauriis aliisque, praeter unos Hispanos, relinquunt. Cumulant aerarium multa et varia portoria, ingentia sociis tributa indicta, onera imposita victis intoleranda.

Omnis domi vita castrensis meditatio.
Unde bonus in bello miles.
In castris bene lotus fotusque.
Abominandum nefas bello subservit.
Aerarii artes.
Privatim pares,
Publice magnifici.
Ejus fundamentum Imperii aequalitas sub tyrannide.
Turcae solum leges vel arma curant.
Equites, perpetui assidui.
Agriculturam servis.
Peregrinis mercaturam et artificia permittunt.
Portoria.
Tributa.
Victarum gentium onera.

Sed jamdiu depravati mores. Nam Janicsari jam norunt Imperii vim suis in manibus sitam; cumque Imperatorum sanguine foedari sint ausi, in lubrico ea respublica est; vulgato arcano, posse Principem a multitu-

Corrupti mores.
Janicsari Principi formidolosi,
Et inobsequentes.

dine impune sperni. Per haec Imperatorum sibi usurpant electionem, qui ab iis donativo adclamationes et novi regni auspicia redimunt; unde ab iisdem idem Turcico quod Romano Imperio a Praetorianis imminere fatum prudentes rerum conjiciunt. At enim cum Janicsari hodie conjugiis commerciisque dent operam, liberorum charitate et vilis quaestus studio attinentur. Praeterea eam militiam hodie Primores filiis suis, per delicias eductis atque educatis, commercantur: quare non amplius mira in bello, quae olim, praestant. Spahii autem, ubi imperantur, nequiores servos ad bellum mittunt; dum ii interea exercent mercaturam et foenus. Neque ea beneficia militaria praemio sed precio dantur; unde adfectatae saepe eorum militum clades, quo aliis divendantur. Quibus ex caussis Turcica virtus graviter imminuta. Postremo Turcicum communem Imperiorum conditionem jam patitur; cum enim, tot debellatis regnis, ad se ingentes divitias traxisset, animi Turcarum captivis deliciis capti sunt, et antiquam Asianorum molliciem induere. Et luxum, prosequente avaritia, nihil pecuniae impervium; omnia donis ac muneribus praetentantur et corrumpuntur; occlusa virtuti via, ubi largitiones et ambitus. Itaque ocio delectantur; inviti bella ineunt, Persicum maxime ob longinquitatem itinerum et deserta terrarum; Hungaricum ob arcium obstacula crebra, et diversum pugnandi genus.

Uxores ducunt. Exercent foenus.

Primorum filii in eam militiam adscribuntur.

Spahii mercaturae dant operam.

Deliciae et luxus.

Avaritia et ambitus.

Bellum Persicum maxime Hungaricumque aversantur.

« Jamdiu — disserebat Caraphaeus — Turcicae reipublicae haec depravata instituta; sed nihilo secius bello semper imperium protulisse; nec Turcas unquam ultro petiisse pacem; semper dedisse tamen, et quidem cum aliquo ingenti emolumento rogatos. Esse quidem falsa religione perterritos; sed gentem stupidam, et quae belluarum instar nonnisi praesentibus occupantur, uno secundo belli eventu elatos resumere de integro animos. Bonos belli duces ferocesque milites Mustaphae aut bello aut fraude cecidisse; sed ingentes ejus Imperii vires non facile una alterave clade accepta defecturas. Qua de caussa

Numquam Turcae pacem petere.

Cur adflicti, una re prospera resumunt animos.

Ingentes etiamnum Imperii vires.

qui id imperium optime norunt ut excindatur, id dare consilium ut Christiani Principes cum Persarum Rege foederati, utrinque bello confodiant; atque id censere tamen, cum jam erant ita corrupti Turcarum mores. Non sine numine Turcas mentem ejus ultro inferendi belli induisse, ut, per eam occasionem divinitus oblatam, Polonus, Romanus Pontifex Venetorumque Respublica cum Caesare contra Turcicam potentiam firmissimum foedus inirent: sed ejus legibus sapienter quoque cautum, *sedulo curari oportere ut secum Moschus quoque arma consociet.* Cum enim Turcicae vires, cum Tartaricis aeterno foedere junctae, Persae potentiam cum Moscho item aeternùm foederati compensent, ad eam deprimendam vim hoc ingenti addito momento opus esse ratos, ut sine Persarum conlata ope unius Christianorum armis Turcicum Imperium excindatur. Et vero Polonum Regem sat expendisse has Turcicas, quas nunc putant, adflictas vires, qui id se magno Rege magnoque belli duce dignum gerendi belli genus per hosce ipsos dies proponit; ut Caesar cum Germano milite in Hungaria Turcicarum copiarum robur, quae ad hos Imperii protegendos fines tamquam propugnaculo agunt, occupet deleatque; ipse citato agmine, et per viarum compendia Constantinopolim Imperii sedem petat; Veneti classe potentes Hellesponti fauces occludant, ac principi urbi maritimos commeatus ab Aegypto et omni Mediterraneo mari prohibeant. Nosse namque cum ejusmodi hoste rem geri, qui aut bello nunquam petendus, aut quam celerrime opprimendus sit. Nam si ad angustias redacto tempus detur, tantisper, dum ad sua se instituta recipiat, iis recte usum mox redire longe ferociorem. Unum Veziriorum Principem reipublicae scientem et bellicosum virum creatum, qui a Janicsaris Spahiisque militarem disciplinam rigide exigat, intra breve temporis curriculum maxime formidandos exercitus educere in hostes posse. Ad haec ingentem terrarum tractum urbibus celebrem aut externis nationibus inundari, quae, indigenis omnino

Prudentum consilium de eo Imperio excindendo.

Cur in foedera cautum, ut Moschus in eam belli societatem conveniat.

Digna Polono Rege de ratione ejus belli gerendi sententia.

Turca quod hostis genus?

Quam facile integrare formidandas vires potest?

Duplex imperiorum armis delendorum extrema ratio.

deletis, novam gentem reponant; aut paullatim et per partes adquiri, ut sensim in victoris imperium coalescant. Sed neque delere nationes Christianae mansuetudinis esse, neque foederata bella diu gesta rerum experientiam planum facere. Unam mediam patere bellandi viam, brevem et ingruentem, nempe qua Magnus Alexander Persarum Monarchiam uno et item altero secundo proelio subegit. Sed magnis celeribusque bellis suscipiendis, aut pinguia et exprompta aeraria oportere, aut rerum omnium egestatem. Foederatum militem non poenitere patriae quemque suae: quare commeatu instructum esse ducendum in aspera, idque adeo quod cum Turcis res sit, qui a finibus longe arcent hostes fame sitique; et in Hungaricis bellis victorias primis annis nullos ferme parere fructus. Inter omnia infensa infestaque exercitus esse ductandos. Graecos enim, quibus Europa Turcica scatet, acriori odio Romanum nomen habere, quam Turcarum gravissimas, quibus premuntur, injurias. Et Turcis quoque subdi magna ex parte haeresi labefactatos, qui religionis libertatem ab iis libentes tributo redimunt. Neque esse ut spes aliqua in Turcarum seditionibus sita sit: eas enim in Persarum confinio saepe fieri; qua autem fines spectant ad Christianos numquam: ibi namque superstitionem discordem efficere, ut respublica ipsa displiceat; sed in principe urbe tumultus natos, quia displicent qui reipublicae praesunt: ita ut ejus generis turbae nihil aliud sint quam bonae reipublicae desideria. Igitur cum nihil inter hostes subsidii, instructissimo omnium rerum commeatu opus esse. Sed justum praeterea subesse metum, ne Turcicis viribus Christianorum consilia suppetant, qui tantam terrarum marisque accessionem foederatis inviderint. Occupandas igitur gravissimas hasce difficultates pecunia tanti belli necessitatibus repraesentata. At Poloniam immodica Comitiorum libertate aegram et exhausto continentibus finitimorum bellis aerario lassam; Venetos languere adhuc ex nupero Cretensi bello aspero ac diuturno; Caesarem liberalita-

Neutra probatur.

Una media, qua Magnus Alexander usus.

Ejus difficultates.

Cur crebrae a Turcis seditiones in Persarum, in Christianorum finibus raraeⁱ

tis et munificentiae gloria gaudere; Romanum Pontificem, tam eminentis virtutis, moriturum et senem. Atque adeo Imperia non occidere alia, nisi alia melioribus institutis aut oriantur aut emendentur. Et nostris quidem in melius, quod acrius bellandi genus fortiores belli et majori numero duces, ferociores milites quam Soleymanis temporibus, bella prius cum Gustavo, deinde cum Ludovico XIV gesta pararunt. Sed ob has ipsas caussas metus ne Christiana arma secum ipsa confligant *v*. Per has igitur rationes Caraphaeus, ut Turca omni Europa prorsus ejiceretur, id bellum instructissime intentissimeque et quam celerrime administrandum esse sentiebat.

Quando Imperia occidunt?

Militia Germana nunc longe melior quam Soleymanis temporibus.

CAPUT X.

Summam rem ad Budam primum obsessam servat. Neosolium Turcicis auxiliis intercludit; cujus uti et mox Eperiei expugnationibus adest; et Cassoviae dedendae opportunitatem praebet.

Anno belli secundo Germani pro sua fortuna et virtute expeditionem deliberant. Nam Neosolium, intimum Turcarum in Austriam munimentum, quod commeatus secundo fluvio per Danubium Budam deferri facile prohibebat, omittunt; et urbem regni caput, cui in Turcarum potestate redactae Posonium in Hungaricarum urbium principatum suffecta, armis cingere aggrediuntur. Per idem tempus bello turbatur Rhenus, ad cujus ripam Ludovicus XIV suo ductu rem gerit, et Lucemburgum, unum e Germaniae ab Rheno claustris, oppugnatione maxime infesta capit. Qua victoria Germania pene perculsa est: unde Bavarus eo sua convertit arma, et Caesar Capraram, Caraphaeum, aliosque duces cum justo exercitu, ut Gallis obsisterent, misit. Sed induciis mox cum Ludovico depactis, arma Caesaris, jam belli Gallici metu liberata, Hungariam repetebant, ubi ad Bu-

MDCLXXXIV.

Budae obsidium.

Caraphaeus ad bellum Rhenanum mittitur.

Quod induciis quiescit.

dam Lotharingius rem ita gesserat. Secundo flumine in Danubii, quod Hungariam interfluit, ripis tres praecipuae urbes magnis inter se intervallis, longisque fluminis amfractibus, dissitae celebrantur; Strigonium, Buda Bellogradumque: prima religione, secunda dignitate, tertia munimento principes prisci Hungariae Regni. Sed uti eae urbes minora oppida supra infraque flumen sita sua continent majestate, ita et haec omnia alia alius securitati pro virili conferunt in commune. Ad hoc instar Vicegradum et Pestum Budae incolumitati subserviunt. Igitur Lotharingius Vicegradum obsederat ac reciperaverat; mox Pestum obsessum perrexerat; Budae Praeses contenderat, eoque repulso, Pesto potitus erat. Hinc Budam circumsederat et oppugnabat. Obsessi constanti ferocia sustinebant obsidium. Interea obsessores aut adversi Martis, aut vexatae naturae fato, ad decem millia occubuerant sive obierant. Heic Caraphaeus cum suo et Bavaro equite a Lotharingio desideratus, *quando nemo melius ab hostium insultibus militem protegeret, imperiaque servare nosset.* Itaque per ejus literas imperatus iter quam ocissime maturare; *ab ea enim mora, vel celeritate magnam summae rei partem in utrumque momentum pendere* (*). Praesto adest, et cum his legionibus obsessores protegere jussus. Seitanes cum pollenti exercitu appetit, ut in obsessam urbem auxilium inducat. Sed Caraphaeus ita milite disposito aditus obstruxit et operibus communivit ut hostis ab ea parte nihil ausus abscesserit. Mox Lotharingius in morbum incidit. Succedit Bavarus, et arcem oppugnare instituit. Seitanes redit; eique Germanus exercitus opponitur. Ibi Turca, dum per levia certamina distinet hostem, ab inobservata parte strenuum in urbem immittit auxilium. Quamobrem Lotharingius viris imminutus, rei frumentariae indigus, crudescente hyeme infestatus, Pe-

Tres praecipuae prisci Hungarici Regni urbes.

Ad Budam Christianorum res impeditae.

Caraphaeus ad servandam rem Christianam celeriter accersitur.

Caraphaeus hostem a proelio deterret.

Salvis rebus Budae obsidium solvitur.

(*) Ex Epistola Lotharingii in eam quam retulimus sententiam concepta, data in Budensibus castris die 23 octobris.

stum solo aequat, inferiora Budae urbis incendit, obsidionem dissolvit. Id adversi aliquo tamen pacto solatae sunt Virovicza ad Dravi ripam a Jacobo Leslaeo capta, et trans Danubium Marchovitza Ragoctiae urbs, quam, subministrante belli subsidia Caraphaeo, D. Schultius subegit, et Techelium bis ad Eperiem fudit, fugavit.

Ut in hiberna discessum, Caraphaeus, qui in institutis habebat militem hyemes semper proximis aestatibus utiles commodasque transigere, in superiore Hungaria ad Zendraviam (*) castris positis, auxilia et commeatus, quos Neosolium Hibraimus Seitanis successor mittebat, occipit impedire, quo eodem tempore ab Agriensibus prohibebat. Cumque nosset quingentum perduelles Agriam contendere, ut Turcis sociati eo commeatus inveherent; C. Tertium cum centum Germanis ac biscentum Hungaris militibus ad intercipienda iis itinera misit. Qui tempori eos adortus, bona parte caesa, biscentum ferme cum ipso ductore captivos egit. Et per M. Auriam, suae legionis legatum, alium perduellium ducem eadem tentantem oppressit.

Una opera Neosolium hostibus intercludit et Agriam.

Techelianos semel atque iterum fundit caeditque.

Adest tertius belli annus, quo Caesar quinquaginta virorum millia in campum educit. Sed rebus ipsis edocti, Strigoniensem provinciam non tantam prae claritudine utilitatem attulisse, et Budensis obsidii grandia adhuc intertrimenta sentiri, quia utrumque alieno incoeptum loco; ne nunc quoque imparibus viribus res quoque male geratur, Neosolium firmissimum munimentum, Vienna octoginta passuum millia distans, Austriae Moraviaeque finibus imminens, superioris Hungariae porta; quod reciperatum rebellium Turcarumque ulteriores impetus frangeret, Budae recipiendae secundo flumine Danubio commodans commeatus; ob quae omnia per Primum Vezirium Hibraimo legato satis certo mandatum, *ut eam urbem quoquo modo salvam curaret*; tota belli

MDCLXXXV.

Neosolii reciperandi utilitates.

Anxia Turcarum de eo obtinendo cura

(*) Vulgo *Zendrò* appellatam.

Ejus obsidium decretum.

mole sub Lotharingii imperio ductuque obsidendum decernitur. Is igitur, postquam ea urbs satis providenter a Caraphaeo uniuersam hyemem omni hostium commeatu auxilioque interclusa est, D. Heislerio imperavit ut stativa circa eam propius obtenderet, dum ipse Novigradum impeteret, unde commeatus et suppetiae commodae facilesque oppugnantibus: nam, eo capto, Neosolium sua sponte deditum esse rerum Hungaricarum historiae produnt. Sed summa oppidi arduitate deterritus incoeptum deserit, et ad obsidendum Neosolium proficiscitur. Hibraimus, ut inde hostem oppugnantem eliciat, Vicegradum oppugnari jubet; ipse Strigonium obsidione cingit. Lotharingius, ut parta conservet, Capraram oppugnationi manere jubet; et, evocato prius Caraphaeo ut eam subsidio firmaret, ipse magnam castrorum partem in hostem movet. Interea Vicegradum a Turcis reciperatur; Strigonium propugnando Caesari perstat. Lotharingius Hibraimum proelio lacessit; quod is hactenus belli sciens detrectat. Igitur Dux Caesareus ad imperatorios dolos confugit, et inde loci excedere simulat. Turca inconstans propositi eum insequitur, tractusque est ad pugnandi necessitatem. Christiani vincunt, et Neosolium victoriae fructus cedit. Nam obsessi, omni auxilii spe dejecti, urbem dedere, at sero, volunt. Quamobrem Germani in extremam vim conatos ultimas armorum leges exercent. Hibraimus ne universam Rempublicam in casum objiciat, Novigradum ac Vicegradum demoliri jubet; ipse sub Budae muris copias recipit.

Caraphaeus obsidionem subsidio firmat.

Neosoliana provincia mature confecta, Lotharingius, ut reliquo anni tempore ad belligerandum commodo utatur, dimissis subsidiis, Leslaeum et Schultium, alterum in inferiore, in superiore Hungaria alterum legatum confirmat. Leslaeus, fuso fugatoque ad Essechium hoste, incendiariis navibus demissis, magna ex parte pontem incendit, quem Soleymanes morti proximus cis Dravum super longo paludum tractu, ad novem passuum millia stagnantium, ab triginta hominum millibus paucos infra

dies extenuari jussit, praesentis potentiae testem, futurae augendae munimentum.

Caraphaeus sub Caprara in superiore Hungaria rem bene gerit.

Caraphaeus autem cum Caprara superiorem Hungariam repetit ad instaurandas Germanorum vires, qui Eperiem acriter diuque oppugnabant. Sed antequam adessent, D. Schultius eam ceperat. Igitur alio vertunt, et Cassoviam provinciae caput castra movent. In agmine ut Toccajam et Kalaviam conspexere, in deditionem accipiunt. Sed Cassoviam validum perduellium praesidium, firmissima urbis munimenta, anni tempus ad hyemem vergens, et Techelius, qui obsessos proxima auxilii spe confirmabat, haud facilem deditu faciebant. Capta tamen est, divulgato, *Techelium a Varadiniensi Praetore inter mensas comprehensum, et Hadrianopolim ad Turcarum Imperatorem custoditum missum.* Cassovia capta, Patachum, Unguar et alia his minora oppida Caprara recipit, et Agriensem Praesidem, dum Cassoviae auxilium ferre conatur, ubi Zagyva cum Tibisco confluit, militum Tribuni Mercyius et Heislerius cum Germano Hungaroque equite de improviso aggrediuntur et fugant; majoremque copiarum partem fugitantem aut caedunt aut capiunt; et Zolnochum ibi sitam urbem, tres et triginta supra centum annos ab Hungariae Regno discerptum, reciperant. Ita Techelii vincula Cassoviam ad Caesarem retraxere, et Cassovia capta Techelii factionem afflixit.

Caraphaeus Techelio vincula praestruit. Techelius Transylvaniae regnum apud Turcas adfectat.

Id autem a Caraphaeo dante opportunitatem natum. Cum enim is per satis certos nuncios nosset, Techelium Transylvaniae Regnum apud Turcicum Senatum ambire; veritus ne, pro deside Apaffio et sene, acer juvenis et bellicosus Transylvanis imponeretur, ad suos, quos ibi colebat, amicos Caesaris studiosos scripsit, ut haec Telechio per ejus factionis homines significarent; quo is Apaffio regnum, sibi potentiam obtineret. Pro consilio eventus. Dum enim Neosolio capto Turcarum Senatus de insinuanda Christianis pace cogitaret, per id tempus Telechius Hibraimo, quem Techelio infensum noverat,

Artes Telechii quibus Techelium perdat.

indicavit « eum de venia a Caesare impetranda pluries agitasse; quare si forte velint pacis mentionem cum Christianis injicere, eum, facile veritum ne nulla in foederis legibus de se ratio habeatur, quavis tolerabili conditione accepta, omnem Hungariam turbatam in Caesaris obsequium secum esse tracturum: unde eos postea venturos in Caesaris de pace leges duriores ».

Techelii de regno furores.

Et vero Techelius pluries id conatus; sed quia non veniam uti majestatis reus petere, sed foedus tamquam Princeps summus inire velle videbatur, et quia in civilibus bellis partium principes summum rerum arbitrium non habent; seu adrogans repulsus a Caesare, seu modestus deterritus a suis, semper eo abiit consilio frustratus. Principio enim Cassoviensi armorum praefectura depacisci pacem volebat; mox Cassovia potitus, in ea summum Principem constitui concupierat. Postea, si tredecim Comitatus, in quibus munitissima oppida Mungactium, Unguar, Marchovitza, sibi addicerentur; et in iis ad Ducis Litthuaniae exemplum cum Caesare Hungariae Rege, uti ille cum Rege Poloniae, impari foedere jungeretur, Cassoviam Austrio se redditurum: quod vecors desiderium et Caesar indignatus, et ejus asseclae aversati sunt; qui rati se tantisper vereri, dum armis Hungaria perstreperet, in Turcae fide et clientela perstare suaserunt; spem offerentes, Vienna capta, totius Hungariae dominum fore. Insuper anno belli secundo ad Caesaris clementiam invitatus, is Principis appellatione, qua Regni Palatino dignitate aequaretur, decorari, militiam suo sub imperio habere, sua oppida munimentaque Germano praesidio libera, superbe praefracteque petierat; et Poloniae Regem ut pacem conciliaret rogarat, sub adroganti exemplo Galliae Regem pacem jam facere cum ipso Polono animatum, tamdiu distulisse, ut Summus Pontifex eos conciliaret. Quem conditionum tumorem Rex graviter indignatus, ei significavit: « ut Caesaris clementiae, uti tantorum admissorum reum decebat, sese submitteret; et quicquid ejus benignitate re-

tulerit, singulari ejus beneficio pessima meritus adponeret ». Postremo Cassovia capta et partibus adflictis, eo redactus ut sibi privato sua sibi et uxoris habere tuto permitteretur. Sed ne id quidem per suos fautores ei licuit; qui ei auctores erant ut summus in Hungaria Princeps statueretur: ita namque sat legationum semper habiturum, quibus amicitias cum Austriae Domus aemulis colere posset, unde regnum sibi constabiliret. Igitur, cum Hibraimus, antequam Achmedem Celebim de pace ad Lotharingium mitteret, Techelium a Varadiniensi Praeside per dolos comprehendi jussisset, is ex lubrico regno in eam miseriam conjectus cum Stephano Papajo, participe secretorum, *suae factionis studiosos est detestatus, quod antequam Turcae iras ex adversis rebus conceptas in se converterent, in Caesaris gratiam redire prohibuissent* (*).

Techelianarum rerum vicissitudo.

Sed dextera quae in Turcica aula extitit opportunitas Techelium custodia liberavit. Etenim Turcarum Imperator improspera belli maxime Hungarici iniquo animo ferens, et in Primum Vezirium transferens culpam, eum in ordinem redegit; et a Polonia provincia, quam bene gerebat, Soleymani evocato amplissimum munus demandat. Is autem simultates et occulta odia cum Hibraimo exercebat, unde facile inventi qui « et Techelium haud recte vinctum suaderent docerentque; quae et quanta in Hungaria Turcis mala id Hibraimi consilium peperit; Cassoviam deditam; Techelii profligatas partes; Germanos in spem erectos Hungariam universam brevi reciperandi, principe factionis sublato; quae prima omnium est cura iis qui bella civilia pacare student. At hercule partium principem, virum acerrimum animi, audacibus consultis, celeribus incoeptis, inter populares factiosissimum, ad convertendos sibi externorum animos singularem, quem ob haec omnia non solum in ea Principatus umbra, unde tantum luminis Osmanico Imperio,

(*) Ex MS. superius adlato: *Notizie particolari del Tecli.*

servari, sed ad Transylvaniae quoque Regnum promoveri oportebat: cui civilis Musulmanorum ratio postularet, non Apaffium Principem socordem praeesse, et duplicis animi Telechium administrare; qui uterque, ut id obtineat, fraudem ac dolos, timidorum et imbecillium solitas artes, exercent, et pro tempore modo Osmanicum, modo Germanorum Imperium alterum alteri produnt; sed in opulentum et bellicosum regnum generosum Austriae Domus hostem evehi qui, uti Bathorei Ragoctiique, gravibus bellis ei sit incommodus et infestus. Atque heic ipsius Techelii indicium edunt, qui in castra ad Bellogradum hoc anno profectus nosse dicebat, Transylvanum Musulmanorum consilia Christianis per literas prodidisse. Quare si Regno Apaffius mulctetur, ex clientelari jure, quo id a Turcis habet, quando contra ejus leges fecit, merito in eum factum omnes dicturos ».

His atque talibus Soleymanes, qui Hibraimum ultro perditum ibat, extimulatus, ejusdem morte factum notavit; Techelium absolvit, novisque honoribus auget, et Veziriorum cultu decorat, ac brevi quoque Transylvaniae Principem adpellaturum promittit. Quapropter is fiduciae plenus, tumidas has edidit voces: « Etiamsi male peream, meis rebus tales tantosque paravi patronos, ut eas ab inferis revocarent; immo si facerem pacem, non duraret diu; nam ii, in quorum sum fide, me foedus rumpere adigerent; se alienis imperiis necessario servandum; bellumque armis in speciem gerere, re autem ipsa Caesarem consiliis oppugnare » (*).

(*) Ex MS. mox relato.

CAPUT XI.

Techelium Mungactio auxilium ferre prohibet; Sanctum Jobum pugnando capit; ponte super Tibisco facto Turcarum excursus coercet; Osmanem Pasam proelio fundit caeditque; Budae expugnandae operam confert; et armorum auctoritate celerat Segedini deditionem.

Interea Caraphaeus, ob res quas supra memoravimus gestas, in ordinem summis belli Legatis proximum (*) a Caesare adlectus, annum belli quartum Sancti Jobi deditione ita feliciter auspicatur. MDCLXXXVI.

Ut Techelium restitutum cognovit, extemplo ad Tibisci fluminis ripam (qui in Poloniae finibus ortus, Hungariam perfluens prope Furnareum cum Temesa coit, mox in Danubium influit) castra posuit, ut omnes ejus impetus coerceret; et brevi Techelium, qui agmen instituerat ut Mungactio opem ferret, castris contra eum propere motis festinantem avertit. Techelium Mungactio prohibet.

Per eam occasionem Sanctum Jobum, munimentum leucas tres a Gran-Varadino dissitum, e re censuit oppugnare; oppidum stagnantium aquarum late patenti conluvie circumdatur, quatuor ingentibus propugnaculis communitum. Ab urbe igitur *Zattmar* appellata quatuor Germanorum, Hungarorum vero tria millia duxit, et tormentis contra locatis urbem acriter oppugnare instituit; cumque spissi globi igniti in obsessos conruerent, fors tulit ut ibi pulvis tormentarius asservabatur, unus dejiceretur, cujus incendium multa aedificiorum hominumque strages sequuta est. Ea fortuna usus tempori Caraphaeus a tribus murorum partibus urbem adgreditur. Turcae ibi, abjectis animis, pacem orare; et paullo Sanctum Jobum oppugnat. Ad deditionem cogit.

(*) Ita visum latine reddere, quem Itali dicunt *Tenente Maresciallo di Campo.*

post Pasa urbis rector urbem dedidit lege, ut ipse cum milite et impedimentis liberi dimitterentur. Quae victoria cum ex sese magni momenti habita (*) quia Zatmariensem, Zobolescensem et Biarischiensem agrum tributo hostibus pendendo liberavit, tum id temporis maxime, quo cum Turcae novo Vezirio, bellicoso viro, creato ferocirent, ipsis inspectantibus eam urbem cepisset, et eum belli annum esset feliciter auspicatus. Urbem receptam Caraphaeus, reputans quas belli recte porro gerendi opportunitates Christianis daret, Turcis adimeret, praesidio firmat, eique claustrum de suo aere obducendum curat.

Ejus victoriae commoda.

Quartum belli annum MDCLXXXVI feliciter auspicatur.

Claustrum de suo aere urbi obducit.

Hinc super Tibisco pontem faciendum mature imperat, quo promptius Zolnocho adsit, Mungactium acrius intercludat, et crebras Agriensis praesidii eruptiones excursusque coerceat, quorum frequentem ut minuat numerum, quinquaginta Hungaros equites sub Agriae usque muros misit, qui hostem ad proelium provocarent, ut simulata porro fuga in insidias inlicerent. Res pro voto successit; nam Osmanes Pasa ei militiae praepositus in eos oppido valida manu erupit, fugientesque hactenus est persequutus, ut in imam vallem, quam Caraphaeus et Heislerius insederant, pertractus sit. Ibi ducibus Christianis repente coortis atrox pugna committitur, qua Osmanes cum trecentis ferme praesidiariis occubuere.

Pontem Tibisco imponit.

Agriense praesidium dolo elicit.

In insidias inlicit.

Osmanem ducem praelio caedit.

Dum in superiore Hungaria haec gereret Caraphaeus, jam instructus expeditusque ad Budam sub Lotharingii imperio oppugnandam prodierat potens bellicosissimarum nationum Christianus exercitus; Austrii, Bavari, Francones, Svevi, Saxones, Brandeburgenses, Sueci Hungarique ad equitum viginti, peditum vero triginta millia, cum assiduis millibus sex, quos ab universa ferme Europa Christiana domi nobiles, aut armorum virtute praeclaros ad eam expeditionem militaris gloriae cupido evo-

Budae expeditio altera, omnium in hoc bello maxime memoranda.

Christiani exercitus laus.

(*) Aeneae Caprarae judicio ex ipsius ad Caraphaeum Literis.

caverat. Eam principem regni urbem Abdis Praeses, sua et suorum virtute ferox, et quingentis ferme aeneis tormentis minax infestissimus propugnabat. Quapropter oppugnatio ex ante diem XIV kal. julii instituta totius Europae Asiaeque oculos ad se converterat; ac tres pene menses de eventu solicitas habuit. Nam nullum usquam egregium belli facinus fuit, quod per id tempus obsessi obsessoresque non ediderunt; ut armorum dignitatem, superiore oppugnatione frustra cadente, hi imminutam restituerent, illi auctam servarent. A Christianis religio et pietas, a Turcis superstitionis vecordia; utrinque nationum odia, gloria nominis, Imperiorum dignitas animos incitat ac stimulat ad virtutem. Protegunt urbem magis quam munimenta conferti tormentorum ordines, pectoraque defensorum pro muris. Ardua opera moleste infestata, constanter effecta, impetu disturbata, celeriter restituta: eruptiones inruptionesque et crebrae et graves, utrinque repentinae et cruentae: munimenta modo capta, modo recepta: terna claustra superanda, et acriori vi quidem arctiora: vigiliae perpetuae, anxiae excubiae, intrepidae stationes, labores intolerandi: minimae aerumnarum pugnae. Conditiones pacis a Lotharingio Abdi per summam mansuetudinem non semel oblatae, semper ferociter contemptae: funera a Turcis Christianis data ceteris ad virtutem incitamentum: inter nobilissimos amplissimosque viros praeclara pro Christianorum sacris occumbendi aemulatio. Ad haec aspera arduaque adcedit cum exercitu Soleymanes, Polonico bello bene gesto superbiens, et exercitu sexaginta millium virorum formidando ferociens. Lotharingius ejus eventi prudens, alias aliunde copias ducesque, in quibus Caraphaeum, qui in Zolnochiensi agro expeditus agebat, jam evocaverat: et integro milite instauratus cum Soleymane statuit acie decernere; sed proelium detrectatur ab hoste. Hinc pergit oppugnare urbem, eumque impetit hostis. Ita bellum Christiani gerunt ut obsessi eodem tempore et obsessores. Astus imperatorios uterque adhibet. So-

Abdis ferocia.

Memorabilis oppugnatio describitur.

Nobilissima Christianorum funera.

Caraphaeus evocatus ad instauraudum integro fessum militem.

leymani alii prospere eveniunt, et modicum auxilium in urbem submittit; alii infeliciter cadunt, et pars ejus copiarum seu caesa, seu fusa. Tandem Christianorum et virtus et artes pervicere. Simulat Lotharingius Turcas proelio lacessere, dum per idem tempus tota virium mole urbem adgreditur. Ibi gravis cum Soleymane, sed longe gravior cum Abdi, et quidem magis anceps res fuit: nam super perrupto tormentorum ictibus late muro uterque Dux, hic ad enitendum ingruendumque, ille ad obsistendum suos quisque confirmat. Acerrimo conflictu corpora obsessi uti murum opponunt, obsessores uti arietem intorquent. Postremo Abdis fortiter occumbentis caede Turcis animi excidunt. Illico Bavarus arce potitur: et a victoribus debacchans ira, sanguinis sitis, aut praedae fames, insultans laetitia, intemperantia victoriae; in omnes et omnia ferme saevitum, paucis misertum aut parsum. A victis autem inter multa tectorum incendia et sequentes incendia ruinas, caedes stragesque, clamores, ejulatus, gemitus, horror.

Abdis fortis exitus.

Praeclara Christianorum victoria.

Extemplo Lotharingius, eadem vergente ad occasum die, omni expedito equite Soleymanem insequitur: qui ubi hostem urbis potiri conspexit, sibi fuga consuluit, et prope oppidum Dardam; circumsito agro longe lateque vastato, castrisque in arduo inaccessoque positis loco, summam rerum, suis in copiis positam, servatum festinanter confugerat.

Vix defunctus pro sua virili parte his bellicis laboribus Caraphaeus, amplissimo imperio auctus (*) ad alios subeundos statim deligitur. Nam ut Lotharingius Soleymanis profligandi inritus Pestum regressus est, omnem exercitum in duas acies partitur; et alteram Ludovico Badensium Principi, alteram Caraphaeo permittit; illique inferiorem Hungariam, huic vero superiorem, pro-

Divisis ex aequo imperiis, Ludovicus Badensis in inferiorem, Caraphaeus in superiorem Hungariam dimittuntur.

(*) Amplissimus Petrus Garzonius lib. IV *Rerum Venetarum*, quam Historiam summa eloquentia et prudenti veritatis cura conscripsit.

vinciam demandat. Badensi oppida Kapos-wivar, Quinquecclesiae, Siclos et Darda, alia aequioribus, iniquioribus alia conditionibus acceptis feliciter deduntur. Caraphaeus maturabat iter, ut Segedinum urbem, ubi Tibiscus in Maroscum influit positam, in Caesaris ditionem redigeret. Eum stativis obsidebat D. Wallisius, C. Arveniensi, qui in ea oppugnanda occubuerat, suffectus. Bis Turcae conati auxilium in eam urbem inferre; at a Tribuno militum Veteranio bis item fusi. Tamen praesidiarii totis viribus omnique conatu opulentum ejus provinciae emporium defensare. Sed ubi Caraphaeum adpropinquantem cognorunt, quamquam is unum itemque alterum diem oculorum morbo impeditus agmen substiterit, tamen Ducis auctoritate commoti, praediviti urbi vi captae veriti direptionem, antequam adesset, eam Wallisio dediderunt. Eaque dedita, Agria undequaque interclusa est; et quicquid Danubium inter et Tibiscum interjacet Turcis ademptum.

Armorum auctoritate Segedinum ad deditionem cogit.

DE REBUS GESTIS
ANTONII CARAPHAEI
LIBER SECUNDUS

CAPUT I.

Pacis occasione, quam Turcae petitum veniunt, Techelium infestat.

Caraphaeus in maxima suae tempestatis re civili versatur.

Turcicum Imperium bello sociali graviter labefactum.

Ad haec usque tempora Caraphaeus amplissimis armorum imperiis obitis inter summos belli Techeliano-Turcici duces recensitus, nunc vero, cum per eum Turcae a Caesare pacem oratum eant, amplissima quoque occasione oblata utitur, qua porro gentium juris prudentia, et rerum publicarum peritia inter primarios suae tempestatis politicos viros numeretur. Turcica enim Respublica ingentes jacturas factas indolebat: Hungariae Dalmatiaeque regna ferme tota a Caesareis reciperata; Corbaviam Bozniamque aut direptas aut desolatas: Venetos ingenti Peloponnesi parte potitos: florentissimos exercitus fusos caesosque; militum ferocissimos, ducum fortissimos experientissimosque sublatos; funditus exhaustum aerarium; Veziriorum ac summorum belli Legatorum vilem auctoritatem; formidandi nuper universo orbi terrarum Imperii dignitatem graviter imminutam; animos de more navali militia aversos, nunc ob superstitionem terrestri nedum Hungarico, ut solent, sed Polonico Peloponnesiaco quoque bello abhorrentes; provinciis tantum vigoris subesse, quantum vim violenti imperii vix sufferant, nihil praeterea ut externam perferre possint; Germanorum Venetorumque virtuti for-

Digitized by Google

tunam feliciter adspirare; Polonum quidem inritis in Budziacum expeditionibus deteri; sed, cum nuper amplis abdicatis provinciis duabus, belli foedus a Moscho contra Musulmanici Imperii labefactatas vires redemerit, tanto socio fretum longe majori quam Caesarei Venetique armorum felicitate indubitanter usurum.

A legis custode Mehmedes IV liberrima oratione incusatur.

Quae Reipublicae ingentia mala cum Turcarum Dominator vix quicquam sentiret, a forti Mehmedanae legis custode per summam libertatem in hanc sententiam increpitus: « Ejus nequitiam socordiamque Imperium ex florentissima re in eas miserias conjecisse. Majoribus Musulmanorum fortibus dominis triclinia, gynaecea, hortos comparatos, ut virtutem per bella et acies lassatam repararent, non ut extinguerent. Quin si cujus antiqua virtus libidinibus marcescens a militibus desiderata, is delicias suas, quas efflictim deperibat, in suggestum productas, ut omnem ignaviae desidiaeque caussam praecideret, pro concione cum incredibili animi dolore et constantia manu sua decollasse. Imperatores magnanimos Janicsarorum fortiumque virtutem ducum non formidasse, sed tamquam Imperii robur dilexisse; non mutasse Imperii administros, sed antiquos mores et instituta servasse immutata. Nunc avaritia, et avaritiae parente ambitu in principem Imperii urbem omne devicti orbis aurum confluxisse, et in privatorum copia summa aerarium inopia laborare. Sed olim non largitionibus, sed merito ab ipsis regibus spectato honores ambiri. Ita hodie ducum seu imperitiam seu ignaviam Musulmanicae virtuti officere; quam non extinctam, sed vivam et vivacem adhuc satis commonstrasse Coronis in Peloponneso, Neosolii in Hungaria propugnatores; qui in iis urbibus defensandis ultima virium ausi, nihil deterriti sunt ultima quoque in se victoriae jura experiri: et priorem Budae inritam obsidionem Christianis magnam per proelia exercitus cladem aequare: et eam ipsam vel nuper captam tot tantaque Musulmanicae virtutis exponere monumenta, ut de victoria jam parta pene dubitent adhuc

Cur deliciae fortibus Regibus comparatae?

Crudelis amor Selimi II Turcarum imperatoris.

Fortes Principes fortium subditorum amantes.

Immutatis institutis respublica augetur conservaturque.

Ambitiosae privatorum opes publica inopia.

Saepe nationes degeneres habitae ducum vitio.

Turcae nondum exuere ferociam.

Adversa saepe virtutem excitant.

Expeditiones Venetis dispendiosae,

Polonis difficiles.

Victoriae Hungaricae utiles tempore et mora.

Cur foederata bella non diu constent?

Imbelles reges magna impedimenta exercituum.

Mehmedes IV insigniter auxit Imperium.

Imperium Turcicum incendii simile.

victores. Magnas quidem acceptas clades, sed in eam partem accipiendas, eas divino accidisse numine, ut ad majorum virtutem Princeps excitaretur: ceterum non esse tantas, ut Imperium sint afflicturae. Venetis enim dispendiosas victorias, et alieno milite partas; nec tantum vectigalium reddere, ut ad dissita et longinqua obtinenda stipendiis suppetant; Polonicas expeditiones et comitiorum dissensionibus seras et longo desertarum terrarum tractu deterrimas, ipsi Reipublicae hactenus fuisse perniciosas; Moschum autem ipso foedere cum Polonis percusso satis indicare, ab ipso Turcicam potentiam formidari. Felicia quidem Romani Caesaris arma in Hungaria; sed eas victorias multis post annis aliquid afferre utilitatis. Tandem bellum Christianum foederibus coalescere, quae vel per ipsam unius felicitatem, aliorum seu invidia, seu metu dissolvi solent. Quapropter si Mehmedanae legis observantia redeat, si ipse non ad pompam exercitibus gravem, sed ad vires ipsis intendendas in bellum eat, omnia fausta feliciaque speranda. — Idque firmat — quod non aliqua aetas abierit, sed ab eo ipso Creta, Neosolio et Cameneco captis, ingenti gloria Musulmanicum nomen auctum; — monet postremo — Osmanicum Imperium maximi incendii instar esse, cui si nova provinciarum pabula non suppetant, ex sese in favillas abire et extingui ».

Mehmedes ad bellum expeditur;

Sed paci pronior.

Cur Soleymanes pacem cupit.

Ea oratione Mehmedes commotus aes conquirit, tamquam ad bellum iturus; mox fractus animi facile a Primo Vezirio ad pacem a Christianis petendam inducitur. Eam cupiebat Soleymanes, quia improsperos belli casus Mustaphae et Hibraimo decessoribus suis exitiosos recolens animo, graviores sibi metuebat, cui respublica obvenerat magis labefactata et infirma. Accedebat, quod cum Constantinopoli in Hungariam profectus est, horum alterum a Mehmede diserte habuit in mandatis, uti aut Budam obtineret, aut bellum pace finiret. Quare Bellogradi substitit per speciem ut fines Imperii communiret, incertus quam urbem proximo anno Christiani

aggrediendam decernerent; re autem ipsa ob metum ne in Aula armis exutus facilius opprimeretur. Igitur e longinquo Mehmedi suadet « quod cum tot proeliis obsidiisque decessores Vezirii omnem veteranum militem absumpsissent, hactenus tyrones disciplina firmentur, Imperium interea pacatum agere oportere, quo acrioribus postea viribus restitutis bellum resumat ». Nullo negocio eum Domino animum induxit: quem de pace cogitare per idem tempus inde prudentes conjiciebant, quod Principem superstitioni impositum in ordinem redegit, ac in insulam seposuit, qui frangendi cum Christiano Imperatore foederis Mustaphae auctor fuerat; qua poena superstitiosus populus delinitus, facile probaret, tot tantisque fracti foederis malis novo foedere icto medendum esse.

Primi Vezirii facilius domi opprimuntur, quam foris.

Unde prudentes conjiciebant Mehmedem paci proclivem?

Sed Vezirius de ratione pacis Christianis insinuandae maxime anxius agebat, quod superiore anno, nondum Buda capta, Achmedi Celebi Neosolium in castra de pace misso Lotharingius magno animo responderit « se bellum adversus hostes proferre oportere; si Mehmedes pacem velit, ad Caesarem oratum mittat »: iterumque, cum de permutandis captivis venire simulasset, ut denuo Christianum Ducem de pace tentaret, id retulit: « apud Caesarem et foederatos belli pacisque arbitrium esse ». At enim Turcicus fastus in majorum monumentis nullum memorabat exemplum, quo ii pacem unquam peterent, sed semper hostibus darent: et Buda jam capta, ex Mehmedis mandato pax ab eo necessaria praestanda erat: et post eam victoriam Turcicus Senatus eam urgebat, submonitus, *quavis conditione inirent, ut secundantem Caesaris fortunam perrumperent; non tamen ut induciae tres aut summum quatuor annos durarent, tantisper dum, oblata aliunde opportunitate, felicius arma resumerent.*

Soleymanes angitur de pacis insinuandae ratione.

Turcicus fastus unquam gentium pacem rogavit.

Turcicus Senatus pacem petere urget.

Igitur Mehmudus Aga Peter-Varadino Zolnochum cum collega uno et justo comitatu pridie kal. novembris venit: et Caraphaeo ibi hyberna agitanti, « se a Primo

Mehmudus Aga de pace legatus.

Caraphaeum adit.

Vezirio ad petendam a Caesare pacem publice missum dixit, petiitque — ut Viennam, ubi cum Badensi Marchione ea de re agat, se commeare pateretur. — Rogavit Caraphaeus — an mandatis de ea ineunda instructus veniret? — negavit; ait vero — literas a Primo Vezirio de ea scriptas ad Badensem ferre; in quam sententiam conceptae essent, ignorare ». Heic Caraphaeus ancipiti malo urgebatur : nam a Caesare in mandatis habuerat, Turcas de pace legatos ad se haud sineret commeare, qui certas sibi foederatisque non offerent pacis conditiones. Turcas enim saepe pacis obtentu seu fallere, seu decipere; et nuper maxime, dum Albertum Capraram Caesaris Ablegatum de firmandis induciis Constantinopoli multa et varia caussati morarentur, Viennensem invasionem parasse. Sin, negato commeatu, literas Caraphaeo dare nolint, et omni re integra domum redeant cum usquequaque per vias se de pace legatos venire predicassent, foederatos in immeritam de Caesare suspicionem venire posse, quod is pacem per suum belli ducem in Imperiorum finibus agitet, nec consulat in commune. Igitur ut ne Legati Viennam contendant, et Vezirii literas sibi tradant, eo evasit: « Eos in speciem pacem petitum venire, re autem ipsa ut inter foederatos suspiciones injiciant, unde dissidia oriantur; et pacis mentione in Christianum exercitum evulgata, omnem militum animis vim resolvant. — Mehmudus — se eam sincere petitum venire — asseverat —, ut qui ex Musulmanici Senatus auctoritate a Primo Vezirio legatus esset. Et Senatum et ipsos magnos Turcarum dominos, — Antonius excepit — ubi e re sua esse norunt, nulla honestatis habita ratione, eos qui facile ipsis fidem habuerunt circumvenisse. Itaque se iis haud credere, nisi certissima ejus rei habuerit argumenta. — Unum id sedulo dat Mehmudus — ut Caraphaeus ad Mulsumanorum Patrum consessum scribat, qui eum hac de re faciant certiorem. — Caraphaeus ibi callidum hostis consilium risit — : eumque id sibi consulere, ut scilicet Christiani vic-

Caraphaeo anceps objecta res.

Turcae saepe pacis obtentu Christianos circumvenere.

Prudens Caraphaei consilium :

Paris mentio in animis militum contentionem relaxat.

Mehmudi astus, ne Turcae pacem rogare videantur, et foederatos dissocient

Eluditur sapienter a Caraphaeo.

tores inclyti felicesque in ipso inoffenso ingentium victoriarum cursu Turcis ultro pacis facerent mentionem: et Vezirius suas literas foederatis ostenderet, probaretque Caesaris ducem clam iis de pace cum Turcis agere, quo omnem foederati belli turbaret fidem. — Haec igitur metuens, dixit — se neque Turcici Senatus, neque ipsius Turcarum Domini verbis, sed ipsis rerum argumentis confidere. — Heic Mehmudus — quaenam graviora essent? — rogavit, cui Caraphaeus — ut sibi Techelii caput in antecessum dono detur. — Turcaeque petitionem demiranti — quid mirum — subdit — si uti duûm summûm Imperiorum par est, aeque uterque cum altero utamur jure? Quotiens Caesar ad Turcicum Senatum Ablegatos de pace misit, ii magnificis donis eos purpuratos ornarunt, ut sibi eorum animus devincirent, nec minori munificentia usi sunt cum summis belli ducibus, quibuscum ad utriusque Imperii limina de pace agitare mandatum est. Se vero dono petere Techelii vile caput, detestatum suis, ceteris nationibus turpe, Turcis ipsis exitiosum; quod ut omnium suorum malorum caput jamdiu diris ultro ipsi devovere debuissent; tunc vero eos bellum odisse, pacem cupere serio graviterque significarent». Turca Legatus a Christiano Duce imperii sui arcanum tentari; eumque, servata Romani Imperatoris dignitate, Techelium privato nomine sibi proditum velle, ut sub eo exemplo nemo omnium Hungarorum posthac a Caesare sub Turcarum fide desciscceret, qua porro eidem tradendus esset. Igitur *Athname* opposuit *quo suus Musulmanorum Dominus Techelium semel in fide receptum sancte servaturum dejeraverat.* Sed eum Caraphaeus hac oratione confutavit: « Demiror sane vestram jurisjurandi religionem, qui per pacem et inducias tumultus excitatis, occupatis urbes, arces et munimenta diruitis, bella direptionibus et vastationibus magis, quam solemnibus foecialis juris formulis soletis indicere. An Soleymanis immemores, qui cum se, Vezirio vivo, numquam fauces collisurum jurasset, mox ab eo gravi-

Cum Turcis non verbis, sed rebus fidendum est.

Caraphaeus Techelii caput sibi dono petit.

Legati a Caesare ad Turcas de pace ejus Aulae Proceres magnificis donis ornarunt.

Caraphaeus Techelii caput deposcens Imperii Turcici arcanum tentat.

Athname apud Turcas quid valeat?

Turcae primum rem, deinde fidem sequuntur.

Turcae juris foecialis contemptores.

Juramentorum religionem cavillis eludunt.

ter laesus, vestrae superstitioni praepositum per ludibrium consuluit, quo pacto salva jurisjurandi religione laedentem ulcisceretur, per ludibrium quoque responsum retulit: dormientem, quia tunc non viveret, jure caedi posse? Et istam esse vobis jurisprudentiam, ejusmodi verborum cavillis juramentorum custodire sanctitatem? Ego vero id haudquaquam petissem e Christiana gente, quae adprime novit sacramenta custodire, unus Caesaris ducum, qui pactorum observantissimus celebratur; nisi certo scirem ejus juramenti nullam vim esse ac potestatem, quo subditum contra regem suum concitastis, regnum alienum beneficio dedistis, et foedifragis armis firmare conati estis. Peto enim foederis perfidiose rupti auctorem tradi, quem fas gentium ultro dedi hostibus jubet. An iniqua juramenta servatis? nihil autem pensi habetis quae generis humani jure probata sunt? » Legatus eo sermone commotus substitit paullum cogitabundus, forte animo volvens magna saepe necessitate urgente statas regni rationes perrumpi; et flagitium arte aliqua occultari posse, ita ut Techelius nulla Turcarum ope, consilio nullo circumventus et proditus videretur; mox Caraphaeum sciscitatur: « An, Techelio tradito, pax certo sanciretur? eam enim rem dubiam sui capitis periculo stare — dicebat —: nam si ad Vezirium postea redeat, infecta pace, procul dubio se morte daturum poenas ». Cui Dux respondit: « Se ea de re ad Caesarem omni officio scripturum: ceterum Caesaris et foederatorum ejus faciendae summum jus esse et arbitrium: atque adeo gravitate multo majore se id iis promittere quam Turcae Senatores Ducesque: qui saepe muneribus donisque acceptis, per summam vanitatem ne tum quidem, quum adpromittebant, animati erant quae de pace spondebant praestare.

Jurisprudentia Turcica in subtilitate verborum spectatur.

Caesaris praecipua laus foederum servantissimum esse.

Foedifragii auctores ultro hostibus dedendi.

Magna necessitas statas regni rationes perrumpit.

Turcicae aulae Proceres saepe vani in iis quae de pace Christianis promittunt.

His igitur rationibus Mehmudus persuasus petiit a Caraphaeo « ut in rei secum actae testimonium ad Primum Vezirium scriberet ». Caraphaeus, ut dignitatem obtineret, id denegavit: « cum ab eo literas ad se nul-

Caraphaeus Imperii dignitatem sedulo curat.

las scriptas accepisset, et aequalitatem heic quoque servandam ratus, quando Soleymanes Mehmudum dignum putavit, qui ipsius ad se verba ferret, dignum quoque qui sua ad eum referat putare oportere. Sed ut ei gratum faciat, tamen ad eum scribere Mehmudum ad se de captivis permutandis venisse — uti re ipsa aliquot permutatum venerat — ut inde is sua mandata executum esse intelligeret ». Heic a Mehmudo Soleymanis literas ad Hermannum Badensem scriptas accepit; easque cito tutoque ad eumdem missurum pollicetur; mox literis a Caraphaeo acceptis, gratiisque diligenter actis, a colloquio Mehmudus discessit, spe data *intra viginti dies se optatum donum Caraphaeo adlaturum:* cui Caraphaeus subdit, *ut alioqui itineri parceret.* Ita Summum Numen superbos adfligit! Hactenus Turcae jactabant, numquam Imperium suum ad petendum ullo regi, liberove populo pacem demissum esse; nunc eorum perfidia factum ut Vezirii literae, quibus Caesari pacem insinuabat, ne per legatum quidem, qui eas cum dignitate ferret daretque, sed vulgo per tabellarium perferrentur.

Caraphaeus literas Primi Vezirii ad Marchionem Badensem de pace scriptas accipit, et Viennam tramittit.

Aucta Germani ac deminuta Turcici Imperii dignitate.

His peractis, Caraphaeus ad bellicum Senatum scribit quod « Aga Mehmudus nomine a Magno Vezirio missus ipsum rogaverit, mandatane faciendae pacis haberet, an saltem potestatem, qua ipsum ad Badensem Marchionem sineret commeare; se respondisse neutrum ». Ex iis literis ad Senatum refertur, cui amplissimus Bonvisius Cardinalis Pontificis Romani Legatus, et Fridericus Cornelius Legatus Venetorum adfuere; et *Caraphaeum recte utrumque egisse probatum est.* Alio Senatus die, quo Venetus Polonusque Legatus convenerant, Vezirii literae, quas Caraphaeus ad Caesarem recta miserat, recitatae, quibus significabat: « Se fracti foederis animitus angi; aliquo tamen pacto solari, quod jam auctores commeritas sceleris sui poenas dederint: at pios utriusque Imperii subditos aliena culpa immerentes vexari aequo animo omnino ferre non posse. Si Christianorum Imperator humani sanguinis parcus ad pacem inclinet, con-

Caraphaei acta a Senatu probantur.

Primi Vezirii literae recitantur.

gressui locum edicat; et, tantisper dum cum libera rei agendae potestate Legatum mittat, se suo Musulmanorum Domino auctorem futurum ut quieti ac tranquillitati publicae velit jubeatque commodari; speratque fore ut Summum Numen piorum adnuat votis ».

Preclara foederatorum consensio.

Polonus Venetusque super iis sententiam rogati sunt; et primus dixit: « Regem suum communem foederati belli fortunam constanter prosequi decrevisse ». Sed Cornelius nova Venetorum fidei edidit argumenta: « quod cum Vezirius Joh. Bapt. Donatum donum mox reversurum quaedam de pace submonuisset, quae is ad Senatum attulit; Patres illico omnem ejus rei institutionem praecidendam jusserunt ». Igitur Badensis de Consilii sententia Soleymani respondit:

Hermanni Badensis Primo Vezirio rescriptum.

Antequam de pace agitetur, damna belli emendanda.

« Nihil minus expectatum sibi evenisse, quam eum ad se de pace scribere, neque satis offerre, quae damna injusto bello dederint Turcas in antecessum esse emendaturos, quemadmodum Caesarei, quotiens ab iis petiere pacem, fecere: et nuperis vicennalibus induciis, quamquam Turcae bis proelio fusi essent, tamen Vivarini Varadinique, aliorumque oppidorum, quae jam usque a Soleymanis temporibus Hungarorum Regum possessione per Turcicam vim exciderant, Caesarem jure cessisse. Foedus ab iis contra gentium fas ruptum; unde merito jure Polonum Venetumque Caesari Christianae gentis Principi contra injustum Christianorum sacrorum et foedifragum hostem sociatos: quare de iis quoque in concipiendis foederis legibus rite et ordine habendam esse rationem. Neque Turcas scelus paucorum auctorum mortibus expiasse, cum maxime Techelium omnium malorum caput in sinu turpiter foveant. Oportere igitur eos non perfunctorie repromittere, sed satis idonee cavere damna sumptusque belli Caesari foederatisque ante omnia repositurros. Quare, crudis adhuc rebus, eos conloquio locum indictum petere importunum videri, et intutum: qui saepe per inducias urbes occupant, agros populantur, perduelles recipiunt,

Jure Polonus Venetusque cum Caesare contra Turcam foederati.

De foederatis justa habenda in pacis tractatu ratio.

Turcicae paces bellis infestiores.

tributa graviora indicunt, atque adeo per pacis simulationem dant mala, quam si bellum inferrent, graviora. Si igitur ex animo fractum improbent foedus, et serio ad pacem inclinent, aequa proponant, tuta promittant: quod si fecerint, Caesarem humani sanguinis frugalissimum haud sane Congressum esse detrectaturum. Cetera se eis bonam mentem optare, ut Summi Numinis iram tempori placare possint. »

Primus Vezirius Mehmudum in carcerem trudit;

Sed Mehmudus, qui has acciperet literas, ad dictam diem non rediit: nam Soleymanes eum in ordinem redegerat, et in carcerem trudi jusserat: quia ut dictitabat, cum literas ad se nullas a Caraphaeo scriptas de re cum eo acta dedisset, eum vana renunciare arbitrabatur: vero tamen propius quod nullis certis ea de re mandatis acceptis, Vezirium Techelii caput Caraphaeo proditurum spoponderat.

Ne Techelium dono det Caraphaeo.

CAPUT II.

A Mehmede Aga Turca Legato aditur; Soleymani, Primo Vezirio, et Alexandro Maurocordato de pace respondet; et Techelii apud Turcas auctoritatem imminuit.

Alexandri Maurocordati elogium.

Sed cum Soleymanes quoquo modo pacem effectam cuperet, ad Caraphaeum scribit; et cum suis Alexandri Maurocordati quoque literas involvit. Is enim erat apud Turcas primarius linguarum interpres; vir religione Christianus, natione Venetus, qui quamplurimas per nationum ora viventes linguas callebat, nec latinae graecaeque prorsus inelegans; sed nativa prudentia, et magnarum usu rerum, quibus adfuit, interpres, in agendis rebus dexter, expediendis consiliis satis acutus; et ob id ipsum apud Turcas non spernendae auctoritatis, quod varia apud eos fortuna jactatus, semper fidi interpretis famam locumque apud eosdem obtinuit.

Mehmedes Agarei civilis doctrina domi clarus.

Cum iis literis Mehmedes Aga, in historia versatus satis, patriique moris prudentissimus, et ob id apud Primum Vezirium multo in honore habitus, Varadino ad Caraphaeum venit. Is autem nullam pacis faciendae potestatem prae se ferebat; nec quid Vezirius scriberet se certo scire profitebatur; id vero ajebat « Caraphaeum in dubium revocare non oportere quod Turcae pacem cuperent; cum nullum in majorum monumentis extaret exemplum, quo Osmanica Potentia ad pacem a quoquam quamvis maximo orbis terrarum Rege petendam usquam gentium demissa sit: neque vero ad eum nunc denuo de pace legaret, nisi sedulo serioque eam vellet: — ad exitum orationem confert — ut scripto et cito respondeat: quod intra quindecim omnino dies sibi esset redeundum ». Ibi tum Caraphaeus Vezirii primum literas legit, quae in hanc sententiam scriptae erant.

Rara Leopoldi gloria hoc bello parta.

Primi Vezirii literae de pace ad Caraphaeum scriptae.

« Foederis fracti auctores meritas jam dedisse poenas, et piorum curam sibi Divina Providentia permissam: qui ad pacem suopte ingenio pronus ad Badensem Consilii Bellici Praesidem de ea ineunda scripserat. Sed commeatum Legatis sive florente pace, sive adeo grassante bello apud omnes nationes permissum, Legatis suis denegatum, neque literis suis quidquam responsum. Haud verisimile sibi videri, quod is negocium ad piorum pacem tranquillitatemque propositum praepedire, et Summi Numinis iram, ad quam gentes humani juris in se violati vindicem provocant, suo suorumque capiti adcersere non dubitarit. Quamobrem, cum id animum inducere nullo modo posset, selectissimo Christianae gentis Duci tantam superbiam inhumanitatemque esse insitam, ut jus cum humana ratione natum haudquaquam agnoscat; reversum Mehmudum, ut vana referentem, in carcerem conjecisse. Ut is igitur adprobet quae de instituenda pace Mehmudo verbis mandaverat, per literas praecise, diserte et quamprimum se faciat certiorem. Neve putent Germani, Musulmanorum Imperium ex uno et item altero adverso belli casu, quasi proeliorum discriminibus cladibusque

Legatis liberum per arma, per hostes iter.

Summum Numen humani juris violati vindex.

Caraphaeus a Primo Vezirio superbiae inhumanitatisque insimulatur.

Turcica ferocia,

confectum, de divina ope animum despondisse. Esse adhuc divina Mehmedis virtute pro ingentibus cogendis reparandisque exercitibus facultates promptas, paratas opes. Postremo Summum Numen, justis ac piis aequum, ambitiosis turbidisque grave, eum vereri ac metuere commonet exhortaturque. » Animique.

Maurocordatus verbis ad benevolentiam lenioribus, et magis ad obsequium, ut par erat, compositis, in eamdem Soleymanis sententiam scribebat:

« Primum Vezirium neque Mehmudo commeatum permissum, neque literis suis rescriptum graviter tulisse: quando Caesaris de pace Legatis semper a Musulmanis per summam mansuetudinem iter liberum patuit. Itaque eos summe demirari, non perinde cum Mehmudo actum, qui publice Legatus cum literis ad Christianos veniret. Quapropter eum orat, ut quid ejus sit, sibi caussas aperiat: persuaderi enim omnino non posse, id temere actum ab amplissimo belli Duce, terrarum orbi conspicuo, et satis merito qui imperatoriam Romani Caesaris referat dignitatem. Idcirco Vezirium, generis humani quieti suapte natura proclivem, ne ex levi fortasse caussa institutus tantae rei ordo abrumpatur, ad eum scripsisse literas, quod aeternae utriusque Imperii saluti et Caraphaei gloriae, numquam annorum longinquitate perituraе, futurum sit. Occupandam occasionem, antequam Osmanicum Imperium, cujus vires, uti sub favillis ignis occlusae, non extinctae sunt, excitentur. Ei satis notas Imperiorum vires, Regum consilia, temporum utilitates; et semper decori, saepe emolumento, numquam poenitendum, prospera fortuna modeste uti. » Alexandri Maurocordati literae ad Caraphaeum. Caraphaei laus. Praeclare dictum.

Perlectis literis, Caraphaeus Mehmedi respondet: « se quamquam summum in ea provincia armorum imperium habeat, tamen ejus jure imperii de summa re solum decernere non posse; sed omnes in ea provincia belli Legatos convocare oportere ». Mox autem cogitans, Mehmedem cum nulla pacis faciendae potestate venisse, ac proinde eum conventum inutilem fore, ad Caesarem scri- Caraphaeus de ea re scribit ad Caesarem.

bit, quo certis ad rescribendum mandatis instruatur: interea edicit *Mehmedem de captivis redimendis venisse*, ne belli res pacis mentione turbarentur. Acta re in Senatu, Caraphaeo injunctum ut Primo Vezirio ex auctoritate respondeat.

Literae a Caraphaeo ad Primum Vezirium scriptae.

« A se Legatum Vienna prohibitum, quia nullis de pace certis mandatis instructus venerat: ad bellicum tamen Consilium literas tramisisse, ut ex literis quae ab eo ad ipsum rescribuntur cognoscet. Itaque se eo ipso tempore, quo Legato commeatum negavit, pacis instituendae viam, quantum in se fuit, munivisse. Jure quidem gentium liberum patere Legatis per arma, per hostes iter; sed diserte edixisse Caesarem, se, nisi prius certae pacis conditiones sibi foederatisque per Turcas dentur, nec posse, neque adeo velle quicquam cum iis de pace agere. Cum igitur per conloquia cum Legato habita eum mandata nulla habere intelligeret, rectius putasse id belli Consilio mature significare, quam ejusmodi Legatum, quicum nihil agi de pace posset, Viennam sineret commeare; aut in provincia belli Legatorum convocare Consilium; eoque pacto terere frustra tempus, rumores de pace excitare vanos, suspiciones foederatis injicere, et proximae pacis spe intentam legionum virtutem arctamque disciplinam resolvere. Igitur si is ex vero pacem cupiat, Legatum iis mandatis instructum Viennam mittat, ut foederati unanimi consensu agere cum eo possint: in hanc legem suam ei operam adpromittere; an autem uti velit, id in ejus esse potestate. Ablegatum autem ab eo custodia habitum demirari; neque enim aequum fecisse, qui ejus orationi fidem habere ipse noluerit, cujus verbis credere voluerat alios. At enim veri haud simile videri Turcas Techelium scelestissimum hominum in fide habere, et foederis rupti animitus poenitnisse; in cujus legibus una est, A NEUTRO IMPERIORUM SCELESTOS HOMINES PROTEGI FOVERIVE. Si plane intelligant, capiti suo Summi Numinis iram foedifragio adcersivisse, cur scelerato Techelii capite se

Purgat inhumanitatis superbiaeque insimulationem.

Rumores de pace bellis maxime socialibus noxii.

Turcae fracti foederis rei.

non expiant? cur non pacis conditiones omnibus foederatis aequas atque adeo justas adportent? cum in praesentia res temporaque ita sint comparata, ut aliter pax coalescere omnino non possit? Et tamen pie bellum a Christianis geri; cum naturalis ratio dictet armis injuria lacessitos armis tueri, et qui ultro inferunt bellum, ut ii et belli damna sibi inlata aequo animo patiantur, et quae per injuriam ipsi aliis dedere, reponant. Fortunae quidem prosperae moderari pulchrum; sed enim Caesarem et foederatos vanam et subdolam, non solidam et sinceram pacem abnuere. Igitur in eos protracti belli, et sanguinis porro effundendi divinas poenas recasuras, qui et bella injusta inferunt, et simulatas paces proponunt».

Pia arma quae?

Belli ultro inlati poenae.

Turcarum injusta bella et simulatae paces.

Eadem ferme verborum vi Maurocordato respondit, hoc diserte addito: «nisi Turcae certa et aequa in antecessum Caesari foederatisque proponant, nunquam Christianos cum iis de pace congressuros: idque adeo quod foederati sperent, fidantque plus quam pace bello proficere. Quare aut Soleymanes in id conveniat, aut eo inutili literarum commercio parcat».

His acceptis literis, Mehmedes ad Soleymanem redit; qui ut Caraphaeo gratum faciat, quo eum sibi devinciat, Mehmedem *Capizibassium* creat, honoris genus apud Turcas minime contemnendum: eorum enim est formidolosiora Osmanicae Domus arcana scire, et ejusdem saeva mandata exequi; Mehmudum vinculis exsolvit, tamquam tunc demum certo nosset eum sibi vera retulisse: et Caraphaei quoque honore et gratia, pristino honori suaeque gratia restituit. Techelium, colore belli eo anno administrandi, ut suo loco narrabimus, evocat; mox custoditum servat, neque rem ullam suo ductu gerere sinit. Unde postea varii rumores nati; Caesaris studiosi putabant, alii *eum, Turcicis rebus convulsis, nullam apud eos dignitatem habere;* alii, *ut proditorem ipsis gravem e medio ab iisdem sublatum.* Qui non tam abjecte de eo conjiciebant, *eum vulnere in-*

Primus Vezirius Caraphaei gratia Mehmedem *Capizibassium* creat;

Mehmudum vinculis exsolvit, et pristino honori restituit;

Techelium asservat.

De Techelii fortuna rumores varii.

validum, per acies superiore aestate accepto, aut impeditum aut mortuum arbitrabantur. Perduelles vero meliora: eos enim cum *Athname* solabatur, quo in Musulmanici Imperii fide receptus erat; tum viri fatum, quo ita natus erat, ut perculsus altius erigeretur.

CAPUT III.

Cum Mehmede Aga sermonem habet, quo justa Poloni ac Veneti arma docet; Turcam de spe dejicit, Caesarem nisi foederatis satisfiat, pacari unquam posse; et de ulteriori belli prosperitate disputat conjecturas.

Non multo post Soleymanes eumdem Mehmedem, commutandorum captivorum obtentu, Eperiem ad Caraphaeum mittit, qui eum doceat «quae ipse grata Mehmudo sibique fecerit, ut probaret quam honorificum putet cum tali Duce amicitiam inire. Quin Techelium, quem ab Hibraimo eversum restituerat et impense fovebat, jam ejus dono servare: rogare nunc, vivumne an mortuum optet: mortuum enim dare et lege sibi permissum, et cum magnus Vezirius in eos omnes qui in suum imperium peccant summum gladii jus habeat, eum colore quod aut suum imperium spreverit, aut non recte executus sit, optimo jure necare posse: vivum autem tradi *Athname* vetare, quod contra quemvis hostem eum protecturum sancte promittit. — Ibi Caraphaeus — gaudere se — ait — quod Soleymanes honores ab eo et Mehmudo promeritos sibi imputet; et parem, sicubi usus venerit, gratiam ei se relaturum promittit: — de Techelio autem monuit — induciarum legibus cautum, CAESARIS PERDUELLES A TURCIS NE PROTEGANTOR: quapropter eos vivum dedendo servare potius quam frangere fidem — conficiebat. Ad haec — Techelium fraudem *Athnami* fecisse, Hibraimi judicio declaratum, qui eum vin-

Turcica legum superstitio.

Magni Vezirii infinitum in Turcas imperium.

Turcici juramentorum cavilli.

Techelius ex foederis lege vivus dedendus.

culis oneravit ». Cui Mehmedes ultro addidit « *Athname* ei a Kara Mustapha datum sine omni Senatus auctoritate; unde successorem non obligare ». Ex qua voce Caraphaeus perspexit Turcam bona fide agere. At Mehmedi sciscitanti « an, Techelio tradito, pax certo futura? — respondit — pacem quid aliud esse; nunc agi de levidensi munere, quo is primo privatim donandus sit, quo certius postea belli Consilio probare possit eos serio pacem petere, ne temere eorum postulata ad suos Patres adtulisse arguatur: modo tamen ita concipiant ut et Caesaris et foederatis omnia quae jus belli dictat fecerint satis. Caesarem enim, qui in aeternis regni arcanis id habet, foedera religiose servare, nisi cum omnibus QUANTO AEQUIUS MELIUS ACTUM SIT, in nullum pacis placitum unquam esse consensurum ». Heic Mehmedes opposuit « belli jure foederatos sibi, non se foederatis teneri; quod ipsi foedus fregerint, qui cum Musulmanis agitantes pacem, bellum contra ipsos ultro sumpserunt ». Id Turcae dictum Caraphaeus eo argumento confutavit: « Quod, cum communia sacra unam veluti civitatem rempublicamque Christianis constituant; cuique Regi Summo liberoque populo Christiano jus sit alium a communi Christianorum hoste sacrorum armis lacessitum auxilio juvare; idque adeo fas esse, cum Christiani nominis Principem Caesarem injusto bello petierint: tunc vero eos foedifragos vere accusarent, si arma Caesari foedifrago sociassent ». Ibi Turca, ut solent qui ratione impares animi perturbationibus pugnant, commotior paullo, *Summum Numen inquietis adversum* imprecatur, *placidis propitium* implorat; *pro Mehmedanis sacris suos omnes desudaturos* minatur; *in divinæ manu esse victorias; et quidquid in aeternae providentiae sinu latet, brevi in lucem proditurum* confidit. At Caraphaeus, sedati speciem obtinens, eum videre jubebat, « ne quae Christianis imprecatur, in suorum caput sint recasura: jam enim Deum Optimum Maximum belli justitiam ab eo stare a quo stet fortuna judicasse.

Senatus auctoritas apud Turcas quid valeat.

Austriaci Imperii arcanum foedera custodire.

Caraphaeus Mehmedi adprobat, Polonum Venetumque justam gerere bellum.

Sacra communia unam Christianis civitatem contra Turcas constituunt.

Imperator Romanorum Christiani nominis Princeps.

Turcica confidentia.

Summum Numen armorum fortunam, bellorum justitiam asserit.

— Atque heic miserantis induens vultum — indolebat Turcarum vices, qui Summum Numen satis iratum haberent, quod foedere contra gentium fas temere violato, in caussa fuissent ut innumera virorum funera, tantae vastitates, direptiones, incendia et omnia quae bellum ferat, foeda tetraque sint admissa facinora. Qua nunc de caussa innumeris ac luctuosis cladibus acceptis, totiens fusi, fugati, caesi profligatique; tot castris, urbibus, munimentis exuti, meritas foedifragii poenas luant. Contra Caesarem, foederum servantissimum, omnibus bonis, faustis felicibusque auspiciis bellum prosequi; et Augustam domum, tota ferme Hungaria reciperata, eluere; Christianos autem reges foederatos memorandis terra marique victoriis quatuor perpetuos annos de Turcico fastu triumphare. Sed neque spem tot his tantisque bonis partis exhaustam; restare fiduciam fore ut non solum reliquae amplissimae provinciae a florentissimo olim Hungariae Regno discerptae abstractaeque reciperentur; sed ut Osmanica gens omni prorsus Europa et ipsa tanti Imperii digna sede Constantinopoli ejiciatur; ut vix remeato mari, in Asiam, unde alienis classibus trajecit, sese recipiat. — Explicabat — Caesaris et foederatorum exercitus, classes, eorumdem foederis constantiam et fidem. — His addebat — Moschum, ipsis formidandum hostem, cum Polono nuper contra eos arma sociasse; ut potenti diversione eorum exitio connitatur; jamque Legatos ad Caesarem splendido comitatu misisse, inde Venetias transituros. Cumque Persa cum Moscho contra ipsos ac Tartaros aeternam agat armorum societatem, facile futurum ut tanta a Christianis opportunitate oblata, bellum in eos altrinsecus moveat, ut undequaque rerum difficultatibus opprimantur. — Commonstrabat praeterea — eum omnem Hungariae tractum qui Budam usque protenditur reciperatum; Caesarem majore Danubii parte, Dravo ac toto Tibisco potitum, quoque eorum fluvio secundo ductare exercitus, penetrare in hosticum, ibique contra eos sui Imperii destinare fines facile posse;

Quae et quanta fracto foedere mala a Turcis data?

Quantas de eo poenas dederint?

Quae bona ex foederum fide Caesar assequutus?

Quae porro majora speret.

Foederatorum opes et fides.

Moschus Polono contra Turcas belli societate junctus.

Conjectura ut Persa contra Turcam bellum moveat.

Hungaricae victoriae hoc bello partae.

Aliarum reportandarum commoditates.

Digitized by Google

omnesque urbes et oppida intra eos limites sita, cum iis nulla spes adfulgeat auxilii, nullo commisso proelio, nulla oppugnatione instituta, earum sponte in suam redacturum esse potestatem. Jamque, ut has incipiat perficiatque provincias, prompta parata omnia; Christianos, qua sint virtute, ab iis satis cum ipsorum pernicie spectatos; aeraria non ita exhausta ut templa exuere sit opus, quemadmodum Soleymanes superiore anno fecit; animos ipsa Numinis pietate feroces, non, uti Turcarum, superstitione perculsos. Quare se iis privatim consulere, ut mature suo excidio provideant ». Mehmedes ad haec *misericordem hostem* laudare, sed intelligere quoque *eum rerumpublicarum scientissimum Ducem Turcici Imperii vires non tam infirmas nosse, ut si alteris tantis adversis proeliis pugnasset, jam concussum conrueret.* « Quis scit — inquit — an per eas acceptas clades fractum foedus expiatum, et Summi Numinis irae litatum sit? Istas autem Christianorum magnificas bellorum societates, a se, ut semper alias, nunc quoque contemni. Neque metuendum ut Persa in communis Mehmedanae legis exitium ruat; neque ita, ut sibi fingunt, facile fore Caesari arma ulterius promovere; cum jam suus Musulmanorum Dominus, voluptate posthabita, generosam in animo majorum virtutem excitarit, ut Musulmano militi pristinam belli ferociam inspiret. Ei vero esse contra foederatos, alias atque alias utilitates captantes, cuncta suo unius nutu parata; et tamen pacem velle dum ipse bello expeditur; neque id facere hostium metu, sed ut foedifragio laesis sua Imperii majestate submissa Summum Numen perjuriorum ultorem placet. Quare Christianos potius monendos, ne secundante fortuna superbiant; modumque prosperis rebus adhibeant, et tanto ac tam diuturno dexterae fortunae usu contenti sint ». Tum Caraphaeus: « Verbis, uti feminas, bella gerere haud decorum putare viris: sed ut Christianos victoriarum intemperantiae purget, id restare tantum ut dicat: in Regum manu esse pa-

Copiae expromptae.

Formidandae hostibus vires.

Aeraria non perinde, ut Turcis, exhausta.

Christianorum animi pietate feroces, Turcarum superstitione perculsi.

Caraphaei a Mehmede laus.

Turcarum animi.

Turcae Christianorum foederata bella contemnunt.

A Persis securi.

Commodum unius praepotentis Regis contra Foederatos belligerantis.

Turcica animi praestantia et gravitas.

Christianos Turca temperantiae admonet.

Caraphaeus Christianos intemperantiae purgat.

Sapiens Caraphaei dictum.

catos agere; sed ubi ex proferendi imperii libidine injusta bella moverunt, unius Summi Numinis esse armorum impotentem fraenare cursum: homines autem nihil ultra posse nisi Divos eam humani generis pestem deprecari, et adposita pacis argumenta perquirere et adhibere». Tum demum Aga veniam rogavit «si quid sibi in eo satis longo sermone imprudenti forte aliqua exciderint». Cui Dux Christianus subdit: «ipsum quoque, quae dixerit, ex privata benevolentia et familiariter dixisse: nam si Legatus de pace iterum venisset, cum justas pacis conditiones foederatis nullas adferret, omnem ab eo sermonem publice segregasset».

Mehmedes verborum cautus.

Caraphaeus dignitatis sedulior.

CAPUT IV.

Varadiniensem provinciam suo aere gerendam proponit; et tamen sententia non probata.

Annus MDCLXXXVII

Jam interea quintus coeperat circumagi belli annus, neque adhuc pro ingentibus victoriis in Hungaria relatis partae opes, quae enormia earum impendia repararent. Igitur Caraphaeus, *Varadinum armis quam mox petendum*, ad Caesarem sententiae loco scribit (*), ut Turcicas vires uno ictu percellat; unaque opera Transylvanos coerceat, a quibus omnia Hungaricis bellis fomenta et magna Turcis adjumenta suppeditata; et tandem aliquando dignum praemium belli tantis sumptibus damnisque gesti reportet.

Caraphaeus Varadiniensis provinciae utilitatem facilitatemque docet.

Varadinum Transylvaniae fraenum.

Docebat enim «Turcas quamquam Hungariae perpetuum saeculum et ultra potenter sint dominati, ac tantundem temporis Budam, Themiswar aliosque Transylvaniae fines possederint; id tamen Regnum numquam subigere potuisse: quamobrem modesto iis principibus tributo indicto contenti sunt. Tandem anno MDCVI Va-

(*) Ex volumine Epistolarum ad Caesarem, ep. 27.

radinum cepisse, eoque capto, Transylvania universa potitos; inde porro ei provinciae socios verbo principes, re vero purpurata mancipia sub gravissimo tributorum onere imposuisse ». Sub hoc exemplo Turcicas vires prius Varadini a Caesare adligi oportere censebat ut mox Transylvania potiretur.

Ex literis Caraphaei ad Senatum refertur. Varadinum munimentorum Hungariae ocellus.

Caesar ea de re ad bellicum Consilium retulit. Sed major pars censuit « Varadinum quidem omnium Hungariae munimentorum ocellum semper omnibus habitum esse; et utilissimam quidem expeditionem videri, si aliae nullae, quam Hungaricae res, agerentur. Sed Europae emergentes alias aliunde necessitates postulare, Caesarem ita Hungaricas res gerere, ut ad alias, si quae forte alibi extiterint, gerendas quoque paratus sit et intentus. Varadiniensem enim provinciam arduam longamque esse; necessaria ei bello mature paranda; militem jam instructum expeditumque agere necessarium; ut et in validissimum munimentum impetum facere, et praesidiariis Bellogradi Turcis una opera obsistere posset. At a Danubio ad id oppidum usque ingentem impedimentorum copiam ad xxx hungaricas leucas per siticulosa terrarum deserta subvehendam. Atqui aerarium languere; et ad inopinos ab Gallia tumultus quoquo modo servandum militem; nec ad provincias mittendum, quae quamquam utiles, asperae tamen sunt et cruentae. Utilius res leviori molimine conari, et Themiswar ac Titul, ubi Turcae commeatus adservant, oppugnanda adgredi; quibus oppidis captis, Varadiniense obsidium facilius futurum: eoque pacto Germanum militem contra subitos Galliae, si qui forte oriantur, motus magis in Hungaria cum aliqua utilitate exerceri, quam totum occupari distinerique. Esse praeterea, et alios ejus consilii non spernendos usus: nam si Bellogradum obsideri e re esse videatur, nullum ei rei fore impedimentum cum Valacho Moldavoque facile arma Caesaris jungi posse; Transylvanum in arctiores angustias redigi; Turcis ab Agria Varadinoque, Transylvanis a Bellogrado om-

Caraphaei sententia a Senatu improbatur.

Quibusdam e Consilio Themiswariensis provincia utilior videtur. Ejus commoditates.

nem intercludi commeatum; Giulam Lippamque interclusas aut ultro ad deditionem venire, aut certe facile capi, antequam hostis omnes copias in campos educat; modo Caraphaeus Marusii ripam equitando, cum aliquot tormentis, quae a regiis Hungariae urbibus ei devehantur, eo fluvio potiatur; postremo Caesaris exercitus ab utraque Tibisci Danubiique ripa facile et commode utrumque alteri, ubi necesse sit, opem ferre ».

Caraphaeus suam sententiam tuetur.

Sed Caraphaeus « hos rescriptos metus expeditionis celeritate et militis aerisque compendio disjici omnes *censebat*, modo Caesar ipsi eam provinciam adornandam praemature decernat. Namque arx vasto suburbio cincta, quod unius diei mora, omni milite salvo caperetur, ita ut impressio in solam arcem facienda, quae et ipsa propugnaculis omnino nullis munita: frequentes incolae, suburbio capto, omnes in eam sese reciperent, ubi nullae substructiones, sed casae ligno contectae; itaque conferti inter tigna et asseres ignitarum vim pilarum nullo pacto perferre possent: et quamquam fossa amne oppleta circumdatur, tamen esse, qui artem callent qua aqua diffugiat: quemadmodum a Turcis factum, quando ea urbe potiti sunt. Caesaris arces et munimenta militis terga firmarent, et numeroso exercitu non sit opus. In novo autem arcis Sancti-Jobi claustro commeatus adservarentur, quos Debrectiniensis uberrimi soli ager sat abunde ad manum subministraret; Transylvania quoquo pacto prompta equo alimenta praeberet. Sex equitum millia, quotam summae rei partem! et modestus tormentorum numerus ad rem expediendam sat esse: et cum omnia desint, se in ea re conficienda omne suum patrimonium conlocaturum.

Varadini armis capiundi facilitas.

Incoepti securitas.

Commeatus exprompta copia.

Parvus militum numerus.

Provinciam de suo aere conficiendam promittit.

Themiswariensem expeditionem reprehendit.

« At si Themiswar adgressum eant, Transylvania haud sane volens suam opem contulerit; quae, cum Caesaris exercitus longe agant, nulla sane vi cogi potest. Tum vero omnia militi belloque necessaria eminus et difficulter petenda: et ejusmodi minora oppida facile capi, facile recipi; ut ad ea contra hostem obtinenda, si forte

Minora oppida facile capi, facile recipi.

adsit, justo exercitu opus sit. Iis quidem munimentis Transylvaniam infraenari, et veluti stativa Varadino circumduci, et commeatus ab Transylvania Bellogrado intercipi: sed absque iis, Tibiscus, qui Germanis jam patet, cum nullus ibi hostis arces habeat sitas, Bellogradensem provinciam secundaret. Sed et tunc Transylvaniam inter et Bellogradum commeatus intercluderentur, quando hostis eos parva manu protegeret; sin valida tueatur, praesidiarius eorum oppidorum miles aut sane potest eam intercipere hosti utilitatem. Valachus Themiswar pertingens tenuem summae rei opem contulerit: nam et Princeps non admodum potens, et vasta viris exhausta aere provincia, ut plusquam sex millium virorum nequeat conscribere exercitum, eosque ipsos semermes, quibus Turcae non proeliis sed velitationibus utuntur; nullis munimentis, nulla arce validus; quare ei subjicitur, qui eo adpropinquat armatus. Moldavus Valacho longe infirmior, ut anno superiore Polono Regi adventanti se se ultro submiserit. Componat Caesar hos minores et temporarios quaestus, si Themiswar adgrediatur, et ingentia lucra ac perennia, si impetat Varadinum; cujus accessioni uberrimum et opulentissimum Transylvaniae regnum cedat: quo recuperato, et Hungariae hybernis jam confectae respirare datur, et novae parantur opes, quibus in plures annos bellum protrahi possit. Aemulos se risuros ut vanum; sed eos meminisse oportere, sibi semper objectavisse quod nimis cautus pauca admodum fortunae committat. »

Valachus infirmus Princeps.

Moldavus Valacho infirmior.

Caraphaeus studiosus Hungariae.

Ut nimis cautus ab aemulis notatus.

Nihil tamen quidquam magis Caraphaeus his rationibus profecit; et Essechiensis provincia utilior visa, et decreta est: eaque renunciata tantum eam a sapiente acceptam edidit vocem: « Bonum proponere cuique datur; argumenta ad id adsequendum apta invenire cuique non datur ».

Essechiensis provincia decernitur.

Caraphaei dictum.

CAPUT V.

Incendiariam Agriae oppugnationem belli Consilio proponit; probata primum sententia; mox dilata; tempore tandem extracta est.

Privata studia reipublicae remittit.

Et tamen, ne privata studia reipublicae essent detrimento, cogitans tota belli ad Essechiensem pontem urbemque quam longe conversa mole, omnem superiorem Hungariam, Varadino, Agria Mungactioque turbidam et inquietam a tergo restare, idque adeo quod Agrienses hostes et Mungactienses perduelles omnibus proximis vicinisque Comitatibus vastitatem et excidium minitati erant ubi primum miles hybernis deduceretur, animum ad Agriam incendiariis tormentis oppugnandam serio adplicavit; quod jam inde, quum Buda expugnabatur, secum deliberaverat omnemque eam hyemem mente revolverat; et quo magis magisque cogitabat, eo certius utilissimam facillimamque esse sentiebat. Igitur industria diligentiaque fretus eas superare difficultates quas expeditio secum adferret, sententiae loco ad Caesarem (*) scripsit:

Res diu meditabatur incipiendas.

« Hostes ea urbe exuendos omni ratione oportere, unde in uberrimos et Caesaris utilissimos agros excurrebant; ut et ea provincia pacatior ageret, et tributorum onere aliae provinciae satis superque gravatae adlevarentur. Se vero Caesari id incoeptum effectum daturum graviter adpromittere, ut qui Rustenis Pasae literas interceperat, quibus Primo Vezirio significabat, omnibus vitae necessariis se miserrime laborare; et ni difficillimis rebus praesentissimam ferat opem, ejus urbis ulterius obtinendae omnem prorsus spem abjecisse. Res autem ipsas verbis congruere; quod per eam hyemem ingens inde Turcarum vis suffugerat, natis ibi uxoribus-

Agriensis Praesidis literas intercipit.

Agrienses acri urgentur fame.

(*) Ex volumine Epistolarum ad Caesarem, ep. 31.

que, imbecilli vulgo, relictis. Jam provisum ne interea Varadino, Transylvania Mungactioque in Debrectiniensem, aut alium agrum, ubi hybernet Germanus miles, hostes foris insultent. Intus autem animos ita perculsos, ut, cum eo valida manu adpropinquasset, statim urbem trepidi deseruerint, et in arcem festinantes confugerint. Decrevisse tertio post institutam oppugnationem die Praesidi interceptas ipsius literas mittere, a quibus se scire noscat in quantum angustiarum redactus sit. Ipsam autem oppugnationem non nisi decem aut summum duodecim dierum mora stare; victoriam omnino incruentam fore. Sexcentum non plus eo peditum, a Buda duodecim leucarum iter facturos: nam sibi praecipuam semper fuisse curam servare legiones. Se ejus expeditionis utilitatem facilitatemque diu multumque meditatum; omnia explorata habere; praesentemque, melius quam suos longinquos aemulos, apta rebus inire consilia; atque adeo in ea re suam agi dignitatem, ut qui in vitae rationibus eam habeat, non magnifica, sed tuta consulere. Jubeat modo Caesar incendiaria ad se tormenta mature advehi: sin suum contemnatur consilium, ejus urbis praesidiarios milites Budam inter et Solnochum commeatum intercepturos; adventante aestate frugibus direptis, quae odsidioni alterum annum substentandae sint satis, ut anno superiore Mungactienses fecere, et ipsi nunc se facturos minitantur, omnem provinciam esse devastaturos. Ipsum interea cum Caesaris suas indoliturum vices; quod eam sibi gloriam inviderint, Caesari utilitatem praecluserint. »

Hyberna tuto disposita a Caraphaeo.

Agriensium animi perculsi.

Caraphaei consilium ut Agriam ad deditionem cogat.

Victoriam brevem et incruentam pollicetur.

Exignum peditum numerum ad id postulat.

Aemulos perstringit.

Non magnifica sed tuta censet.

Incommoda numerat, nisi Agria expugnetur.

Aliquis inter Aulae Primores cum consilium nulla posset ratione reprehendere, eo evasit: « non recte facere Caraphaeum, qui iis praefici pro suo jure postulet, quas principes summi a Caesare sibi demandari summe concupiscunt ». Cui sermoni cum forte Bonvisius Cardinalis adesset, respondit: « in ea re non de dignitate certari, sed de expeditione Duci demandanda, qui militaris scientiae spectatus sui consilii auctoritatem obti-

Agriensem provinciam summi Germaniae principes ambiunt.

Cardinalis Bonvisius eam Caraphaeo demandandam censet.

neat; et longa utilique provinciae administratione, rerum, locorum temporumque utilium ad vincendum altero experientior habeatur. — Cui replicatum — reipublicae caussa Caraphaeum eam utiliter procurare oportere, quamquam alius esset imperaturus ». Heic Bonvisius sermoni in ea verba finem imposuit: « igitur Caraphaeus eo fato natus, bella sapienter administrare, ut alii duces victorias inde partas retulerint ».

Caraphaei a Bonvisio laus.

A Senatu Caraphaei sententia probatur: sed differtur.

Senatus tamen sententiam probavit: sed incendiarium cum tormentis mitti dilatum est: tandem cum adesset, continentibus imbribus oppugnatio praepedita, in ineuntem aprilem constituta. Interea belli Consilio ea provincia durior visa; « quod interceptis Agriensis Praesidis literis fidendum haud sane esset: idem enim antea de Neosolio stativis obsesso perfugae renunciarant; at contrarium tamen compertum est: unde metus non temerarius an id dolo factum ut eo Caesaris copiae distineantur; et uti illud, ita hoc oppidum acri et diutina obsidione cogendum sit, quae legiones conficiat. Neque incendiariam oppugnationem sat esse, ut is arcem in Caesaris redigat potestatem: non enim tantum in ea urbe agere oppidanorum numerum, qui seu metu seu molestia ignium commoti, vim militi ad dedendum arcem facere possint. Itaque Augustaea arma jacturam dignitatis factura; idque adeo quod Mungactium adversus feminam Ragoctiam, non contra fortem expertumque belli ducem Rustenem Pasam, anno superiore oppugnatum, non tamen captum; et per ejusmodi urbium conflagrationes acri invidia flagrare arma; quando infensissimi bellatores reges ducesve nefas putarunt, urbes, quas ipsi non fundarunt, evertere. Budae vero rarum militem praesidere, ut inde, nisi numeri suppleantur, educi non possit. Et ut omnia praesto essent, acierum tempore jam adpetente eam opportunitatem praeteriisse. Tamen si confidat fore ut intra octo dies oppido potiatur, oppugnationem instituat ».

Metus ne Agriensis Praesidis literae dolo fictae:

Et ut Agria incendiaria oppugnatione dedatur.

Incendiariis oppugnationibus maxime frustra cadentibus armorum dignitas laeditur;

Et duces in invidiam trahuntur.

Caraphaeus suam sententiam propugnat.

Caraphaeus iniquo id animo decretum tulit: sed ad

consilii sui gravitatem tuendam ad Franciscum Udalricum Kinskium unum e belli Consilio scribit (*): « alias omnino res esse Neosolium et Agriam; hanc urbem in insulae formam cum aliis prorsus nulli communicare; Neosolium autem ad manum Novigradum, Baetiam Budamque habuisse; neque agrum uti Agriensem longe lateque vastatum; Tibiscum glacie adstrictum sex perpetuos menses eo invehi commeatus non ferre: alios autem conditos non habere, nisi quos duodeviginti antea mensibus ab agris Caesareis direptum in urbem comportavere. Se autem citra vani aut gloriosi hominis notam firmare posse, nunquam Viennam quidquam de hostibus nunciasse, nisi prius mature, ne quid temere adferret, pensitato; semperque in eam potius peccasse partem, quae esset tutior; quod in ceteris vitae suae rationibus illâm retulerat, semper aliquid sibi servare reliquum, cogitans in rebus agendis cùm Caesaris utilitate suam dignitatem esse conjunctam. Itaque nullam omnino rem inter deliberandum inexpensam praeteriisse, quae ad expediendum consilium necessaria videretur. Deinde se nec jactanter commemorare posse, per omne ejus belli tempus legiones aestivis belli aerumnis confectas semper sibi traditas esse, easque in hybernis sine ullo aerarii sumptu nitori suo restituisse; semperque hyberna ita disposuisse, ut pro incoeptis in novum annum conandis miles brevissima itinera faceret, et expromptum homini et equo necessarium haberet; tantum abesse ut ipse censeat oppugnationem, qua Caesaris copiae deterantur. Ad haec Agriam item a Mungactio longe diversam; ubi subfossa e viso saxo loca, quo ab incendiariis globis se tuto obsessi receperunt: at Agriae exposuisse humiles e ligno casas, neque ulla subterranea patere suffugia. Neque paganorum turbis quidquam confidere, quibus ad deditionem milites adigantur; sed longa inedia et tabe

Nihil temerarius.

Peccat potius in tutiorem partem.

Una ex ejus vitae rationibus adprime utilis.

Cum Caesaris utilitate suam dignitatem conglutinat.

Qua diligentia in deliberando utitur.

Legiones per acies confectas in hybernis restituit.

Sine aerarii sumptu.

Hyberna disponit commodissima aestivis.

(*) Ex volumine Epistolarum ad Kinskium, ep. 68.

Incendiariae oppugnationes cum Turcis haud reprehendendae.

sperare qua ipse miles confectus est. At enim incendiarias oppugnationes quis reprehendat cum Turcis, quorum bella ignis veluti praelux, vastitas pedisequa comitatur? Quare deditionem lucro adponendam: et nisi sequatur, armis Caesaris nihil dignitatis detractum. Mirari vero illam sibi datam conditionem, ut ipse de belli fortuna despondeat, et intra octo dies Agriam certo captum iri adpromittat. Eventa enim rerum in Summi Numinis sinu celari; sed pro iis, quae explorata sunt, de oppidi viribus, copiis animisque, apta argumenta adhibere, eaque ad incoeptum efficiendum parare ac disponere, id in ducis facultate versari. At se scire unde ictus venerit, quod acerbissimum animo suo vulnus inflixit: sibi invideri, quod Principi charus sit, eique maxima res gerendas proponat, pauco milite, de suo aere. Suum tamen fecisse officium, solari. Durum quidem summis vigiliis ac laboribus adtritos exercitus restituere et instaurare; et quum tempus est quo aliquem gloriae ex industria conligat fructum, alios adesse, et belli imperia suscipere; sed sat praemii sibi putare vel inglorium fecisse rem Caesaris ».

Sapiens Ducis dictum.

Causa cur aemulis invisus.

Qui summus Caraphaei dolor?

Unde solamen?

His Caraphaei literis a Kinskio Caesari communicatis, Caesar, ut justum ejus dolorem soletur, ad eum scribit (*) « super ea re non aemulorum invidia, sed rerum utilitate Patres in ejus non concessisse sententiam: ne tamen Agriensi hosti liberae in vicinos agros pateant excursiones, Agriam urgere stativis pergat ».

Caesar eum solatur;

Jubetque ut Agriam stativis obsidere acrius pergat.

Quamobrem Caraphaeus reipublicae suum dolorem largitus, Agriam una legione sua acriter circumsedit, eique Auriam praefecit; et quo Lotharingius securior bellum Essechiense gereret, Mungactium quoque stativis tam arcte cinxit, ut omnem ei externum interciperet commeatum.

Caraphaeus Auriam stativis praefecit;

Et Mungactium quoque stativis cinxit.

(*) Ex lib. Epist. Caesaris ad Caraphaeum, ep. 40.

CAPUT VI.

Eperiesinam conjurationem severissime vindicat; ex eo judicio apud Hungaros invidia deflagrat; unde porro privatam exigere vitam decernit; mox summus et belli Legatus et supremus Hungariae Moderator creatus est.

Et acribus custodiis, quibus Mungactiensium exitus observabat, tandem teterrimae conjurationis initia consiliaque cognovit; de qua semper anxius egerat, nec unquam antea ejus viam rationemque invenire potuerat. Conjectabat enim Techelium sat numerosam magnamque domi peregrique factionem habere, eumque suis adversus Caesarem partibus potentes pollentesque patronos comparasse, ob haec, quae componebat, argumenta: « Eum tamdiu contra Caesaris potentiam durasse; saepe justos exercitus conscripsisse, et saepe profligatum de integro reparasse; per occulta itinera inlico cum copiis exortum, et quotiens a Caesareis ducibus consilia de eo circumveniendo expedirentur, ibi tum insidias feliciter evasisse. Non esse ejus patrimonium tanti, uti hos regios sumptus perferre queat; eamque perpetuam fallendi felicitatem non uni tribuendam esse fortunae. — His addebat — tumorem illum, quo cum Caesare de pace agere aequo jure postulabat, non temerarium: neque enim vanum hominem; et tamen eas conditiones pacis, in quas venire cupiebat, Principis non subjecti videri. Praeterea tot tantisque Caesaris victoriis, et nimia clementia in perduelles usurpata, eorum tamen animos non resedisse, sat id signi eos adhuc ab aliqua magna mente agitari: unde Mungactiensium pervicaciae firmam aliquam indubiamque salutis subesse fiduciam ». Ob haec omnia semper egerat vestigabundus, ut quid de ea certi exploratique inveniret.

Caraphaei de conjuratione conjecturae.

Digitized by Google

Techeliae literas intercipit.

Tandem Techeliae literas intercepit, quibus cognovit Eperiesinos cum Mungactiensibus in rempublicam conjurasse. Etenim anno belli tertio, Eperie Caesari dedita, cum adhuc Cassovia in Techelii partibus staret, Eperiesinorum cum Cassoviensibus conspiratio perdurabat, ea spe *Techelium ad Turcarum Dominum profectum, ut imploratis ab eo auxiliis Eperiem reciperatum veniret.* Postquam vero Techelius Varadini a Turcis comprehensus, et Cassovia a Germanis recepta est, Eperiesini spes suas ad Mungactienses converterant: nam id munimentum Techelianis partibus reliquum. Interea suos temperabant metus, quod Techelius ob *Athname* opprimi a Turcis non posset; et perculsum, solita qua praestabat virtute, erectum iri. Anno superiore quidam Mungactiensis Eperiem nunciatum venit « Techelium incolumen, et nova a Turcis dignitate auctum, nam Vezirii cultu decoratum; et validissimum ei Turcarum et Tartarorum auxilium in proximum annum decretum; iisque copiis eos vindicaturum esse in libertatem. Praeterea Magnum Turcarum Dominum splendidam Techeliae vestem dono misisse, ob Mungactium ab ea adversus Capraram fortiter constanterque servatum », ad quod nuncium Eperiesinorum animi erecti sunt. Mox ab Aula Techeliae homines, tamquam Sanctum-Jobum iter facerent, Varadinum ad Techelium mittuntur, inde Mungactium repetunt. Post haec, literis per sigla scriptis, ad Techelii adventum tumultus faciendi ratio constituitur, in quo Germanum urbis praesidium internecent, eique urbem prodant.

Conjurationis ordo.

Suspectos comprehendi imperat.

Illico suspectos comprehendi imperat; eodemque tempore ea de re Caesarem certiorem facit (*); censetque « eam Majestatis quaestionem Eperie haberi oportere. Viennae enim inter ignotos difficile de reis capi conjecturam, difficilius comprehendi; at inter praesentes ingenia, animos, consilia, studia, consuetudines, suffugia nosci, et pericula morae vitari ».

Eam Majestatis quaestionem Eperie habendam censet.

(*) Ex lib. Epist. Caraphaei ad Caesarem, ep. 46.

Ea sententia in Senatu probata, Caesar Caraphaeum monet (1) «ut juxta Hungaricas leges cognoscat; veniam alias lapsis a se datam religiose custodiat: quare diligenter dispiciat, an postquam iis indultum est denuo in rempublicam peccarint. Conscii prius suam ipsorum turpitudinem per tormenta luant: atque adeo non modo recte, verum etiam rite legem Majestatis exerceat: unde omnes intelligant in tanti criminis cognitione, cujus poenae mortuos etiam infamia, et insontes suboles egestate persequuntur, nihil temere actum esse; itaque quam grave est nefas, tam gravibus argumentis religiosissime edoceatur».

Sententia a Senatu probatur.

Caesar religiosissimus legum.

Pro criminum gravitate gravia adferi argumenta oportere.

Ita inquisitione severe diligenterque instituta, Caraphaeus tandem ejus conjurationis longe profundiora consilia, rationes longe graviores cognovit: de qua ita ad Caesarem scribit (2): «se conspirationem longe lateque pervagatam detexisse, quae nisi ingentibus Caesaris victoriis infirmata, et nunc demum patefacta esset, omnia funditus perdidisset. Hinc enim illum Techelii tumorem; hinc majores privato vires, et admirabilem illam inter omnia intuta et infesta incolumitatem; hinc Caesaris clementiam totiens ingratam, et semper perduellium minaces vultus. Per dura, per aspera se dumtaxat contra judicii instrumentum quaesivisse, ut Caesar intelligat, contra reos ipsos quantum aerumnarum supersit: quod Hungari tam sint arcani continentes, pervicacesque propositi, quam qui maxime; et intenti in testes, qui mutirent, constantes metus. Et quamquam a se conceptissimae judicii solemnitates adhibitae, et religiosissimae jurisjurandi formulae de continendo arcano conceptae, tamen non satis tuto de tanta re agere; quod non leves de ipsis judicii administris suspiciones, quamquam premantur, erumpant, eos satis vulgati criminis reos esse. Cognosse tandem eam non novam conjurationem, sed

Profundiora conjurationis consilia graviorescque rationes.

Caraphaeus contra ejus instrumentum tantum quaesivit.

Hungari arcani continentes, Obfirmatique propositi.

Maxime arcana inquisitione instituta,

(1) Ex lib. Epist. Caesaris ad Caraphaeum, ep. 46.

(2) Ex lib. Epist. Caraphaei ad Caesarem, ep. 47, 48, 49, 50.

Cognoscit conjurationem a Ferdinando ad haec usque tempora perdurasse.

Qui in eam convenerint suspicatur.

Conspiratio mira et formidolosa.

Tetrorum summa consiliorum.

Argumenta ad eam quam severissime vindicandam docet.

Clementiam Caesaris cum obsequio incusat.

Brevi temporis spatio quinquies perduellibus indultum.

Caesar clementia et liberalitate studet malos ad officium revocare.

Aeternum Hungariae malum factionibus distrahi.

Justam caussam Hungariae aeternum pacandae inventam judicat.

longe antiquam, aliis atque aliis temporibus Caesaris victoriis interruptam et clementia occlusam esse. Jam inde a Ferdinando ejus Parente optimo ad haec tempora amputari usque, fruticarique, et hydram non fabulosam quotiens recisam, totiens nova et multo plura capita exeruisse. Parere in eam convenisse multarum gentium homines, quorum alii aurum, alii consilium, alii auctoritatem, vires alii, alii earum rerum omnium commeatum commodarunt: omnesque eam conflare ex occulto; Turcarum Dominum aperto bello protegere. Et praeter haec magna foris fomenta, maximum domi esse, impunitatem. Itaque de ea tot tantasque res, tam multiplices, varias, ancipites, inopinas rescisse; ut ingentia de iis volumina conscribere possit, scripto tamen committere non audeat. In summa id agi ut sanctissimam ejus vitam nefariis consiliis petant, omnia ejus regna provinciasque funditus excindant, et teterrimo bello universum Christianum deleant nomen. Sed postulare nunc Christianarum caeremoniarum castitatem, id flagitare pietatem regni, ut sacrorum eversores, ut regni (quantum in ipsis est) extinctores dignis suppliciis plectantur; utque is in tanti sceleris consciis puniendis ita sit diligens, ut ipsi in perdendo Romano Imperio et delendo Christiano nomine diligentes fuerunt. Ejus enim mansuetudinem (det dicto veniam) esse ipsa saevitia inutiliorem, quae dum reos servat, insontes it perditum. Brevissimo enim annorum curriculo quinquies iis foedum facinus condonatum, a Rabatta in montanis, a Dunewaldio Leutischoviae, a Lotharingio Posonii, a Schultio Eperiei, a Caprara Cassoviae: ex omnibus punitum neminem. Quin per ejus clementiam nimiam multos tam nefarii criminis reos non tantum impunitos, sed honoribus ornatos, et regia largitate auctos discessisse; nihilo tamen magis fidos spectatos. Nam aeternum ejus regni malum factionibus distrahi: neque ipsum Stephanum Regem relatum inter Divos factionibus non jactatum. Nunc tandem locum factum, ut in omnem posteritatem perduel-

liones in Hungaria extirpentur; unde ipsi regno hereditariisque provinciis aeterna securitas comparetur. Eum belli fortuna florere; perduelles acri invidia flagrare, quod Christianam rem universam pene perdiderint. Unde poenarum justitiae summam quoque accedere dignitatem; et honeste jus dari, aerarium per proscriptiones supplere, quo bellum ab iis exortum fotumque contra ipsos proferatur. Ceterum media consilia nequidquam proficere, quibus neque parantur amici, neque inimici tolluntur. Conscientiam enim tanti admissi in suspicacibus Hungarorum animis nunquam omnino quieturam: et pestem longe lateque grassatam paganos milites, sacros profanos, cives exteros, loco et obscuro et illustri natos, privatae fortunae homines et rerum potentes animo sibi male conscio vecordes agi. Itaque non sat esse ut in una dumtaxat urbe de iis sumantur supplicia; sed ubiubi deprehendantur, passim edere exempla, alioqui praesidiarium militem nusquam tutum. Et imae sortis suppliciis vulgus, potentis alicujus animadversione proceres in officio contineri. His acribus utendum remediis; et ut audacter adhibeantur, provinciam multo Germano milite confirmandam. Justum enim meritarum poenarum metum omnes conscios pervadere, ut suas quemque habere necessitudines: nisi metus metu cohibeatur, ubi primum licuerit, saevius crudeliusque erupturum; armentis frugibusque per agros, charioribus per urbes direptis, incensuros omnia, unde militi difficillima in posterum tempus stipendia. Imminere a tergo Varadinum, Agriam Mungactiumque, satis capacem commodumque seditiosis receptum: et si forte a Turcis grave eo copiarum momentum vergat, motum facile nasciturum quo abripi necesse sit, obsisti non possit. Saltem occupandum turbidis colorem, eos Techelii sequi partes adactos, quia indefensos a Caesare. Intelligere se invidiosissimas res tractare; cui ex formidine nemo omnium aut re ipsum, aut consilio juverit. Igitur eum orare ut alterum ex amplissimis fortissimisque viris, et fide in

Et aerarii cum justitia et dignitate ditandi.

Media consilia inutilia censet.

Hungarorum animi suspicaces.

Conjuratio quam latissime pervagata.

Passim de conscriis sumenda exempla;

Et ex aequo sentit.

Milite firmandam provinciam.

Ne flagrantior vis erumpat.

Invidiosissimas res tractat.

Orat Caesarem ut sibi Kiuskius aut Strattmannius adsideat.

Caesarem satis diuque spectatis, et legum scientia prudentissimis, Kinskium aut Strattmannium mittat, qui sibi adsideat. Postremo providere exitiosas adversum se factiones, terribiles simultates, infensissima odia extitura; sed ea Caesari ac reipublicae condonare ».

Providet hinc sibi exitium.

Interea Eperiesinorum decem primos peractos reos, et magnum vulgi numerum, illos securi, hos suspendio tolli jussit: ratus ad legum metum incutiendum exempla brevia et acria edi oportere: et ut terrorem intendat, ferale pulpitum haut tolli sivit.

Uno die decem primos Eperiesinorum securi plectit, et magnum vulgi numerum suspendio tollit.

Ferale pulpitum tolli vetat.

Hinc turbidi questus « Caraphaeum crudelissimum hominum, et legum imperitum judicio praeesse; in quo, patrio jure spreto, legem Majestatis verbo, re vero privata odia per summam immanitatem exerceat: quemvis vanum rumorem pro explorato argumento sequi, quamvis reprehendendam suspicionem pro crimine: itaque miseris modis inclytum Hungarorum sanguinem, uti pecorum vilissimum, habeat; et importunum feralem suggestum, uti rei praeclarae gestae tropaeum aeternitati posuerit. — Igitur Caesarem orant — ut eum destrui jubeat, et alium ei quaestioni veri aequique servatiorem proponat ».

Hungarorum contra Caraphaeum querelae.

Caesar ut ingenio erat ad ignoscendum parcendumque egregie facto, *eorum preces non irritas fore* rescribit: et extemplo Caraphaeum per literas (*) monet « suam mansuetudinem non decere in omnes perduellionis peractos reos animadvertere. Igitur feralem suggestum tollat, et in ea cognitione mitius porro agat; cum maxime animum ad eximiam clementiam compararit, quod Posonii Regia indici Comitia decreverit, in quibus Josephus filius Austrius Hungariae Rex crearetur; et in eo Conventu universis id crimen largiter esse indulturum ».

Clementia Caesaris eximia.

Egregia ars novi principatus insinuandi.

Acerbissimum Caraphaeus inde dolorem cepit, rescisse « Hungaros ubique *Caraphaei tyrannidem*, *regni*

Hungarorum in Caraphaeum questus.

(*) Ex lib. Epist. Caesaris ad Caraphaeum, ep. 53.

excidium declamare; seque tam gravi invidia purgari impeditum: postulasse ut comprehenderentur, per quos justa judicii acta omnibus palam fierent, neque tamen quemquam adhuc sensisse vincula: flagitasse ut sibi Kinskius aut Strattmannius adsideret; at eorum neutrum, neque alium gravem fidumque Jurisconsultum missum. Ipsum interea ob eam cognitionem magnas sibi inimicitias comparasse, et inter exteros turpibus injustitiae saevitiaeque notis inustum, gravem omnibus invisumque futurum ».

Qui in summa invidia versatur.

Ob haec omnia Kinskio scribit (1) « ex ipsa conjurationum conditione, qua non creduntur nisi facinore perpetrato, se acerrima injustitiae et crudelitatis invidia deflagrare. Sed ingenui non esse, quamquam inter infestos tutum, versari tamen inter infensos importunum. Quapropter misera deliberatione nunc agitari an, ubi primum miles in hyberna reducatur, stipendiis Caesaris finem faciat, et privata se vita involvat. In eo enim haerere, quod cum voluptati non sit tot opima stipendia, tot honores summos, tot amplissima armorum imperia, per singularem Caesaris beneficentiam sibi conlata, profundere, et Caesar clementia maxime celebretur, si id fecerit, vehementem contra se suspicionem creaverit, admisisse nefas, ex quo ab summa clementissimi Principis gratia merito revocatum omnes dicant ».

Deliberat stipendiis Caesaris finem facere.

Kinskius ad haec (2): « Caesarem eum imprimis sibi utilem charumque animo habere; praecipuamque ipsi curam ejus esse incolumitatem: sed benigna consilia apud clementissimum ingenio Principem esse potiora. Ne inique ferat ipsius severitatem a Rege temperatam, unde contra eum gravior alicujus offensio extiterit. Saepe ipsas regnorum moles ferre, ut multo graviora pertulerint qui et dignitate et gratia apud reges plurimum possunt. Neve in praeceps consilium ruat: nam multa saepe quae

Benigna consilia apud Caesarem potiora.

Grave solaminis apud Aulicos argumentum.

Utilissimum vitae agendae praeceptum.

(1) Ex lib. Epist. Caraphaei ad Kinskium, ep. 86.
(2) Ibidem.

praenimia industria in ipso cursu deficerent, ultro et ex sese, quo rerum natura ducit, pervenire.

Caraphaeus summus belli Legatus,

Et supremus armorum in Hungaria Moderator.

Brevi post Caesar eum beneficiis dignitatis refertissimis ornat: nam summum belli Legatum (1) creat, jubetque ut copias Wallisio duci tradat (nam exercitus recensio imminebat); ipse Eperie permaneat cum summo imperio in omnia Hungariae superioris munimenta, arces, praesidia.

Caraphaeus famae sedulus.

Virulenta in eumdem Hungarorum dicta.

Is gratias Caesari de conlatis honoribus curatissimas habet, sed aegrefert acie campoque prohiberi: non defuturos enim, ajebat, qui ipsum rideant, *hybernorum imperatorem, judicem paludatum, bonum dumtaxat acriter tributa conradere, judicia crudeliter exercere:* tamen has sui detractiones nominis Caesari reipublicaeque remittere.

Caesaris de Caraphaeo judicium plenissimum dignitatis.

Honestatis civilis arbitrium est apud Principem.

Caesar Caraphaeum in fide potenter habet.

Ad haec rescribit Caesar (2) « se intelligere durum edictum ei ut Eperie permaneat, quem virtus ad militaria facinora stimulat ac pungit: seque eum in campis, quam in umbra versari maluisse, cum admodum paucos noverit qui scientia militari perinde praestent. Sed cum gravissimas superioris Hungariae res alii utilius committere nequeat, sciat se eam urbanam operam cujusvis magnae rei per eum bello praeclare gestae loco esse habiturum. Honestatis civilis arbitrium uni Principi datum esse, seque profiteri eum de republica quam optime meritum. Quare istis detractoribus is suorum laborum fructum opponat; et de republica demereri porro pergat. Se enim ei semper affore, suaque potenti manu contra quosvis in omne posterum tempus protecturum ».

(1) Vernacula lingua nunc appellant *Marescialło di Campo.*
(2) Ex lib. Epist. Caesaris ad Caraphaeum, ep. 56.

Digitized by Google

CAPUT VII.

A Mehmede Aga iterum de pace tentatur, quem sapienti ac magnanimo sermone depulsat.

Vixdum a Caesare Caraphaeus his plenissimis dignitatis officiis exornatus denuo a Mehmede aditur; qui Varadino Eperiem venit, captivorum permutationem itineri obtendens, re vero Caraphaeum de pace tentaturus. Nam reliquo sermone confecto, quem ab observantiae cultusque significationem pertinere arbitrabatur « se re ipsa venisse — dixit (1) — ut ab eo Christianorum Imperatoris desideria percontaretur. Se ea ignorare — Caraphaeus respondit — sed hostibus per se id scire licere, modo foedus ab iis impie fractum, innumeras immeritorum caedes, captivitates, direptiones, vastitates, incendia inde orta, infinitam auri vim in belli necessitates erogatam, suas adflictas fortunas, singularem Caesaris felicitatem, Summum Numen ipsis aversum, Christianis propitium, Caesaremque e foederatis magis potentem magisque laesum cogitent; et intelligere posse quid eos restituere oporteat, ut referant pacem. Sibi vero, his caussis omnibus perpensis, verisimile videri eum totum Hungariae Regnum, Bellogradum, Transylvaniam, Valachiam Moldaviamquae, quae cuncta in Hungarorum regum ditione ante Soleymanem fuerant, repetiturum ». Haec audiens Mehmedes mirantis speciem induit, mox inquit: « Germanorum Imperatorem satis vasta animo desideria concepisse; ita namque nihil Imperatori suo superesset: at paces iniri aequum, ut utrique belligeranti reipublicae aliquid relinquatur. Leopoldum multo plura, quam Alexander Magnus (2), bello parasse: a Mehmede vero unum Neosolium captum. Ita-

Caraphaei conjectura de pacis conditionibus forte per foederatos dandis.

Paces ita iniri oportere, ut utrique parti belligeranti aliquid relinquatur.

Praeclara de Leopoldo Caesare fama apud Turcas pervagata.

(1) Hic sermo habitus Eperie XVI kal. aprilis anno MDCLXXXV.

(2) Turcica exaggerandi formula.

que eum inique agere, cum in nullis bellorum monumentis, quae inter duo Imperia gesta sunt, quamquam in omnibus, praeterquam praesenti, Musulmanus victor extiterit, eum tam immanes unquam conditiones proposuisse. Igitur se ea enormi repetitione suspicari, Germanorum Imperatorem non serio pacem velle: uti nuper, quum Kara Mustapha Magnus Vezirius ab Alberto Caprara tanta et tam multa petebat, intellexerunt Germani, nolle eum inducias prorogare». Huic Mehmedis orationi Caraphaeus subdit: «eum neque jure mirari, neque ex vero loqui: — etenim memorabat — quum alias Christiani pacem ab iis petierunt, ipsos non contentos eo quod sibi adtribui jus erat, alia atque alia postulare, immensam auri vim petere, et multis amplisque provinciis gravissima tributa per summam injuriam imponere: at quanto aequiori jure Caesarem suum ab iis per vim abreptum vindicare? Bello autem superiore eos victos, non victores fuisse; cum bis acie caesi, castrisque exuti, ad Sanctum-Gotthardum semel, iterum in Leventiis campis. Quare belli fortuna eorum animos, ut in prosperis rebus solent, efferri passa non est, ut ei foederi iniquissimas leges de more darent. Se vero putare modestissimum in summa fortuna Caesarem, si forte Hungariae Regno, iisque provinciis contentus sit, uti nunc sunt adflictae sordidataeque, quae nitebant florebantque, quum Soleymanes Bellogrado potitus est. Praeterea Hungaros Reges in suo Majestatis jure, quamquam earum possessione excidissent, Macedoniam, Bulgariam, Serviam, Dalmatiam aliasque provincias numerare, quae nunc ipsis jure optimo cederent: itaque pax fieret, qua non modo multum, sed quamplurimum eorum dominatui adjiceretur. Et fortasse ea Caesarem petiturum, quod pacem cum iis aeternam cupiat; tantum abesse quod nullam velit. Firmam enim et in omne aevum victuram pacem haberi sane non posse, nisi natura certi et in longissimam posteritatem fines constituri dirigantur. Etenim si ii suos annales relegerint,

Provinciae Hungariae sub Turcis adflictae.

Regni Hungarici majestas inclyta.

Qua ratione paces aeternum duraturae concipiantur.

facile animadvertant bella omnia, quae inter duo Imperia hactenus gesta sunt, aut a limitum turbis, aut ab Hungariae Transylvaniaeque perduellionibus initia sumpsisse. Quapropter nisi omni terrarum plaga, quae cis Danubium, cis ultraque Dravum ad Savum fluvium usque Bellogradum continet, ultra vero Danubium omni eo tractu qui cis ultraque Danubium ac Tibiscum usque ad Themim amnem interjacet, omnino cesserint, semper infirmas paces, nec diu duraturas fore. Et eos etiam atque etiam cogitare monet, omnem eum terrarum orbem ab ipsis tamdiu dominatum nihil aut parum eorum summae rei contulisse, immo obfuisse semper, ingentique fuisse detrimento; usque adeo donec nunc temporis contra eos Summi Numinis iram conciverit, eorum imperium in ea in quibus nunc est, gravissima mala conjecerit. Vel praeterito bello, quamquam ii Neosolium et Varadinum cepissent, ac intoleranda Transylvano imposuissent tributa, tamen bis caesi profligatique nondum belli damna sumptusque reparasse ». Totum hunc Caraphaei sermonem Mehmedes silentio tramisit; forte an ne quid de Regni Hungarici finibus, aut de bellorum caussis cum Caraphaeo disceptare adigeretur: in qua disceptatione aliquid imprudenti excideret, quod Turcici imperii laederet majestatem. Id modo excepit, se Varadinum a Transylvano cepisse, non Caesare; et tamen ipsis oppida Zattmar, Kalavia et Essechum excidere. Quem Caraphaeus correxit: cum enim Transylvania Hungarico Regno adcedat, eo munimento Caesarem, non Transylvanum exutum esse. Heic ne de eorum, quae bello parta erant, jure Mehmedes disputaret, eo avertit: « Leges, et multo magis religionem sibi vetare nedum universis provinciis, sed vel uno oppido cedere ultro: tum quia patrio jure cautum ut omnia parta a Musulmanorum Domino parente ad filium lege redeant; nec quaerendum qua ratione sint parta; tum ne templa a Christianis profanentur, qui suis victis sacris inludant. Et doceri a Caraphaeo se cupere simulavit, quo

Perpetuae inter haec duo Imperia bellorum caussae.

Qui Hungarici Turcicique Regni limes aeternus.

Hungaria Turcis inutilis.

Mehmedis magna tacendi loquendique solertia.

Ut apud Turcas superstitio regno subservit?

Iniquissima civilis ratio Turcarum.

Callida a Mehmede proposita quaestio.

jure eae provinciae, quas numeraverat, Hungariae Regno adcedant, eoque nomine restitui oporteat? quibus ex caussis et quo tempore Hungarici reges earum potiti sint? et qui minus Musulmanorum quam Germanorum Imperatoris jure contineantur? Atque adeo ab ipso Aenea Caprara sumant exemplum, cui cum ejus temporis Primus Vezirius dixisset, si Jaurino cederent, se pacem facturum, illud respondit: arces et munimenta ad vim obtinendam extructa, vi quoque dedi oportere. Itaque se potius bellum, quamquam ab eo ipsis imminent exitium, protracturos et perlaturos extrema, quam in pacta, suis legibus turpia, suis caeremoniis impia convenire. Ad extremum monet Christianos, ut cum omnium rerum, maxime bellicarum vicissitudinem esse meminerint ». Heic Caraphaeus altius aliquanto bellorum repetens jura, inquit: « nunc non inter unius reipublicae cives agitur, quos patriae leges, patrii mores tenent, sed inter duo summa orbis terrarum Imperia, quae unum fas cunctis gentibus aeque positum adgnoscunt. Eo jure non solum bellorum ordines, sed initia quoque et caussae aestimantur. Eaque humana ratio tam alte est animis hominum insita, ut liberi populi regesque, quamquam in summa fortuna id aequius quod validius putent; tamen caussas quaerere, et sedulo edictis suis pronunciare, ut justa inferre arma apud multitudinem et vulgus videantur. Quapropter non est ut quas leges civilis aequitas (*) ipsis unis inrogavit, tamquam eas humano generi necessitas utilitasque suasisset, omnes obligent nationes. Et olim falsi Deorum cultores, profana cum sacris conglutinantes, in omnibus bellis pro aris focisque pugnabant, ne cum republica Dii quoque triumpharentur; sed nunquam rapinis suis ii divini juris tribuebant auctoritatem. Nam antiquissima omnium illa violentiae lex, ut qui vim facere posset, faceret;

Magnanimum Aenae Caprarae dictum. Turcica ferocia.

Turca Christianos moderationem monet.

De jure belli altior dissertatio a Caraphaeo instituta.

Fas belli.

Ingens ejus vis.

Apud Ethnicos omnia bella de religione erant.

Apud humanum genus, originis vicio corruptum, antiquissima lex violentiae.

(*) Ita visum latine reddere quod Itali eleganter dicunt *Ragion di Stato*.

qui non posset, potentiorem aequo animo pateretur; in exlex adhuc humanum genus, nullisque civilibus imbutum moribus exercita est; sed ubi urbes conditae, et civitates legibus constitutae, omnes nationes, ratione ipsa humana dictante, justas bellorum caussas enumerarunt, cives injuria publice adfectos, vexatos fines, violentas invasiones, et justos earum metus. Ob nullam quidem earum caussarum ab iis arma unquam mota memorantur: qui per injustam vim, ex regni proferendi cupidine natam, fere semper bella intulerunt. Sed neque ii, quae forsan Caesar repetat, redderent ultro: nam Caesar ea per pacem repetit, quae brevi et facile bello est reciperaturus; inoffenso ingentium victoriarum cursu, et ingenti veteranorum militum exercitu formidandus; Venetus majorem quam unquam antea classem parat; Moschus ad Turcarum nomen omnino delendum jam Polono sociatus, mox Germano Venetoque jungendus. Ii vero usquequaque per acies caesi, per obsidia victi, militiae robore effoeti, flore ducum extincto, Summum Numen in ipsos tot cladibus acceptis nondum desaevisse sentiunt. Tempori videant ne victoriarum progressibus conditiones victis in pervicaciae poenam inrogentur duriores, et legum suarum stulta observantia ipsas leges cum republica omnino perdant. Nam ab aequis belli viribus aequae expectandae paces: at ubi alter belligerantium longe infirmior sit; et tamen, ut par obsistere audet, ei ferocia in exitium erumpit». Hunc Caraphaeus finem orationi fecit; nulla responsione Mehmedem dignatus de eo, quod ille sciscitabatur super Hungarici Regni in provincias, quas memoraverat, jure; indignum ratus, si cum injusta et turpi Turcarum vi sancta Hungariae jura in contentionem committeret. At ad omnem eam orationem Mehmedes tantum dixit: «istas Christianorum exaggeratas vires se minime formidare; unius Summi Numinis iram vereri ac metuere. Igitur — subdit Caraphaeus — ut eam placent, quid is privatim censeret? — Aga respondit ut permutatio aliqua fieret,

Societate humana fondata jus belli introductum.

Justae bellorum caussae.

Bella a Turcis omnia per injuriam inlata.

Caraphaei de ulteriori majoriqne Caesaris et foederatorum felicitate coojecturae.

Cur victoriarum progressibus conditiones paris dantur victis duriores?

Unde aequae expectandae paces?

Caraphaeus sedulo Regni Hungarici dignitatem tuetur.

Turcae Christianorum foederata bella aspernantur.

Turca daudarum

conditionum continentissimus.

quae ipsorum legibus non vetatur; uti Canissa, aut Alba-regalis, cum Siglo, Quinquecclesiis aliisque minoris notae oppidis; aut Agria cum Solnocho et Segedino permutaretur: et jure sibi permissum pecunia corrigere damna. Diserte edixit de nihilo foederatis satisfacturum. — Ibi Caraphaeus se dementem omnes habituros dixit, et ejus belli omne justum aequumque plane ignorare, si eas pacis conditiones Turcae Legati adferrent, easque ipse Viennam ad Caesarem foederatosque sineret commeare. Praeterquam quod saepe alicujus loci situs majori precio habendus, quam inaedificatum: nam Princeps in vili loco, sed ad longe lateque dominandum opportuno, excitare potest firmissimum munimentum, quo magnam terrarum plagam obtineat; itaque Solnochum et Segedinum oppida haberi Agria longe utiliora: nam, iis receptis, omnis provincia Danubium inter et Tibiscum dominatur. Sed enim nisi Canissam, Albam-regalem Agriamque cum suo cujusque agro; praeterea Solnochum, Segedinum Varadinumque, Lippam, Giulam, Jenum cum omni ea ditione ad Maroschum usque, et praeterea Transylvaniam, Valachiam Moldaviamque Caesari, foederatis autem quantum belli ratio et caussa postulat, tantum restituant; nunquam Turcas a Christianis pacem relaturos. Aga se uti fortes decet, inter urbium excidia et caesorum strages occumbere malle, quam in eas turpissimas pacis leges convenire minatur. Tunc Caraphaeus sermonem segregaturus inquit: « Jam video cernoque vos dolo pacem petiisse, ut sociale bellum astute distraheretis: certo sciatis tamen, nisi Caesari ac foederatis omnino sit satisfactum, eos nunquam esse arma deposituros ».

Saepe loci situs majori in precio, quam inaedificatum.

Magnanimum Caraphaei edictum.

Fortis Mehmedis oratio.

CAPUT VIII.

Opportunitatem dat ut Christianus exercitus secundo adversus Turcas proelio ad Mohatium utatur.

Sed quamquam Mehmedes Soleymani renunciasset se ex sermone, quem cum Caraphaeo privatim habuit, intellexisse Caesarem nulla ratione ab foederatis distractum iri, tamen sperans rem crudam adhuc tempore mitigari posse, Techelium muneri Caraphaeo adservabat. Sed et Turca dividendi foederis frustra fuit, et ea res opportunitatem commodavit ut ejus exercitus eo anno funderetur universus. Nam in oppido Giula Allys ei Praefectus, et Ahjain Mehmedes, et Giurgi Mehmedes, ille Jeni, hic Peter-Varadini Rectores, una cum Techelio de ratione belli eo anno administrandi consilium habuerunt: in quo Emericus dixit, « se nosse Germanos Essechiensem provinciam eo anno adgressuros, et inde, Savo trajecto, Bellogradum armis petere decrevisse. Quapropter censebat ad Primum Vezirium scribi oportere, atque ab eo petendum ut duodecim Tartarorum millia suo ductui permitteret: quod iis ipse copiis, cum Christiani Dravum trajecissent, trans Danubium vectus omnem eum terrarum tractum infestus Posonium usque percurreret; cum Hungaris autem, quos jam ad quinque millia paratos exponebat, et brevi alia quinque conscripturum sperabat, utramque Danubii ripam considens, Caesareum exercitum omni commeatu prohiberet, et in anceps malum conjiceret; hinc famem, hinc potenti cum exercitu Soleymanem ». Probatum Pasis consilium, Vezirioque scriptum: a quo Peter-Varadinum Techelius ire jussus ut reciperet copias: sed ubi advenit, mutatum reperit; quod inter itineris moras rescisset Christianos exercitus sexaginta virorum millium potenti congressuros: unde oportere unitas iis Musulmanorum vires opponere, ne si quid adversi accidat, divisi facilius oppri-

Aliquot Pasarum Hungariae consilium de Turcico bello in annum MDCLXXXVII administrando.

Techelii sententia.

Probata Pasis.

Non autem a Primo Vezirio.

mantur. Quando autem ab urbe Essecho, inrito eventu oppugnata, Christiani castra moverunt, denuo Magnum Vezirium rogavit ut sibi aliquot Turcarum et Tartarorum millia ductare liceret; quibus, trajecto Danubio, Germanorum agmen Budam usque graviter infestare confidebat. Sed hoc quoque consilium Soleymanes est adspernatus. Cum denique a Lotharingio Dravum remeante proelium cum Christianis ad Mohatium committere adactus, satis infelici proelio fusus est; et Essechum urbs, cum Butschino et Walpo arcibus captae; et divisis mox Christianorum copiis, ab Henrico Joh. Dunewaldio inferior Slavonia vacua ferme universa occupata; ab ipso Lotharingio Transylvania ex foedere percusso Germanum exercitum in hyberna excipere, certumque Caesari tributum pendere jussa est; Pasae, quos memoravimus, graviter Primum Vezirium incusarunt, qui Techelio non auscultarit (*). Caussarum ignari putarunt Soleymanem tamquam de victoria certum, ejus sibi Techelium socium adsciscere dedignatum; res fuit, ut copiam Techelii Caraphaeo dedendi, ubi vellet, expromptam haberet.

Aliud Techelii consilium;

Sed Soleymanes quoque adspernatur.

Turcae in Mohatiensis campis fusi. Insequentes Christianae victoriae usus.

Soleymanes a Pasis incusatus, quod Techelio non auscultarit.

CAPUT IX.

Agria, a Caraphaeo stativis acriter obsessa, initium Turcis praebet militaris seditionis: qua Mehmedes IV in ordinem redigitur, et Soleymanes III Turcarum Imperator creatur.

Qui per id tempus Agriam stativis in tam arctum redegerat, ut rerum omnia inopia miserrime laboraret. Et quia id munimentum rerum Hungaricarum gnari censent, quantum ob dominandi utilitates Varadinum Budae praestat, tantum Varadino praestare: nam non solum omni terrarum plagae citra Tibiscum, uti Varadinum ulteriori

Ob late dominandi utilitates Agria Varadino, Varadinum Budae prestat.

(*) Ex MS. *Notizie particolari del Tecli.*

universae, imminet; sed ea capta Varadini quoque limitaneum militem ab excursibus et populationibus coercet et continet; eapropter Soleymanes, Dravo remeato, postquam fusas ad Mohatium vires conlegerat, cum justo exercitu ad Peter-Varadinum castra posuit; et elusus consilii de Transylvania adversus Lotharingium, qui eo arma inferebat, obtinenda; unice de Agriae salute solicitus, decem equitum millibus imperat, ut cum equo quisque suo invehat in obsessam urbem commeatum. At ii super recentem victoris hostis terrorem, Caraphaei fama perculsi, quod res singulari belli scientia gereret, et in muniendis maxime firmandisque milite castris ante omnes praestaret; formidini quaesito colore quod sibi terna non soluta essent stipendia, imperium detrectarunt.

Soleymanes, ut obtineat a Caraphaeo Agriam, Transylvaniam Lotharingio occupandam permittit.

Decem equitum millia Agriae auxilium mittit.

Caraphaeus in muniendis firmandisque milite castris invictus.

Spahii colore stipendii non soluti seditionem incoeptant.

Hinc turbidi primum rumores, mox truces minae, tandem omnis sacramenti fides exuta est. Princeps seditioni adclamatus quidam Siaus Pasa, qui astutiam pro prudentia, audaciam pro fortitudine vulgo imponebat. Is specie recusantis, quod flagrantissime concupiverat subit manus, et Vezirium adroganti officio merita *aera militibus interpellat.* Soleymanes ad has res dubias popularibus adsumptis artibus, *brevi suos commilitones absolutum iri adpromittit, et in praemium aerumnarum, quas tulerant, et in melius porro pugnandi incitamentum.* Ubi Siaus mollibus Vezirii responsis se ei sensit esse formidini, audacter subdit: « ab eo virtutis mercedem in gulae fastidia, vestiumque luxus vexatam; ejusque imprudenti ductu rem Musulmanicam pene eversam. Quare cum jubet, sibi Mehmedis Prophetae vexillum sigillumque regium tradat, ac meliores rem piorum gerere patiatur ». Non tulit Soleymanes vili turbatori prostituere tanti Imperii majestatem. Igitur « vexillum signumque nonnisi Domino a quo acceperat, reddere nefas esse » respondit; et sequenti nocte Bellogradum nave subvectus proficiscitur, inde Constantinopolim petit. Ubi luce profectum Vezirium rescivere, inlico exercitus ad regiam urbem adlegat, qui *militis nomine petant ut Siaus So-*

Principe seditionis Siauso Pasa.

Seditionis militaris primus conatus.

Apud turbatos adsumendae populares artes.

Soleymanes dignitatem Imperii tuetur.

leymani subrogetur. Dum Turcarum Dominus ancipiti cura haeret qua ratione militarem tumultum, integra majestate, salvisque militiae studiis, tranquillaret, seditiosus exercitus Constantinopolim versus turbidum iter facit. Ibi tum Imperator Capizium ad Siaum mittit « qui ejus laudet reipublicae charitatem; seque ei vexillum signumque brevi missurum dicat, modo is in hostes arma convertat ». Sed Siaus, simulans *ab armata multitudine invitum rapi, ut coram in Principis verba juret,* in ipso agmine ab Imperatore Primus Vezirius creatur. Mox eidem, cum exercitum ad urbem duxisset, rite et ordine firmata dignitas; seditionis praecipuis amplissimi honores conlati, Soleymani aliisque primoribus laqueo fauces conlisae; miles cumulate absolutus.

Imperii Turcici majestas adfligi occipit,

Tandem turbatori publice prostituta.

Sed quia contumaces prius in magistratus cives, mox Principi inobsequentes existunt; audacissima vox prolata, *ut imperium salvum sit, Mehmedem in ordinem esse redigendum:* quam vocem a proximis acceptam, statim provulgatam ubi Mehmedes audivit, ira percitus, quae in ultimo regni discrimine maximum terrarum orbis regnatorem ciere poterat, cum regio puerorum comitatu claustrum subit, ubi agebant, ut Soleymanem et Achmedem confoderet, tamquam rerum novarum argumenta. Bustangius Bassius solitum ejus Aulae prohibet nefas: eaque insontium fratrum miseria alterum eorum Soleymanem III ejus nominis citius Principem fecit. Nam *ad invidiam praesentis vitae pristina Mehmedis virtute commemorata, quod pro Creta, Cameneco et Neosolio nunc per flagitia rependeret Caesari Venetoque complures innumerasque provincias,* Nanchiz Effendius, praecipuus inter Mehmedis falsi Prophetae posteros, Tyranno edicit *ut alto erectoque animo Imperio cedat, et reliquam vitam incolumi ocio, quod tantum deceat privatum, committat.* Sed injustam vim Mehmedes aegerrimo tulit animo, ut ex moerore in gravem ac difficilem morbum inciderit.

Hinc Princeps intutus.

Mehmedes iratus fratres it perditum.

Sed prohibitus.

Soleymanes III Imperator consalutatus.

Mehmedes abdicare se Imperio vi et superstitione adactus.

Populus, ut ad nova adsolet, Soleymane laetus: sed,

Sub Soleymane nova seditio militaris.

nutante adhuc Principe, novas turbas ob non soluta stipendia miles movet. Eam vim Siaus Primus Vezirius in bonos cives convertit: et opibus divitiisque supposita crimina, et jus fasque pecunia redemptum. Sed miles flagitiosus, et novo Principi imperium imputans, auro nunquam satis expleri. Siaus conatur seditionis praecipuos a multitudine turbante per speciem honoris abducere. Sed ex iis unus, *Tatfagius* vocabatur, simulat dolo metum *Siaum in se tentasse, ut omnes perdat, qui ei proximum a Principe munus sunt suffragati.* Hinc in Siaum et primos militiae saevitum.

Turbatis rebus modesti languent.

Siaus et praecipui factionis caesi.

Inter haec perversa et inconstantia vulgi quidam, *Emir* dictus, ex certa Mehmedis Legislatoris posteritate lymphati instar vile prae se ferens signum, *se populum sequi* jubet; brevi id centum millia paganorum contra insolentem militem concit, qui sceleris conscii, et virtutis militaris obliti, ab semermibus latibula quaerunt; per secreta domorum scrutantur; ad multa millia caeduntur. Ita superstitione, quae plurimum apud Turcas potest, imperium adimitur, transfertur, constabilitur. Soleymanes Ismaelem Vezirium creat, mansuetum et senio gravem virum.

Vis et licentia militaris per superstitionem oppressa.

Superstitione Soleymani firmatum Imperium.

Ismaël Primus Vezirius creatus.

Sed quia pravo exemplo facile excitantur ad simile audendum vulgares animi, qui exemplis, non ratione ducuntur, in Europa Osmanes Gengienes, vir hactenus fortis, et praecipue in priori Budae oppugnatione spectatus, Graeciam, quam regebat, ad nova excitaverat: in Asia autem quidam, Gedikus adpellatus, praedonum multitudinem ad justi belli imaginem ductans, plurimas provincias infestabat. Ismael neutri extinguendae seditioni par, et brevi duum mensium administratione sive retectus, seu factus nequam, in exilium mittitur: et Mustapha, qui Soleymanis Vezirii tempore Janicsarorum Praefectus erat, ad amplissimum munus promotus.

Vulgus cur exemplis movetur? Osmanes Gengienes in Graecia;

Gedikus in Asia novas res molitur.

Ismael in exilium mittitur.

Mustapha Primus Vezirius creatus.

CAPUT X.

Petit a Caesare ut sibi liceat summo in Hungaria armorum imperio abdicare, sed id porro gerere jubetur. Itaque Josephi Austri Hungariae Regis inauspicationi in superiore Hungaria subservit; et Techelium, eam infestare conatum, submovet.

Ita per Agriae a Caraphaeo obsessae occasionem maxima seditione Turcicum Imperium commotum et vulneratum: per quod idem tempus Caesar Hungariae Regnum Josepho filio Austrio stabiliendum, et factionum peste perpetuo sanandum curat.

XX annos meruerat in Hungaria,

Magnam partem contra Techelium.

V annos exercitus quaesturam gesserat.

Proviociae invisus ob conjurationem patefactam.

Perduelles Hungari audacissimi.

Ab aemulis ejus administratio impedita.

Sed enim Caraphaeum jam satias ceperat ulterius manendi inter Hungaras: vigesimus enim circumagebat ejus militiae annus, et maximam ejus partem ut Techelii consilium corrumperet, cui magna et acris factio favebat; quinque autem perpetuos annos invidiosissimam hybernorum gesserat curam. Tum vero eam provinciam odio impense habere ob conspirationem a se fortiter retectam, a Caesare clementissime adgnitam, et proinde multo perniciosiorem occulta. Nam crebra et recentia obversabantur exempla, quibus perduelles Hungari Transylvanique nulla aut imperii majestate aut sanctitate personae deterriti usquam fuerant, ne contra quem conspirarunt omne inauditum nefas auderent. Sed tandem inter Hungaros amplius versandi prorsus intolerans, ubi intellexit aemulos omni ratione conari ut ea summa provinciae administratio, secus ac vellet, sibi succederet, nihil pensi habentes rempublicam transfodere, ut ejus gloriam vulnerarent.

Quando dignitas Principi a civibus condonanda?

Ob haec Caesari scripserat (*) « se Principi suam dignitatem dono dare in iis rebus quae aliquam parerent in commune utilitatem; cum ipsa communis utilitas ho-

(*) Ex lib. Epist. Caraphaei ad Caesarem, ep. 77.

nestatem commendet. At enim suam Hungariae moderationem in provincia hostibus infestata, civibus turbida, per aemulos difficultatibus impediri, et periculis objici cum reipublicae detrimento, id nullo prorsus pacto ferre posse. Orat igitur atque obsecrat ut eo imperio sibi per eum liceat abdicari: ita melius porro per alios rem Caesaris gestum iri; neque ultra aemulos, ut suae laudi officiant, reipublicae nocituros ».

Orat Caesarem ut sibi liceat imperio abdicare.

Ad haec Caesar respondit (*): «saepe vi ipsa summae rei multa abripi, quae alicui reipublicae parti officiunt et nocent Sibi Germaniae Hungariaeque studia erga Josephum filium servanda in spem Romani Imperii, et tranquilliorem Hungarici Regni successionem. Eaque studia sibi liberalitatis et clementiae fama conciliasse: quibus praeclaris regni artibus nunc maxime erga cives sociosque incumbendum, cum vim metumque in hostes omnem convertit. Itaque pergat cum eo temperamento regnum administrare: nam quae publice metuat, se eum prudentia facile vindicaturum sperare. Quod, si unquam, nunc maxime reipublicae interesse ut is expertissimus nationis provinciam hoc tempore moderetur, quae turbidis limitibus circumscripta, novarum rerum omnium, quae unquam in Hungaria extiterunt, quoddam seminarium fuerat. Tempus enim adpetere, quo indicat Comitia, ut Comitatuum legati ad Posoniensem Conventum mittantur, in quo Josephum Hungariae Regem inauspicandum decreverat ».

Summae rei salus saepe aliquam partem corrumpit.

Regni Austriaci artes liberalitas et clementia.

Caesar reputat Caraphaeum necessarium in Hungaria procurandis.

Nam Caesar, ut tandem aliquando modus et finis fieret factionibus quae id regnum omni tempore laceraverant, interim dum Hungari rebus ipsis per id bellum Techeliano-Turcicum docebantur eam immodestam civium libertatem sub regno ipsis ad exitium usque inutilem esse, opportunum tempus censuit in novo Josephi regno pacatiorem eos sedatioremque reipublicae formam rogare, duabus legibus latis: altera, qua *id*

Immodica civium libertas sub regno perniciosa.

Caesar in Josephi inauspicatione pacatiorem reipublicae formam Hungaris inrogare statuit.

(*) Ex lib. Epist. Caesaris ad Caraphaeum, ep. 73.

Postea *Athname* et regni insignia ad se adferri jussit: ad quae conversa « En, inquit, pro quibus Franciscus Botschajus primus, et quotquot deinceps Hungaricae libertatis heroes dicti sunt, tot tantisque civilibus motis bellis adlaborarunt, nec unquam adsequi potuerunt. Emericus Teöcheölius retulit, et vestra caussa inter duo maxima orbis terrarum Imperia bellum exortum, quo alterum prope excidium fuit, alterum prope est. Propter vos tot funera, servitia, direptiones, incendia, vastitates; tot regna, tot provinciae adflictae; tot ingentes exercitus fusi, fugati, caesi profligatique; immensa utrinque vis auri effusa, et ab Asia Europaque bello pene humanum genus exhaustum. Nunc Hungariae regno a Caesare feliciter reciperato, quid nisi ludibrium et fabula? Divino igitur consilio a me ad hoc usque tempus servata, ut ex vobis Caesar justum tropaeum ingentium victoriarum extrueret; et haec urbs, quae Emerico primum fuit adfectandi regni incitamentum, regni ultima dederetur ».

Ita XIX kal. februarias Mungactium deditum: omnesque Caraphaei auspicia ductumque, C. Tertii virtutem laudare, qui ea victoria Caesaris armis nedum salutem, sed etiam dignitatem servarunt: dum inexpugnabilem invictamque arcem, quam dux femina propugnabat, ne uno quidem vulnere accepto reciperarunt. Scepusiensi aerario Praefectus Zriniae Ragoctiorumque omne vas vestemque describit, nec eae opes, quae putabantur, inventae; ita ut Caesaris ope Techeliae puerisque equi, rhedae, viaticum itineri comparatum. Caraphaeus Zriniam adloquio erigit, et Caesari diligentissimis officiis commendat, plurimumque militem honoris specie comitem itineris addit: per Franciscum Glubosischium Vicecomitem Zempliniensium, qui in eo obsidio egregie meruerat, *Athname* et regni insignia Viennam mittit: et Caraphaei laudatione, quam precibus perfuderat, C. Tertius virtutis ergo Augustaei cubiculi ministerio decoratus.

Victoriae dignitas adversus feminam Principem incruentae.

Viaticum Techeliae de Caesaris aerario datum.

Caraphaeus Zriniam solatur, et Caesari commendat.

Nefaria Hungarici regni insignia per Franciscum Glubosischium Viennam mittit.

C. Tertium ob virtutem ab Caesaris cubiculo jussus.

At Techelius, certior factus Mungactium jam deditum, ira fremere, arma cogere, uxorem, privignos, *Athname* reciperatum festinare: nec probris temperabat in Caraphaeum; *umbratilem armorum ducem, desidem arcium expugnatorem, mulierum pupillorumque triumphatorum* conviciari. Janique Varadino procul ingentia toti provinciae damna dabat. Sed Caraphaeus, ut arceat, eo ducem Heislerium mittit. Is ubi de Germano adpropinquante cognovit, in tuta se recipit. Heislerio in hyberna regresso, et profecto in Transylvaniam Caraphaeo, denuo provinciam vastabundus pererrat: attamen uxor satis custodita inoffenso agmine interea Viennam pervenit.

Inritae Techelii irae.

Ejusdem in Caraphaeum probra.

Infestus provinciam inruit.

Ab Heislerio Caraphaei missu arcetur.

Profecto in Transylvaniam Caraphaeo denuo provinciam vastat.

Zrinia cum Ragoctiis pupillis Viennam pervenit.

CAPUT II.

Brevis Transylvaniae notitia ad luculentiorem rerum a Caraphaeo in ea gestarum expositionem.

Sed quoniam hoc loci Caraphaei facinus, ex omnibus usquam hoc bello gestis maxime anceps lubricumque, ac pro rerum difficultate perinde utile memoraturi sumus; quo opulentam, turbidam, asperam bellicosamque nationem, libertatis tenacissimam, Transylvanos Caesaris obsequio restituit; haec insignis reipublicae mutatio digna est ut ejus gentis historiam a prima origine strictim repetamus, quo praesens status conversio illustrius aliquanto exponatur.

Quae nunc Transylvania, *Dacia* olim dicta, bellipotens terrarum plaga, et opum ferax; montosa ut plurimum, duros asperosque homines gignit; et uti difficilis aditu, ita patrii moris tenax. Ea gens Imperii Romani limina diu multumque infestavit; latinamque virtutem sub optimo fortissimoque Imperatore graviter exercitam habuit. Ulpius Trajanus Nervae fil. Caes. ut Dacos intra Romana claustra longe lateque excurrentes coerceret bellum, in eos intulit. Sed a Decebalo ferocissimo rege

Transylvania bellicosa,

Opulenta.

Cur duri indigenae?

Cur patrii moris tenaces?

Trajani Imperatoris in Dacos prima expeditio inauspicata

Trajani dolor prae Dacia invicta:

ingentem cladem accepit, ut prae dolore paludamento non pepercerit suo, quod in partes conscissum in militum vulgus disjecit, et illud unice habuerit in votis,

Ejusdem votum.

UTINAM DACIAM SUBJUGATAM VIDEAM. Hinc reparans bellum,

Secunda expeditio prospera.

per aspera montium, invia fluminum ad Dacorum regiam evasit. Decebalus instante Romano hoste perculsus, Trajani mansuetudinem expertus est, qua populi Romani amicus icto foedere habitus: et prae gentis ferocia Dacorum amicitia res Romanis visa triumpho digna, quo Trajanus DACICUS appellatus. Sed Decebalus modesti intolerans regni, non multo post urbium munimina reficere, et ad res novas spectare nunciatur. Hinc in eum, hostem a Senatu judicatum, Trajanus tertium bellum expedit. Barbarus viribus non satis fidens, nefarios audet dolos; et percussores submittit, qui profugos ementiti PRINCIPEM OPTIMUM interficerent. Sed Romana felicitas prohibuit nefas; et Romani manipuli militaribus facetiis et hanc per laetitiam addidere: UBI ERAS RHAMNUSIA? UBI ERAS? QUANTUM ABFUIT, NE ROMA LUGERET: SED VIVIT TRAJANUS. In hac expeditione Caesar lapideum pontem Istro superduxit, quo expeditius in hostes trajiceret; opus magnitudini Romanae par, sed non perinde Romana gravitate inscriptum: PROVIDENTIA AUGUSTI VERE PONTIFICIS VIRTUS ROMANA QUID NON DOMUIT? SUB JUGUM ECCE RAPITUR ET DANUBIUS. Hinc omni ferme Dacia in Romanorum potestatem redacta, captaque regia, Decebalus omnia ut liber occumberet expertus, admissique sceleris conscius, expes clementiae mortem sibi conscivit. Caput Romam perlatum; eique hostiliter inlusit Romanus miles: NONNE TIBI DIXI, DECEBALE, FUNESTUM EST HERCULEM LACESSERE? NON RECTE FACIS, TUA IPSE QUOD JACES MANU: SED TE UTCUMQUE CAESAR VICIT, TULIT TIBI SEMPER AUGUR AUGUSTALIS. Gentis ferocissimus quisque veneno publice hausto a servitute corpora vindicarunt: Dacia Romanarum Provinciarum numerum auxit: et Dacicae virtutis debellatae ad posterorum memoriam columna Romae excitata, ubi Trajani conditus cinis et Dacicum bellum signis expressum.

Decebali Dacorum regis perfidia.

Tertia expeditio.

Decebali nefarius dolus in Trajanum tentatus.

Pons Trajani super Danubio.

Dacia in provinciam redacta,

Decebalus sibi mortem consciscit.

Insignis Dacorum ferocia.

Columna Trajana triplicis belli Dacici monumentum.

Sed Hadrianus, Trajani successor, postea veritus ne fera et indomita gens legiones opprimeret, ac prompto exitu loca cis Danubium per tumultus invaderet, pontem demoliri jussit: ratus eos populos solum dignos adiri ut debellentur, cetera maximis fluminibus coercendos.

Cur Hadrianus Trajani super Istro pontem demolitus?

Eam nunc duae cingunt Valachiae, Transalpina, quae generis nomen servat, et Moldavia: illa ad Danubium, haec ad Euxinum pertenta: montibus undique circumsepta in coronae speciem: rerum omnium feracissima, auriferis quoque amnibus interfluitur (*): oppida complura nobilissima incolit; quorum caput olim Alba-Julia, nunc Cibinium celebratur.

Transylvaniae descriptio.

Romano Imperio fatiscente, tres eam nationes invaserunt, *Saxones*, *Ciculi*, *Hungarique:* qui legibus moribusque privatim dissident, publice conveniunt. Saxonicus populus Saxonica lingua utitur, quae ad communem Germanicam Coloniensium adcedit, et in Transylvaniae montes *Alpium* quoque transtulit nomen. Ii gentis robur; nam agriculturae et bello aeque pares; antiquissima lege singulari arcium urbiumque claves adservant; ex tribus regni partibus ii numerant duas; eorumque urbes regius fundus censentur; et tamen ab Hungaris (an communi in Germanos odio?) uti vilia mancipia miseris modis habentur. Ciculi in Daciae angulo Moldaviae contermino sedes habent: durum prae ceteris asperumque genus; et perinde egentissimi, quamquam rusticam et pecuariam exercent, tamen aequo nobilitatis jure aestimantur, an quod se a Scythis ortos Hunnorum antiquissimos jactent? Hungari, Saxonibus Ciculisque late interfusi, ceteris ut bello praestant, ita ingenii mobilitate notantur. Ex iis quamplurimi privatae fortunae nobiles, quibus regni Proceres superbe dominantur. Tres autem eae nationes in publicis rebus agendis aequa dignitate secernuntur in partes tres, tamen confunduntur in summa.

Gentes quae in eam commigrarunt.

Saxones.

Gentis robur.

Urbium arciumque custodes.

Eorum urbes regius fundus.

Ciculi,

Duri asperique;

Omnes pastores agricolaeque;

Et tamen nobiles:

Hungari bello praestant;

Sed mobili ingenio.

Ut in summa tres nationes confunduntur.

(*) Qui aurea ramenta et fragmina vel sesquilibralia quandoque devolvunt.

Transylvania diu regni Hungarici pars per Waywodas recta.

Quando in proprium abiit Principatum.

Complura saecula regni Hungarici pars per Praesides, vulgo Waywodas, a Regibus impositos regebatur. Tandem Johannes Zapolya, post funestum Ludovici Regis casum, sub Ferdinando I Caes. et Hungariae rege, qua Procerum factione, qua Turcarum vi Transylvaniae Princeps anno MDXXVI consalutatus. Cumque id Regnum ad centum ferme virorum millia bello legeret, bellicosos Principes habuit, qui, cum Germanis, Turcis, Tartaris Polonisque acerrima et diuturna bella gesserunt. Sed intestinis externisque bellis graviter debilitata provincia, pro libertatis nomine Turcis indigne serviens, iis commodavit ut in Hungaria ampliter fines proferrent. Et inde primi omnium motuum Hungaricorum conatus, eodemque rebellium profugorum asylum. Quo rei Transylvanicae statu, constans fuerat prudentium judicium: *Dum Transylvania tributo redimeret Turcarum fidem, Christianis in Hungaria adversus communem sui nominis hostem neque bella administratu facilia, neque tutas victorias, neque utilia bello parta futura.*

Olim bellicosi ejus Principes.

Intestinis externisque bellis debilitata.

Commoda Turcis ad proferendum Imperium.

Prudentum de Transylvania judicium.

Transylvanica Lotharingii Ducis expeditio.

Ejusdem imperatorius astus.

His de caussis Lotharingius statim ac Soleymanem ad Mohatium fudit, in Transylvaniam cum xxx Germanorum millibus castra movit; et ne Turca id occuparet incoeptum, agmen Themiswar versus facere simulavit; et consilium profuit: nam Soleymanes ei metuens urbi, justum exercitum misit, qui ejus praesidio consedit. Dux Christianus sperabat iter per Danubii ripam prosequi, et per onerarias naves secundo fluvio devecta cibaria sibi subministrari: sed exundante flumine late stagnantes paludes iter praepedivere: quare Duci Erdodium usque regredi, inde petere Segedinum necesse fuit. Nunquam Germanus miles toto eo bello graviorem aerumnam tulit; qui longissimum iter per arida et deserta locorum fecit, qua nec gramen equum, nec quidquam frugis hominem itinere et inedia languidum reficiebat: nulla arborum umbra, nulla vel conclusa aquula et temporis et agminis aestum temperabat: et tamen quia summae rei salus in una expeditionis celeritate sita erat,

Maxima super omnes hoc bello Germanorum aerumna.

cum Ducis auctoritas, tum opulentae spes provinciae militem ad Transylvaniae fines perduxere.

Ubi Lotharingius per exercitus Quaestores Scharffembergium, et Falchenheimium Michaeli Apaffio Transylvaniae Principi significavit «necessariam belli rationem postulare ut Caesaris copiae in Transylvania hyemarent; quae et id Regnum a communis hostis invasionibus obtinerent, et facilius ad sequentis anni acies expedirentur». Apaffius per Michaelem Telechium, primum regni Administrum, se excusatum mittit, « Turcarum metu deterreri, ut in Transylvaniae oppidis universum eum exercitum per hyberna disponat: praestare Germanos in regni finibus aliquot legiones hybernantes locare, et conlata ab se ope contentos esse, ut tribus superioribus annis fecerunt, quam ut ingruentes Tartari et provinciam sibi devastent, et hanc Caesari non contemnendam utilitatem corrumpant». Sed quia summa res in maximum adducta discrimen erat, quod mora ingravescebat, Lotharingius Telechii artibus vim opponit; Transylvaniae fines ingreditur; arcem Samblochum capit ac munit, ut, si quid adversi accidat, tuto egressui cautum sit. Inde Claudiopolim petit, urbem in edito sitam, firmis altisque moenibus circumseptam et satis valido praesidio firmatam. Ibi curiata regni Comitia, vulgo nunc *Status* dicti, convocantur. Qui urbi praeerat, eam tradere Principis injussu negat: Lotharingius ad eam oppugnandam expeditur: sic intentato bello deditur: miles Transylvanus egreditur, Germanus inducitur. Interea Princeps Cibinium, provinciae, ut diximus, regiam se recipit; putans eam Germanorum hybernis immunem fore, aut certe Cibinienses in ea urbe regni libertatem propugnaturos. Sed oppidani, magis suae quam Principis saluti prospicientes, sibi consilium dedendae urbis cepere. Itaque Apaffius cum regio comitatu in arcem Fogaram commigravit, et regni Primores sibi adesse per edictum jussit: perduellionis poena in contumaces sancita. Interea regiae urbis exemplum Alba-Julia et alia

Lotharingius Transylvano edicit hyberna militi in ejus regno locanda.

Apaffius per Telechium excusando detrectat.

Lotharingius vim intentat.

Arcem Samblochum capit;

Claudiopolim invadit;

Accipitque in deditionem;

Mox Cibinio potitur.

Apaffius Fogaram se recipit.

Alba-Julia et alia

novem oppida Lotharingio deduntur.

Lotharingii foederis formula.

oppida novem numero, omnia ferme in provinciae meditullio sita, secuta sunt, ex foedere in castris ad Palaslavam positis in has leges sancito: TRIBUTUM ET HYBERNA IN TRANSYLVANIA GERMANO MILITI PENDITOR PRAEBENTORQUE: CIBINIO, ET EX ALIIS OPPIDIS ARCIBUSQUE, IN QUAS GERMANAE LEGIONES IMMITTUNTUR, TRANSYLVANIS EMIGRANDI POTESTAS ESTO: MICHAELI PATRI ET MICHAELI FILIO APAFFIIS PRINCIPALIS AUCTORITAS, UNIVERSO POP. TRANSYLVANO LIBERTAS SERVATOR: GERMANUS MILES AD OMNI RE, OMNI JURE OMNIQUE CORPORE TRANSYLVANO ABSTINETO: NE VANI PRINCIPIS PROCERUMQUE DELATORES AUDIANTOR: CLAVES URBIUM ARCIUMQUE SAXONICO POP. ANTIQUUM ADSERVANDI JUS RATUM ESTO: PROXIMO VERE MILES GERMANUS REGNO EDUCITOR: PRINCIPI REIQUE PUBLICAE TRANSYLVANAE EJUS ACTAE REI EXCUSATIO CUM TURCIS PERMITTITOR.

CAPUT III.

Lotharingio Duci in summo armorum imperio in Transylvania succedit: et de eo regno una et Germano milite adversum Tartaricas invasiones, salva Lotharingici foederis fide, protutando deliberat.

Caesar Caraphaeum Lotharingio in armorum imperio substituit.

Caesar ubi haec a Lotharingio gesta cognovit, extemplo ad Caraphaeum (*) scribit «se eum in Provincia Transylvania Lotharingio subrogasse, maximique rem momenti concredere, plenissimam discriminis, et hostium aemulorumque offendiculis confragosam: quae virum flagitat in re urbana, militari et aeconomica versatissimum; eumdemque provinciae gnarum, magnoque animo et plurima auctoritate praeditum; improbi laboris, summae dexteritatis, antiqui erga se obsequii spectatissimum, ut in iis hybernis neque Transylvanica neque Germanica respublica quid detrimenti capiat. Se

(*) Ex libro Epistolarum Caesaris ad Caraphaeum, ep. 91.

ei in re tantis locorum intervallis longinqua nihil certi mandare; quae in re praesenti viderit utilia Lotharingius, eum doceat; futura ejus prudentiae committere; id unum diserte edicere, ut suae et mansueti et foedera servantis Principis gloriae omnia submittat. Capessat igitur alacri animo munus; et quem ex belli ducibus maxime velit, optet: Heislerium et Veteranium satis idoneos sibi videri: si alios pluresve majoris etiam dignationis is sibi adesse oportere censeat, se ejus imperio submissurum ».

Egregia Caesaris cura de obtinenda Principis foedera servandis fama.

Heislerium et Veteranium Caraphaei Legatos creat.

Et vero Lotharingius postquam hyberna per Transylvaniam disposuit, inlico Caraphaeum ad id armorum imperium ab se capessendum ab Hungaria evocavit. Sed is tantisper cessavit, dum provinciam suam omnino pacaret. Cogitabat enim, Transylvanos nunquam commodius tempus contestandi in Turcas obsequii nactos esse, quam quum is Germanorum exercitus longo citatoque octoginta leucarum agmine fessum, et omnium egentissimum, asperam et satis munitam provinciam intrârat; ubi adpropinquante hyeme neque ubi se recipere, neque unde victitaret habebat. Quapropter Transylvanos facilitate, qua Germanum militem in sua oppida et munimenta induxerunt, aliquid monstri alere certo suspicabatur; et idem, quod non multis ante annis, ausuros, quum Germanas legiones aliquot eadem fraude inlectas Claudiopoli oppresserant. Igitur copiis quamquam virtute et numero formidandis, tamen externae opis, qua victitarent, indigis, in provincia prae libertatis studio audacissima non satis tuto dispositis, inter horrentes alpes vel ipsi virtuti arduas saltusque, vel providentiae ipsi insidiosas, pernici Tartaro expositis, a Germano auxilio remotis fermeque interclusis non mediocriter metuebat. Neque ea Caraphaei anxietas temeraria; nam Transylvani ad Turcicum Senatum scripserant « arma Germanica suam provinciam penetrasse; seque inopia eorum adventu perculsos, cum neque quas opponerent vires haberent, neque ullum ab iis praesens auxilium

Caraphaeus a Lotharingio evocatur.

Paulisper cessat; quid ita?

Insidiosam Germanis Transylvanorum facilitatem suspicatur.

Suspicio Caraphaei non temeraria.

sperarent, tum ob adpetentem hyemem, tum ob militarem eorumdem seditionem, idcirco eam vim pati adactos ». Et ab eo purpuratorum consessu rescriptum, « ut cederent tempori; eam enim commodissimam occasionem fore ejus exercitus ad internecionem usque delendi ».

Cur non ante in Transylveniem transit, quem Agriem et Mungactium recipiet?

Ad haec quia semper intutum, nam saepissime inutile compertum, arma in alienum ferre qui haberet hostem in suo; si Agria et Mungactium in hostium potestate perstarent, facile fore ut tumultu ab Transylvanis orto, ea praesidia obsidio soluta cum Varadiniensi hoste, et Techelii perduellibus adjunctis, ejus vi motus Hungariam nedum superiorem, sed inferiorem quoque concuterent. Haec adeo omnia metuens Caraphaeus, non prius in Transylvaniam transiit, quam maturata deditione ea firmissima munimenta recepisset.

Claudiopoli armorum imperium accipit a Lotharingio.

Deliberat de milite provinciaque servandis.

Ubi autem venit, et Claudiopoli a Lotharingio armorum imperium accepit, de provinciae militisque salute procuranda rationes in utramque partem versavit. Enim vero is longa provinciae solertia Transylvano conterminae, in qua unetviginti annos versatus erat, naturam ejus reipublicae per amicos hospitesque exploraverat: sed curiosius id egerat jam inde, quum a Caesare Lotharingio se subrogatum accepit. At in re praesenti demum super ea, quae de Transylvanorum animis, studiis, aversionibus, dissidiis gnarus erat (*), cognoscit, ab adversariis Augustae Domus « inclytam gentem Hungaram ludibrio haberi, quod tam foede Germanis sese subjecerit; quos longo et difficili agmine lassatos, fame sitique confectos, minima ostentata vi a regni sui finibus arcere possent; maxime cum Agria Mungactiumque Germanorum praesidio etiamtum libera erant; atque adeo iis, nisi opprimere armis vellent, intra dies inedia perituris munitissimum et opulentissimum regnum prodi-

Provinciae gnarissimus.

Aemulorum Austriae Domus turbidus sermo. Transylvanorum facilites aut degener, aut insidiosa.

(*) Hic sermo a Vaila Laslo Transylvano, viro multis legationibus ad Turcas, Polonos Germanosque defuncto, cum monacho Basiliano habitus est, quem is ad Caesareum Ducem transcripsit.

derint: Polonicam factionem, Austrii Imperio infensam, eum conterminum aversari: Tartaros, alias in id regnum invectos, omnia, et potissimum Saxonum agros funditus radicitusque vastasse: nunc sperari amicos sociosque adfuturos, ut Germanos vel in ipsis Transylvaniae hybernis opprimant, vel inde eductos persequantur, disturbent ac deleant: eoque argumento trucem conjecturam firmari, quod Transylvanus dum Germanos in sinu lactare videtur, Turcis tributum pendat, ab iis Legatos admittat, et cum iisdem denuo firmet foedus».

A Tartaris metus.

Transylvanus cum Turcis tergiversatur.

Hinc, justo constantique metu de Caesarei exercitus salute commotus, secum deliberat, vimne Transylvanis faciat, an fiduciam non tamen temerariam ostentet? «Vim jus ipsum fovere: ea enim Transylvanorum consilia Lotharingico foederi omnino adversari neque a belli aequitate utilitatem dignitatemque sejunctam: quod Caesar et a praesenti et ab omni posterorum aetate incusaretur, qui justam nactus caussam Transylvaniae reciperandae, quae totius belli Hungarici hactenus gesti fructus, et porro gerendi subsidia praeberet, et sub potentis Imperio Christianis regnis omnibus claustrum esset et propugnaculum; at sub infirmo Principe, qui neque Turcas arcere, neque adeo ingressos ejicere potest, communi Christianorum sacrorum hosti ad proferendum in occiduam plagam imperium regiam viam munit; eam neglexerit in suam redigere potestatem. Neque enim justos metus praetendi, cum veri et gravissimi subsint. Palam namque differri, Germanum militem a Transylnis non in hyberna exceptum, sed in insidias: et historias passim commemorare, ingentes Germanorum exercitus in Transylvania deletos: unde Transylvaniam *Germanorum sepulchrum* vulgo dictam. Eam horrendis alpibus consitam per angustissimas fauces adiri: vulgoque sermones; male sibi Germanos consuluisse, qui mediterranea provinciae occuparunt, aspera, quo Princeps et Proceres sese recipiant, omiserunt, nec munimentis ad fines positis sunt potiti: Kovar egressui in

Deliberat vim ne faciat, an fiduciam prae se ferat?

Argumenta quae vim suadent.

Jus Caesari Transylvaniae occupandae cum dignitate conjunctum.

Transylvanica Germanorum hyberna discriminis plenissima.

Transylvania *Germanorum sepulchrum* dicta.

Aspera provinciae Principi et Proceribus receptui patent,

Provinciae aditus in eorundem potestate,

Kovar, Hust, Corona.

Hungariam occlusum, Hust in Poloniam, Coronam in Moldaviam Tartariamque patere. Ita eum Germanorum exercitum facile oppressum iri: quod iis Tartari suis excursibus obsidia, siquae instituant, disturbabunt; Transylvani necessarias vitae fruges occludent. Germano militi, inter asperrimas alpes laboranti, e longinquo per vastas desolatasque terrarum regiones, et extenuato agmine per difficiles provinciae aditus opem ferre, si non plane desperatum, certe difficillimum et impeditissimum opus. Et ut impenetrabilis provincia adeatur, Germanum auxilium Transylvanos a fronte, Turcas a tergo habiturum; itaque ab utrisque nullo negocio posse circumveniri. Et, sine Tartaris, jam Germanum inter infensos intutum agere: eos enim passim obmurmurare, se pro libertate omnia conaturos; quam si in Transylvania obtinere non possint, se eam deserturos terram ubi liberi vivere nequeant, et suam libertatem secum in Moldaviam, Valachiam, Podoliam, Ukraniam aliasque hominibus vastissimas terras comportaturos, et eminus ulturos mutatas sedes. Eam gentem duram saevamque, equis, viris sat abundare; ubi duces habuit magnanimos, bello inclytam; si libertas pro duce regat, formidandam ».

Miserrima Germanorum conditio, si Tartari Transylvaniam inrumpant.

Turbidorum Transylvanorum minae.

Transylvani gens dura, saeva et pro libertate pugnax.

Ob haec omnia vi et armis occupandum censebat periculum, et sperabat. Noverat enim « Saxones communis originis memoria Germani nominis studiosos: eos, uti et Ciculos, ab Hungaris oppressos non eadem cum iisdem velle: in illis provinciae securitatem, qui claustra urbium et arcium asservant; in his delectum robur, qui bello nati videntur: utramque gentem, quo vergant, facile mole sua Hungaros pertracturam: Principem ignavum; populum religionibus divisum; Telechium occultis simultatibus gravem; et qui coacti ac metu in ejus partibus continentur, ultro, si quis existat, alium ducem sequuturos: privatae fortunae nobiles a Primoribus superbe habitos; Senatus auctoritatem potentia paucorum adflictam; Fogaram non satis munitam, et expu-

Vis tentandae facilitas.

Saxones Germanorum studiosi.

Idem, uti et Ciculi, ab Hungaris oppressi.

In illis provinciae custodia; In his gentis robur.

Princeps socors, populus divisus.

Telechius simultatibus gravis.

Primorum intolerenda potentia.

Fogars non satis munita.

gnatu facillimam. Non igitur ab sex septem hominibus metuendum, qui, nisi opprimantur, rem Christianam universam conantur opprimere ».

Contra reputabat « Transylvanos, ut inter se discordes, contra exterum congruere et convenire: in proximo Techelium imminere provinciae, in qua multas clientelas et potentium celebraret hospitia: Primores bonam magnamque partem stipis conferre militi, eidemque commeatus e longinquo importare: Principi et Primoribus patere in Alpes subfugia: per hyemem vix in camporum aequoribus belligerari; in arduis autem alpibus per nivium labem nedum impedimenta evehi, sed militem equumque eniti negatum. Galliae quidem regem in Belgio bella tempore hyemante expedire; sed sex septem summum leucarum algens militi agmen, et omnibus administrando bello e propinquo depromptis. At in Transylvanicarum rerum monumentis proditum, Georgium Ragóctium, januario mense in Maramarosinensem agrum Poloniae conterminum cum exercitu ingressum, sex dierum itinere facto, resolutis in imbres nivibus, cum neque ipse regredi posset, et reliquae copiae ad eum accedere prohiberentur; immensam alpem, quam superare necesse habebat, glacie obstructam offendisse; ut per ingentem hominum et jumentorum stragem editam impedimenta summo operarum connixu et machinarum gemitu transveheret, ipsa natura eum, ne in exitium rueret, retrahente. Id Ragoctio inter cives; quid se inter hostes futurum? Scilicet, ut cum caeli saevitia humana rabies sociata omnes Caesaris copias ad internecionem usque trucidaret. Et ut majores casus devitet, ubi Tartari Transylvanos Germanorum incoeptis obniti viderint, perniciter involaturos provinciam, et utrisque Techelium cum illis suis furoribus affore. Ita opus omnes legiones in Transylvania manere, et fortasse alias quoque inducendas, ni tota fortasse mole bellum in Transylvania gerendum sit. Sed si neque caelum neque homines hunc bellicum conatum aversentur, provinciam vi partam vi

Argumenta quae vim dehortantur.
Concordia gentis contra exteros;
Techelius in proximo;
Primores stipendiarii;
lisdem et Principi.
Alpium patere subfugia.
Acies per nivosas Alpes discriminosae.
Domesticum et grave exemplum.
A Tartaris,
Et a Techelio metus.
Si id regnum vi subigatur, vi quoque obtinendum.

quoque obtinendam. Nam si a Germanis in Hungaria male cum Turcis pugnatum sit, Transylvanos laxatos vi, solutos metu extrema militi mala daturos; vel hoc uno, diffugientes in nemora. Sporchium ducem una aestate superiorem Hungariam subegisse omnem; sed vix milite Germano hybernis emisso, eadem amissam facilitate, qua receptam. At ultra Essechum tam longe, vel prosperante belli fortuna, quo latius profertur Caesaris victoris imperium, eo pluribus copiis exercitum instruendum ».

Nupero in Hungaria firmante exemplo.
Sed miles longe in Slavoniam abducendus.

« Sed hos omnes metus ipsam celeritatem disturbare cunctos ac disjicere, spes erat, dum Turcae cum externis cladibus, tum intestinis motibus adflictarentur; Tartaros Moschus formidanda expeditione occuparet; et Polonicus Conventus in eorundem perniciem haberetur: Transylvanos interea rigente adhuc caelo in urbibus opprimi posse, diffugio in nemora pernegato: Germanorum virtutem periculis majorem: prospera belli fortuna florere Caesarem, eaque per occasiones sese ostentante audacter utendum: praesentia laeta et certa prae tristibus futuris ac dubiis posthaberi, timidi non cauti esse ».

Alia argumenta quae vim urgent: Incoepti celeritas, Turcarum seditio.
Moschus Tartaros distrahens,
Polonicus Conventus,
Caeli rigor diffugiis Transylvanorum adversus.
Germanorum virtus,
Belli fortuna Caesari adspirans.

At enim Dux vim experiri veritus est, cogitans « veras legitimasque ejus rei gerendae caussas genus humanum latere, et Austriacae gloriae invidos verisimilem popularemque praetextum nancisci posse Caesaris justitiam calumniandi, Transylvanos tribus perpetuis annis Germano militi largiter et aere et fruge opitulatos esse; eumdem in suas arces optima fide induxisse, ut suis cervicibus hostes imponerent, contra foederis Lotharingici legem, NE VANIS DELATORIBUS FIDES ADHIBETOR: simulari Tartarorum inruptiones, praetendi metus, ut populi Transylvani libertatem opprimant, ac senem et puerum Principes circumveniant ».

Caraphaeus sedulus Caesareae dignitatis curator.
Non tentat vim, ne aemuli vel injuria Caesaris fidem perstringant.

Igitur animum omnino adplicavit ad artes, quibus et Caesaris dignitati, una et provinciae libertati et militis securitati consuleret. Sed hac quoque abruptum, et qua ducebat, in praeceps iter. Una enim patebat via,

Civilibus artibus et provinciam et militem servare constituit.
Sed anceps quoque ratio;

Michaelem Telechium ejusque factionem conciliare. Sed neque Caraphaei aemuli, neque amici, neque adeo ipsemet animum inducere poterat «virum, qui tot tetras perduelliones in Caesarem machinàtus, et omnia extrema in Austriam Domum et Germanicum Imperium molitus erat, qui in ejus exitium omnes Asiae vires hoc bello Techeliano-Turcico exciverat; qui superiore anno illud Turcis consilium dederat, ut dum Germani in inferiore Hungaria aliquam urbem oppugnarent, ii omnibus copiis Caesaris provincias praetercurrerent, et igne ferroque excinderent universas, ut cum in Hungaria Germanus miles perstare non posset, ab omnium rerum inopia in Germaniam redigeretur; hunc virum subito nunc mutata voluntate Caesaris partes sequuturum. Ad haec vetustae potentiae anxius senex, qui Apaffio auctor fuerat ut is Dionysium Banfium necessarium suum securi percuteret, ex falsa adfectati regni suspicione; Bethlenios et Cziachios Constantinopoli, Techelium Varadini catenis onerari curârat, infirmo metu ne Transylvaniae principatum apud Turcas ambirent; et in publico conventu jactaverat, se unum hominem duobus maximis orbis terrarum Imperiis inlusisse, ut Transylvaniae, quemadmodum ipse ajebat, libertatem servaret, re autem ipsa ut inter eos regnum obtineret; quam ad rem magnam domi factionem, magnas foris amicitias cum Turcis, Tartaris, Polonis per magnas artes colebat, ut stupidus Princeps regni insignia sibi gestaret; omnino verisimile non videri, inlico fiduciam induere ut posset, ne nihil sibi de potentia libaretur, si quid ipse ab eo peteret, quod majorem ulterioremque et militi et provinciae securitatem conciliaret».

Telechium ejusque factionem conciliando;

Praeter omnium opinionem et fidem.

Telechius Austriae Domus infensissimus et infestissimus hostis;

Tristi anxietate potentiae.

Superbissimum ejus dictum.

Factiosissimus domi, hospitiis potentissimus foris.

Sed tamen ingenio fretus, quo mirum in modum praestabat, ut quos vellet ad se converteret; quod gravius efficiebat summa de se opinione severitatis incussa; unde vulgo dicebatur *aut amore, aut metu Caraphaeo esse obsequendum*; Telechium in Caesaris partes transducere confidit, cogitans «eum senio infirmum non oportere

Caraphaeus miro ingenio ad se animos convertendi.

Vulgo de Caraphaeo dictum.

Argumenta quae firmant Telechium conciliari Caesari posse.

amplius incerta conari; liberis onusto et occultis aemulis gravi expedire securas familiae opes posteritati relinquere; easque tantas in Transylvania et *Regni* quas dicunt *partibus* possidere, quantas nullus ei rex summus in alia ditione reponat: ob patriae salutem id unice studuisse, ut infirma respublica inter duo praepotentia Imperia sita adhaereret ei, unde spes metusve propiores. Nunc, universo ferme Hungarico Regno a Germanis reciperato, praesentem ejus fortunis Caesaris tutelam esse: gravissima quidem Caesaris dedisse damna, sed Principi subditum, qui sub Turcica fide erat; et ut reum, admissa promeritis in Caesarem emendare posse; cujus clementiam, vel cum subjectis nunquam insidiosam compertam, metum ei omnem esse sublaturam ».

Telechio utendi modus.

Quid faciat gloria praeclaros viros?

Has igitur ob rationes eum suis explicandis consiliis adhibendum statuit; sed ut praecipuo utatur, non ut indigeat uno. Enimvero gloria insignes viri non alia de caussa extitere, quam quod a fortuna in medium magnarum rerum veluti caecum turbinem conjecti sunt, consilio autem ducuntur ad tenuissima opportunitatum discrimina internoscenda, quibus rectam magnorum faciuorum ineant viam. Caraphaeus si quae de Telechio vulgo habebatur, eam sequutus esset opinionem, *eum unum res Caesaris in Transylvania omnes disturbaturum*, is certe inutiliter rem gessisset. Sed vir prudens in re praesenti ea rerum momenta expendit, ut ejus ope consilio maxime Transylvania non solum Germano militi hyemanti et fida et bona esset; sed ut ejurata in Turcas obsequium, quemadmodum mox narrabimus, longo quodam postliminio revocata, Caesarem suum regem adgnosceret, et in ejus Principis verba juraret.

Vulgi opinio de Telechio.

Sapiens Caraphaei de eodem conjectura.

CAPUT IV.

Michaelem Telechium, primum regni Transylvanici Administrum, infensissimum hactenus Caesaris hostem, ad ejusdem partes convertit. Magno frumenti modo a Transylvanis donatur; quod is militi optatum, eidem servat. Praeclaris regni artibus Transylvanorum animos sibi conciliat.

In incundis provinciis Imperii reverentia incutienda.

Utile tamen ratus in ineunda provincia imperii reverentiam incutere, simul ac Cibinium pervenit tormenta expedivit, tamquam vim inlaturus; ut asperorum objectu mansueta consilia gratiora sequerentur: mox ad Transylvanum Principem scribens « se a Caesare armorum in Hungaria et Transylvania summum ducem, et graviorum ejus rerum procuratorem creatum narrat: hinc petit ut quamprimum sibi significet, quis ejus, quis Primorum sit erga Caesarem animus; deinde ut Transylvania a Tartaricis inruptionibus tuta sit: postremo qua ope quove auxilio Germanum exercitum juvare possit: quod ni faciat, se eum pro Caesaris hoste habiturum ».

Certiorem facit Transylvanum de suo adventu et munere.

Vult doceri de Transylvaniae securitate.

Et de ratione stipis militi conferendae.

Apaffius Caraphaeo per ablegatum respondet.

Doceet eximia Transylvanorum in Caesarem studia.

Apaffius per Michaelem Vayium ablegatum Caraphaei gratulatur adventum, docetque « se et regni Primores rebus ipsis sat significasse sua in Caesarem studia; cujus copias tam liberaliter in sua exceperint munimenta, et satis largiter pro re copiaque sustentent: ut Transylvani Legati, qui Constantinopoli agunt, scripserint, Turcas Transylvanis pessima minatos, quod citra vim omnem Germano militi in munitissimis oppidis arcibusque suis sint hyberna gratificati; et Tartaros ad foederis secum icti vindicias jam emittere decrevisse: sed dexteritate et solicitudine Legatorum de sententia aegre vixque tandem demotos esse: urgere tamen ut superioris anni tributum absolvant; et monere simul ut obsequium ex foedere sibi promissum porro praestent: quod ni faciant, sibi omnique suae posteritati funestissimum

Unde graves Turcarum in ipsos minae.

Digitized by Google

in se passuros exemplum. De provinciae securitate, et conferenda militi stipe, Michaelem Telechium summum armis Transylvanicis Praefectum, qui eum doceat, brevi missurum respondet ».

Princeps et Respublica Transylvana Legatos mittunt ad Caraphaeum.

Princeps Legationis Telechius superbus ingenio, Ingens visu senex, Vultu graviter comi,

Paucis post diebus Princeps Telechium, populus Transylvanus Alexium Bethlenium aliosque primos domi viros ad Caraphaeum legârunt: qui, gnarus Telechium superbi ingenii virum, maxima honoris significatione uti Legationis principem excipit, observatque oris dignitate spectandum senem, gravem comitatem inesse vultu, et in verbis neque expromptis neque obluctantibus fidem.

Sermone ad fidem faciendam facto.

Gravis ejusdem oratio.

Is sermone ad officium exornandum absoluto, orationem cujus caussa venerat ingressus, ait: « Transylvaniam universa omnium studia in Caesarem convertisse: super sua fide optima Germanis copiis licere ociosis hyberna inter suos degere: ad Turcicum enim Senatum scripsisse ut ab Transylvania Tartaros contineret, quod ex Lotharingico foedere Germani ex provinciae hybernis primo ineunte vere deducerentur, et retulisse impetratum: militi autem intra paucos dies stipendium absolutum iri adpromittit ».

Brevia et momentosa Caraphaei ad eum dicta.

Ibi Germani militis imperator replicavit « se foederis Lotharingici observantem vanis delatoribus non praebuisse aures; rumorem tamen non temerarium obortum, Tartaros provinciam invasuros. Spem ostentat, intentat metum: Principem apud Turcas in invidiam trahi: regni ambitiosos non deesse: in praesens salutem, posteris securitatem, ad Caesaris fidem confugere ».

Magnanimum Telechii responsum.

Heic Telechius alto animo respondit: « se in ea regni administratione semper spectasse ut respublica salva esset, et cum communi omnium suam semper salutem confudisse: sancte adpromittere, summam rem Caesari in Transylvania tutam fore, modo duo omnino eximantur, obsequium Principis et religionis libertas. Fidem sibi adhibendam senio gravi, quem numerosae soboli rem statuminare, non incertas serere spes oporteat ».

Telechius promissa ex fide praestat.

Et Telechii sane promissa inlico adparuere: nam qui

reliqui naturae fructus adhuc militi praestandi erant, pro iis est pecunia repraesentata: et quod hactenus in viris equisque alendis vel inique vel incommode peccatum fuerat, correctum et in melius quoque etiam mutatum.

Caraphaeus pro ducum more a provincia donari postulat.

Ad haec Caraphaeus impeditas aerarii rationes intelligens, a Telechio aliisque ablegatis petit, *usurpandum secum quoque morem munerandi summos armorum duces, qui pro Caesare in ea provincia imperarent.* Ablegati rogant, *ut optet.* Is *militi, non sibi, triginta millia modiorum frumenti* petit. Ablegati *tantae rei potestatem habere* negant; *curaturos tamen* spondent, *ut optatum referat donum.* De ea re habentur mox Comitia, atque in iis, *uti rogatum est, ita jussum.*

Rogatus optat ingentem frumenti vim militi.

Quod mox liberaliter donu datum.

Egregiae civilea artes, quibus Caraphaeus Transylvaniam convertit Caesari.

Intentissima disciplinae militaris severitate,

Summa comitate in Transylvanos.

Qua arte Catholicos?

Qua Saxones?

Qua Ciculos?

Qua multitudinem universam adlicit?

Popularissimus.

Interea Caraphaeus, ut Germani Transylvanique animis coalescant, qua terribilis erat, intenta severitate in militiae flagitia diligentissime inquirit; in reos exasperat poenas, ut miles ne vultu quidem provinciae laederet libertatem: contra cum Transylvanis omnes comitatis mansuetudinisque artes adhibere. Catholicos conciliat, quod eorum cum Caesare communis religio apud se gratia praecipuos faciat: Saxones adprime charos habet, memoria communis cum Germanis originis: Ciculos, ex inclyto Hunnorum sanguine, miseratur infra omnes Transylvanos haberi: plebe graves Primorum usuras expostulante, egestati contra avaritiam adest; et in quovis exorto certamine aut controversia, multitudinis jus contra paucorum potentiam, infirmitatem adversus vim protegit: cultu comis, aditu facilis, cum tenui plebe liberalis, munificus cum primoribus; in audiendis precibus humanus, aequus in sententiis; asper dumtaxat rigidusque in criminibus atque adeo peccatis suorum.

Summa arte praesentem rerum statum sub Turcarum fide incusat.

Sed potissimum Proceribus, ut a quoquo eorum aut officii aut rei caussa adiretur, per sermones occasione se dante natos narrabat «se antequam eam provinciam inisset, putasse regnum aditurum cultum agri, homi-

nibus frequens; opes ac nitorem observaturum, si non pro ejus amplitudine et majestate, quum centum ferme virorum millia legebat et instruebat ad bellum, saltem magnum pristinae potentiae opulentiaeque specimen spectaturum. Sed eam sub Turcarum protectione ab sua antiqua dignitate insigniter decidisse notaverat. Enim vero Turcam, arcano regni illo suo, in limine provincias sub libertatis specie decipere, ut sint suum inter et aliena Imperia veluti in freto interjectae moles, quae primae excipiant frangantque bellorum procellas et fluctus; eoque pacto interea deterere, quousque tandem solitum ibi Imperii sui finem imponat, vastitatem. Facile ipsis e propinquo Valachiam, non perinde ut Moldavia, adflictam intueri: in ea duobus ante seculis ad sexaginta ferme praeclara oppida et munitissima celebrata; nunc unum omnino, idque semirutum Monasterium in edito superstare, ubi vix una atque altera cohors, turmave agitare praesidium possit. Pro Principis Palatio duas semper Turcarum turmas in stationibus esse a quibus perpetuo observatus nullum ablegatum, neque adeo privatae conditionis externum admittit, quin de eo Turcicum Senatum edoceat: Tartaros semper ejus cervicibus imminere; et sive agros populationibus corrumpant, sive vicos diripiant, sive pecora abigant, eos non vi ulla vindicat ulcisciturve, sed subjectis ultro punitis placat: provinciam videre est funditus eversam, egentissimam nationem, Principem contemptissimum; quem si forte mercator, nedum Magistratus Turca adierit, ei se vili mancipio abjectius demitti. Rursum Hungariam respiciant, et observent pristinas Primorum durare opes, Palatini amplissimum ac pene regium munus; ut qui eo fungitur, in summorum Germaniae Principum ordine censeatur, *et celsissimi Principis* praescriptione decoratus ipsis Transylvaniae Principibus loci dignitate praecedat; quatuor limitaneos regni duces aequo cum summis Germanorum ducibus armorum imperio pollere. Paullum Esterhasium, Hungariae Palatinum, Aurei Vel-

Turcici regni arcanum.

Miserae Valachorum fortunae.

Principis ludibrium.

Hungariae splendor vivax.

Principum opes.

Regium ferme Palatini munus.

Quatuor cum summo imperio limitum duces:

Paullus Esterha-

leris Torque insignitum conspiciant, quo reges principesque summi decorantur: Leopoldum Colonictium ob praeclara in rem Christianam merita in amplissimum Cardinalium ordinem, in quem Sigismundi Bathorei Transylvanorum Principes, et Casimiri Polonorum Reges, cooptatum: atque adeo qui bellicam virtutem aut civilis rei prudentiam cum obsequio in regem componunt, splendidissimos militiae ordines, amplissimaque aulae praemia referre. At hercule indignum, Christianam gentem bello inclytam Christiani nominis hosti obsequium debere; qui Mehmedanae superstitionis instinctu eos acri odio abominatur; et hactenus sinit inani quadam libertatis specie fruantur, dum ulterius suos Imperii fines producat. Vix Varadini potitum, eo munimento injecisse Transylvanis vincula servitutis, iisque superbe, avare crudeliterque imperitare: quid si ei Viennam capere, et ulteriori claustro Imperium munire contigisset? Scilicet jam ipsis, ut tot orbis Christiani aliis splendidissimis regnis, infandi servitii compedes constrinxisset. Ea quae disserat omnibus Transylvanis, sed Proceribus maxime formidolosa; cum Turcarum Tyrannus in regni arcanis artibus habeat nobilitatem omnem atque adeo proceres redactarum provinciarum omnino delere, et ex eorum latifundiis suo militi adsignare *timarros*. At sub Caesare, dum felicibus Germanorum aerumnis longe lateque in Hungaria proferuntur fines, et limitum ducibus armorum imperia et principibus regni viris beneficia ampliora sperari ».

sius Aurei Velleris Torque,

Leopoldus Colonictius purpureo Cardinalium galero splendidissime decorati.

Caesaris egregia in Huogaros fides munificentia.

Foedissimum factum, Christianos bello inclytos ultro Turcis servire.

Varadinum compedes Transylvaoiae.

Vienna capta, Turcae Transylvaniae Principatum extinxissent.

Turcarum potentia Regoorum proceribus maxime metueoda.

Arcaoum regni Turcici quod coloniarum arcano respondet.

Sub Caesare Turcarum victore major Huogaris muoerum amplitudo speratur.

CAPUT V.

Transylvanorum sententias de mutando Principe vel Republica, quia Lotharingicum laedunt foedus, repudiat: ejusque auctoritate S. P. Q. Transylvanus novo foedere icto obsequium in Turcas ejurat, et Caesarem suum regem adgnoscit.

Transylvania mollissima Caraphaeo.

Ita Transylvani, ut quisque gente, ordine, conditione, fortuna distinguebantur, a Caraphaeo conciliantur Caesari: et ex ejusdem auctoritate omnia in Lotharingico foedere promissa implent: nam et tributum expensum, et stipendium absolutum, et vestitus satis instructusque miles, et exprompti commeatus, et paratae vecturae, et virescebat in equi pabulum tellus, ut jam Caraphaeus pararet legiones hybernis educere, quum nunciatum « Sulthanum Nuradinum in Poloniam infestum intrasse; multa Polonorum corpora in servitutem abegisse; inde substitisse in Moldavia, ut cum Germanus miles Transylvania egressus esset, eam tanquam calamitas pervasurus hospitia Germanica ulcisceretur ».

Qui absolutum et instructum inde militem jam educere in acies parat;

Cum Tartari expeditio Transylvaniae metuenda nunciatur,

Hinc provinciae metuens ne Tartarus commoda inde Germanis suppeditata ulcisceretur, suppeditanda perpetuo excinderet, ut salva Caesari dignitas foret, et si quid in ea lubrica re lapsus esset sibi imputaretur, S. P. Q. Transylvano edicit « ad se summum Germanici exercitus ducem ex vi ipsa imperii, quod gerit, nec ullo Caesaris mandato pertinere, ut antequam in campos legiones educat, ulteriori provinciae securitati provideat; quamobrem ad se legent, qui secum ea de re agant ».

Cura eximia Caesareae dignitatis.

Caraphaei edictum gravitate refertum.

Ablegati, ut Cibinium advenere, sententiae loco proponunt, « ut regna et Imperia ab externa vi tuta sint, populos sua republica contentos esse oportere: nam qui suis legibus moribusque laetantur, ipso nationis consensu multo magis, quam arcibus praesidiisque externam potentiam deterrent ». Itaque rogant Caraphaeum *ut Tran-*

Praecipua Imperiorum tutela est, ut cives sua republica contenti sint.

Transylvani ro-

sylvanam rempublicam ordinandam suscipiat. Dux eos *ut sententias scriptis consignent*, jubet.

gani Caraphaeum, ut rempublicam ordinandam suscipiat.

Nicolaus Bethlenius, vir vasti animi, sub aegrae reipublicae persona Apaffium et Telechium vulnerat in hanc sententiam, qua non tam emendari rempublicam quam mutari Principem cupit: « Transylvania per adsitas Valachiam Moldaviamque facillimis et nullo prorsus consilio prohibendis Tartarorum inruptionibus patet. Imprimis autem versus *tres*, quae dicuntur, *Ciculorum sedes*, ubi *Boza* vocatur, tam latus aditus hiat, ut justus exercitus etiam cum impedimentis commode penetrare provinciam possit. Tartaria autem Krimnea tam prope sedet, quae sex summum dies Tartarico belli more suas in Transylvaniam catervas immittat. Praeterquamquod Tartaris campales munire vias ad agmina facienda haut sane opus: quaeque enim invia avia sunt pervia pernicissimo hosti. Neque praesidia, neque exercitus, maxime gravis armaturae, eos arcere valent, qui palantes ac turbati neque acierum ordines norunt, néque obsidionum moras patiuntur: solum guari late circumferre terrores, excurrere, diripere, incendere, devastare, et longo circumductu arces eminus, et hostium castra fallere. Transylvania in praeteriti praesentisque confinio seculi, dum eam Germani milites fortissimi tuerentur, id satis misere experta est: nam a desperatis quibusdam popularibus Tartari in auxilium vocati, caedes stragesque usquequaque et provinciae et Germanorum pari damno ediderunt. Hinc Germanus Transylvanusque uterque ab altero diffidunt: miles horum memor se popularium fidei non audet committere; provinciales metuunt ne Germana praesidia se munimentis contineant, et e turrium pinnis ignis longe lateque grassantis spectaculo delectentur. Quare nunquam Transylvania pacata egerit, nisi Tartaris Valachiae Moldaviaeque conterminis prorsus deletis, aut Turcarum sub tributi onere socia et amica sit. Hoc regnum moderatur Michael Apaffius insigni socordia Princeps, privati hominis mancipium,

Nicolai Bethlenii sententia de republica Transylvana ordinanda.

Transylvania Tartaricis inruptionibus obnoxia.

Tartariae Krimneae vicina.

Tartaricae artes belligerandi difficile caveri, difficilius vindicari.

Domesticum exemplum et recens.

Cur Germanus Transylvanusque uterque ab altero diffidens.

Qua ratione Transylvania a Tartaris tuta?

Apaffii socordia.

cui insignia regni gestat. Ejus auribus falsos rumores, insimulationes vanas; ambitiosas delationes excipit et cognoscit: unde tetris conjurationibus vexatus: togato bello complures annos exercitus; et multo magis anxius curis, quam senio et corpore aegro confectus. Hinc procerum caedes, carceres, exilia, proscriptiones; eversae leges, plebs exhausta, oppressa nobilitas, et, egente aerario, venalia omnia; paces inutiles, bella caussis simillima; legationes vel infidae, vel socordes; et crudelitati avaritiaeque reipublicae nomine imposito, cuncta paucorum potentiae servire. Reipublicae forma olim ex tribus commode mixta: penes Principem summa rei cura; apud Senatum deliberatio et auctoritas; universi populi in comitiis curiatis per *status* convocati summum imperium et majestas. Ea hodie vel monstrose confusa, vel misere distracta. Nam potentia in ordinem lecta est, et in Consilium cooptati Primores. Ita Princeps segnitia, Optimates metu, multitudo dolis habetur. Libertas suffragiorum adempta; quae eo indicuntur, ut potentiorum libidini serviatur. Etenim in iis, reipublicae Principisque salute obtenta, clari virtute viri proscribuntur; pacis tranquillitatisque nominibus inductis iniqua tributa imponuntur; quibus populus graviores sibi dominos commercantur et constabiliunt, legesque sibi ipsis exitiosas jubent. Hisque artibus quindecim abhinc perpetuis annis libertas, sine re inane nomen, per ludibrium jactatur. Optimatibus nihilo gravior auctoritas, qui discordiis laniantur, suspicionibus deterrentur, delationibus opprimuntur. Ita saepe bona consilia potentium vi cum bonorum dolore et reipublicae detrimento evertuntur. Hinc conjicere licet, quam viliter majestas apud Principem jaceat; ut mirari detur, quomodo haec respublica tamdiu steterit? Cum haec diuturna mala, tum insolens hyberuorum et grave onus Transylvania perfert uno liberae religionis solatio, quae ob publicam tranquillitatem introducta quinquaginta ab hinc annis mutua pietate toleratur ». Igitur Caraphaeum orat, «qui novellam pro-

Techelii gravis potentia.

Tatrae Oligarchiae imago in Transylvania spectata.

Reipublicae olim forma ex tribus apte commixta.

Hodie reipublicae monstrum, vel laniena.

Populi oppressa libertas.

Optimatum adflicta auctoritas.

Principis contempta majestas.

Unum malorum solatium religionis libertas.

vinciam emendandam suscipiat: nam mollissimam commodissimamque futuram spondet, modo eam humana et divina liberam agere sinat: de Republica ex aequo bono ordinanda conventum edicat: et Comitiorum habendorum rationem praescribit, qua suffragiis libertas, provisis aequalitas, rogatis sanctitas esset ».

Emendandae reipublicae ratio.

Contra Daniel Absalonius, studii in Caesarem diu satisque spectati, in sententiam maxime aversam concedere, inde exorsus (*) « non eum primum erga Caesarem suae fidei et constantiae diem: ex quo in Caraphaei venerat clientelam, per id tempus amicos inimicosque ex Germanorum utilitatibus delegisse; neque odio patriae (quippe proditores etiam iis quos anteponunt invisi sunt) verum quia Germanis Transylvanisque idem conducere existimaret. Igitur pro statuminanda salute publica, quae cum salute summae potestatis semper conjuncta est, censere: Principem in ordinem redigendum, eique in alias Caesaris ditiones permutato patrimonio commigrandum; eamque reipublicae formam omnino antiquari oportere. Hungariae namque Regibus summum in Transylvania jus esse; ideoque regni consortem aemulumque non pati. Eam in hostium limitibus sitam provinciam; et claustra Imperii per spectati obsequii magistratus tuenda: neque Transylvaniae tot potentium perduellionibus fessae aliud remedium quam si ab uno regatur. Corrupta republica ubi eliguntur reges, ibi regni complures aemulos; uno rerum potito, omnes formidare, formidarique: hinc res nusquam tutas, et omnia ad vim spectare. Principes, quae sunt regni, primum iis obsequium subjectorum redimere, quo regias firment partes; deinde suae ipsorum domui addicere, ut ulteriori potentiae provideant; privatos gentis Primores per jus injuriam parare opes, ut potentia regnum invadant: inde aerarii difficultates, hinc multitudinem

Danielis Absalonii de ordinanda republica Transylvanica sententia maxime aversa.

Purgat perfidiae suspicionem.

Suadet Principem in ordinem redigendum;

Et Principatum omnino extinguendum.

Jus Caesari fovere.

Civilem rationem id velle.

Et Transylvanica mala id remedii flagitare.

Imago liberi Principatus corrupti.

(*) Ita reperio ejus sententiae principium desumptum ex Oratione Segestis apud Corn. Tacitum, *Annal.* lib. I, cap. 58.

egentissimam; utrinque res novas, et bella difficulter administrata. His de caussis Transylvaniam praeterquam injuste; inutiliter quoque ab Hungariae compage divulsam, quacum uno spiritu regenda est. Omnia enim quae Hungariae funesta bella a Turcis inlata sunt, Transylvanis suas origines imputare et progressus; provinciam Austriae Domui infestissimam; Bathoreos Ragoctiosque Principes bellis cum Germano gestis insignes. Electionem in regnum intrusam id insolens et impacatum fecisse. Cum autem sub Hungariae sceptro per Waywodas moderabatur, non mediocriter floruisse; potentium ambitione modo turbidam, modo claram egisse sub Principatu; tandem Principes, ut regnum obtinerent, per indignum Christiana pietate facinus, Turcam in auxilium provocasse; qui libens mansuetum socii nomen sumit, ut porro saevissimum Domini ingenium prodat. Itaque hactenus Turca orienti dominabitur orbis terrarum plagae, Transylvanis Principibus augendae in occiduam potentiae tamquam instrumentis usurum. Valachiae Moldaviaeque Principes, quamquam regum mendicabula, in Turcicis partibus obfirmatissime haerere, misera dulcedine captos inter urbium rudera humilesque casas regnandi: quid de Transylvanis in his opibus, splendore et celebritate provinciae putandum, si forte eos novandarum rerum libido incesserit? Turcis enim proferendi Imperii cupiditatem bello occludi et fraenari posse; sed dolorem Hungarici Regni amissi, et odium in Christianum nomen extingui non posse: quare per fas per nefas, ubi primum detur occasio, arma resumpturos. Omnes in Hungaria, quibus Caesaris clementia indulsit, perfidiae conscientia divexari; et Techelium Constantinopoli id agere, ut a Turcis Transylvaniae regnum beneficio referat. Ob has caussas Transylvaniam, Hungariae arcem, Christianae pietatis ergo in Caesaris potestate omnino esse oportere; eamque praesentibus tamen legibus, quae opportuniori tempore rerum usui adcommodentur, in provinciae formam redigendam: re-

Transylvania omnium Hungariae malorum caput.

Austriae Domui infesta.

Transylvaniae vices.

Turcicum propagandi Imperii arcanum.

Transylvania Turcicae subservire potentiae.

Valachi Moldaviique misera regni cupiditas.

Transylvanos,

Turcas,

Perduelles Hungaros,

Techeliumque captare rerum turbandarum occasiones.

Idcirco Transylvaniam in provinciam redigendam.

Praesentibus legibus, usu olim temperandis.

vocandum antiquum morem: Praesidem mittendum, qui tribus nationibus moderetur: exterum inutilem; populares enim liberos adhuc sibi videri, cum secures et fasces videant gentilis sui ostentare majestatem: et satis contumeliose haberi reputaturos, si nascentis reipublicae regimen extero permittatur. Rodulphum Imp. Georgium Bastam Transylvaniae praeposuisse: natione indignante, inlico Stephanum Botschajum exortum, qui perduellione facta, rebusque motis, consilium disturbavit. Nam ubi subjecti feroces, et in proximo aemulus aut hostis imminet populo, qui nec totam libertatem nec totam servitutem pati potest; dandum aliquid, quo nec libera sit, nec servire videatur. Igitur populari summae rei procurationem permittendam. Ad id factum videri Michaelem Telechium, cordatum gravemque virum, legum morisque patrii prudentissimum; ingenti animo et longa magnarum rerum experientia catum senem, plurima habentem in familia matrimonii pignora, carissimos reipublicae obsides; qua spectata hactenus in Turcas fide, eadem et multo graviori sperandum in Caesarem; cujus summa auctoritas apud suos ac exteros, et senilis dignitas ac spectabilitas oris vicem Principis atque adeo praestantiam prae se ferat; ut prorsus in Vicario ipse omnino adesse ac regere videatur. Non praecipiti abruptoque gradu cuncta simul, sed omnia sensim a perniciosa libertate ad regni modestiam transformanda; adulta enim vicia tempore et mora sanari; lenibus utendum remediis; novis rebus vetusta facies relinquatur; et sub iisdem adpellationibus vim aliam supponere; jura sarta tecta servanda; legum beneficia, et potissimum de religione inrogata, protegenda. Ita faciliores ad obsequium venturos, et de barbaricis victoriis partam sibi pacatam libertatem laetos fore. Statum autem res ipsas stando probaturas».

Mittendum Praesidem: Non exterum.

Ob domesticum et grave exemplum;

Sed popularem praeficiendum.

Telechium ad id factum videri.

Ejus egregiae laudes.

Qua arte respublica ex libera in regnum transformanda.

Status stando probatur.

Caraphaeus utriusque sententiae auctores egregiae pietatis in patriam, et eximii in Caesarem studii privatim quemque laudavit: sed iis memorat, «Caesarem hac po-

Caraphaeus cum Transylvania servat Lotharingici fœderis fidem.

tissimum gloria delectari, qua foederum observantissimus habeatur: et per Lotharingiae Ducem cum Transylvanis in castris ad Palaslavam pepegisse; patri filioque Apaffiis principalem auctoritatem, populo Transylvano libertatem servandam. At enim omnia ejus reipublicae mala a Turcarum protectione provenire; apud quos, grassante avaritia, omne nefas pecunia redimitur: hinc jus sceleri dictum, astutiam pro sapientia, audaciam pro virtute, modestis ac verecundis segnis pusillique animi nomina indita. Ita domestica industria posthabita reipublicae curam in quaestum ponere: et ob id ipsum nullum disciplinis honorem, nullam fidei verecundiam; mercaturae lucra per fraudes quaesita, per vim amissa; ruris operas raras et divexatas; rudia artificia et vili in precio manus; et paucos ipsos dites largitionibus in Turcicam aulam exhaustos, multitudinem egentissimam; idque tyrannidis utile videri consilium, ut socia regna ne intus viribus valida rectorem excutiant, neve foris opibus adfines reges adliciant; et ut alibi alti et abrupti montes, alibi magna flumina, alibi immensa arenae aut maris aequora, ita quas humanus cultus nationes consociat latissima vastitate dirimantur. Nunc jam eos, Hungarico regno ferme toto reciperato, non ultra excusandos, quod sub Turcae superbo, saevo avaroque dominatu languescant: eorum rempublicam infirmam potenti alicujus imperio inniti necessum omnino esse: vicinum Caesarem, ut dignitate praestat, ita potentia et fortuna florere; ejusque regni proprias artes justitiam, liberalitatem, clementiam. — Igitur decernant, in Caesarisne, an Turcae fide esse velint: — Si in Caesaris malint, oportere ut ejurent in Turcas obsequium; in Leopoldi et Josephi Hungariae regum verba conceptissime jurent: et ad stipandam regno securitatem, ac fines Tartarorum inruptionibus obstruendos, omnino oportere ut oppida Corona, Hust, Kovar, ac praeterea Görgöni ipsaque Fogara Germanico praesidio firmentur ».

Turcarum protectio fons omnium Transylvaniae malorum.

Misera provinciae facies.

Caraphaeus edicit Transylvanis in Caesaris ne an Turcae fide esse velint.

Si in Caesaris malint,

Quae imperata facturi?

Ablegati rem ad Comitia revocant.

Ad haec ablegati respondent: « se de tantis ac tam

novis rebus decernendi nullam habere potestatem; nisi prius ad curiata regni Comitia referant, et super iis publicum consilium indicatur. Idcirco paucos dies orant, dum redeant justis mandatis instructiores ». Caraphaeus in re tam ancipiti fidere maluit, quam cavere: et ut tantae rei actae nihil quidquam vicii in omne futurum tempus objiceretur, et juxta provinciae leges ageret, et res ipsa eximiam honestatis speciem prae se ferret, *Populum Transylvanum sponte omnino sua in Conventu apud ipsum Principem habito; ad antiquum Hungariae regis obsequium rediisse;* sinit Fogarae libera haberi Comitia. In iis igitur permissa potestas ablegatis, ut apud Caraphaeum rei Transylvanicae providerent, quod aequius melius videretur.

Caraphaeus fiduciam prae se fert;

Et rem agit cum summa honestate.

Legatis publice permissa potestas.

Ubi cum his redierunt mandatis, Caraphaeus dies praestituit tres, quibus quae rogaverat praecise juberent. Telechius et reliqui omnes consentientibus studiis repromittunt. Unus omnium Nicolaus Bethlenius incredibili ardore animi intercessit. Ibi Caraphaeus per fastidium respondit « ut Transylvani libertate uterentur sua; juvasse tamen plane perspexisse, eos nulla necessitate adactos, sed ex mera libidine Turcis servire velle ». Hinc cum in Telechii tribum concessisseit, omnes Bethlenium, *ne perverso et importuno libertatis studio provinciam perditum eat, commonent commoventque.* Ita die postero ad Caraphaeum omnes unanimi redeunt obsecrantque, *ut quam ferunt aequissimam conditionem accipiat; se omnia a Caraphaeo inrogata facturos, modo Caesar populo Transylvano legum beneficia conservet.*

Ingens Caraphaei auctoritas.

Eximia rei gestae dignitas.

Igitur tribus post diebus tabulas afferunt, ubi conceptis verbis perscriptum: SENATUS POPULUSQUE TRANSYLVANUS NULLA ADACTUS VI, SED SPONTE OMNINO SUA EJURAT IN TURCAS OBSEQUIUM: ET IN LEOPOLDI CAES. ET JOSEPHI FIL. AUSTRIORUM, ET CETERORUM DEINCEPS HUNGARIAE REGUM VERBA SANCTISSIME JURAT: UT SI QUIDQUAM EORUM REGUM SEU RE, SEU CONSILIO MAJESTATEM MINUERINT, EJUS LE-

Foederis Caraphaeani formula.

GIS FRAUDEM IN SE ADMITTANT: ID UNICE ORARE, UT SUA LEGUM BENEFICIA SIBI SERVENTUR. Lectum ratumque habitum in Conventu, subscriptum signatumque a tribus nationibus, Saxonibus, Hungaris Ciculisque, in quibus universa Transylvanorum respublica continetur.

CAPUT VI.

Ex novo foedere icto in urbes Kovar, Gorgoni, Hust, Coronam Germanum praesidium inducit ad ulteriorem provinciae securitatem: Coronensium motum tranquillat: Franciscum Veteranium armorum Caesaris imperio praeponit: Valachiae Principis legationem audit.

Fogara permittitur libera Principi.

Mox immittere occipit praesidia in oppida recens conventa. Fogaram enim, quamvis depactam, Germano milite liberam sinit, ut ibi in arce non satis munita Princeps aliqua cum dignitate degat, cui quingenti omnino Transylvani milites excubant vigilantque.

Coronenses tumultum faciunt;

At Coronenses, qui in Valachiae finibus siti Tartarorum inruptionibus maxime obstare possunt, sumptis per tumultum armis, Germano praesidio portas occludunt: et moniti de eo, quod omnium ordinum consensu pro salute reipublicae gestum erat, audacter respondent, « neque Principi, neque adeo Populo Transylvano universo de Corona quidquam mutare licuisse ».

Quem Apaffius per Senatores sedare conatur.

Importuna Caraphaeo Coronensium seditio:

Sed tamen omnino coercenda.

Apaffius, ubi seditionem rescivit, Senatores aliquot eo misit, sperans bonis consiliis ad officium redituros: at seditiosa plebs nihil obtemperavit. Caraphaeus jam legiones hybernis educebat, ubi id maxime importunum, et tempore quo minime opus erat, accidisse cognovit: reputans vero arma Caesaris magnam dignitatis jacturam facere si una urbs universae provinciae decretis obstitisset; et grave imminere periculum ne reliquae regni urbes pravum exemplum sequerentur, eo libero Tar-

Digitized by Google

taris aditu relicto; cum ab oculis grave laboraret, Franciscum Veteranium cum proximis ibi legionibus et tormentis aliquot tamquam in Principis auxilium expedit, qui jam Telechium cum Transylvanis copiis ad contumaces coercendos praemiserat: jubet tamen Germanum Ducem, «ut sontes Principi puniendos permittat; ne omnium quisquam dicat, Transylvanos ulla vi quidquam adactos fecisse; et ut Princeps sumens de reis poenas, rebus ipsis pacta secum nuper verbis inita confirmaret». Ita Corona biduo pacata; aurifex seditionis primus, et aliquot ferociorum ex vilissima plebe mota capite plexi.

Mittit Veteranium, ut auxilio adsit Telechio Coronenses expugnaturo;

Et sontes Principi puniendos permittat, Et quid ita?

Corona ad officium revocata.

Erant qui eundem belli imperatorem armis Caesaris in Hungaria simul et Transylvania praeesse, et uno spiritu utrumque gubernare regnum censebant. Sed Caraphaeo inutile visum, Hungaria maxime non usquequaque pacata: — regna enim quo ampliora eo difficilius regi, et longinqua maxime: Transylvanicas leges ab Hungaricis in multis juris partibus alias: et Transylvanos ipsos, ut suum regnum Hungariae provincia numeretur, dedignari, cujus Princeps Hungariae Palatino loco cedere fastidiat. — Igitur quinque equitum legiones et justum peditatum securitati provinciae relinquit, summumque imperium Veteranio deponit, duci militiae scienti, disciplinae severo, provinciae callido, auctoritatis non spernendae, et adprime Caesaris studioso: mandatque ut provincialium studia, qualia ipse ei tradiderit, talia porro conservet; et quamprimum Karansebe potiri curet, ut Transylvania a Turcis, quam fieri possit, tuta sit.

Caeset alium in Hungaria, alium in Transylvania Caesaris arma dirigere.

Quinque equitum legiones cum justo peditatu tutelae Transylvanorum relinquit.

Franciscum Veteranium imperio praeponit.

Ejus laudes.

Mandatis instruit.

Interim in Aula amici Caraphaeum deplorabant, «in anceps incidisse malum, sive vindicet, sive ulciscatur: Transylvanos acribus libertatis stimulis incitatos, ubi frondescant saltus in quos diffugiant, Tartaris adcersitis, eum cum omnibus copiis esse perdituros. — Aemuli ridebant — catum et suspicacem belli imperatorem a Transylvanis circumductum, ut iis sua consilia atque adeo Germanam rempublicam proderet. — Ex omnibus nemo prorsus inducere animum poterat — Telechium,

Anxii amicorum de Caraphaeo metus.

Aemulorum spes.

Omnium opinio.

Digitized by Google

qui immortale odium in Austriam Domum semper exercuerat, et fecerat obnixe omnia ut ei incommodaret, gravissimasque re ipsa dederat noxas; nunc timore omni seposito, repente mutatum sua studia in Caesarem omnia animitus convertisse »: quum per C. Herbstheimium ad Caesarem mittit foederis icti tabulas, et rem, ut gessit, omnem ordine exponit.

Caraphaeus mittit ad Caesarem foederis codicillos.

Transylvaniae regnum Caesari ex foedere restitutum, cum praeclara rei gestae dignitate.

Ita Transylvania, Lotharingico inviolato, per aliud foedus denuo percussum Caesari se voluntate submisit, servata Romani Imperatoris maxima dignitate, quod ejus implorarint fidem justa nedum aequa conditione, ut sibi regni privilegia prorogaret. Caesar rem a Caraphaeo gestam accipit insperatam; ejusque ingentis meriti semper memorem fore, et honorificis testimoniis, ubi se dent occasiones, dignaturum promittit (*). Transylvanis autem rescribit « gratum adprime sibi eos fecisse, quod ultro regem justum legitimumque adgnoverint suum: contra quosvis hostes se eos omni ope protecturum promittit; ac brevi missurum cum summa rerum agendarum potestate Legatum, qui iis regni privilegia confirmet ».

Insperatum Caesari.

Valachiae Princeps ablegatum ad Caraphaeum mittit.

Interea, Corona capta, Sorbanus Cantacuzenus Valachiae Princeps per ablegatum generosae stirpis equos duos Caraphaeo dono mittit, cum humanissimis literis, laudeque refertis, quod rem Transylvanicam bene gesserat. Sed vera officii caussa fuit quod, Corona perdomita, Germanorum arma ad eum proxime admota erant. Nam antequam Transylvania ea, quam modo narravimus, ratione Caesari firmaretur, per Episcopum Nicopolitanum cum Ladislao Cziachio Haidonum duce simulaverat in Caesaris fidem venire, et Constantinum fratrem Moldaviae Principem secum in ejusdem partes tracturum; sed semper cunctabundus, dum interea Tartaros, frumento, equis pecuniaque juvaret. Nunc igitur metuens ne Caraphaeus ad adserendas bellicae aequitatis

Vera officii caussa.

(*) Ex lib. Epist. Caesaris ad Caraphaeum, ep. 115.

vindicias, vi et armis auferret ea belli subsidia, quae ultro conferre cessarat, eum sibi conciliare nitebatur. Nihilo tamen minus Caraphaeus perhumaniter Legatum habuit, et ad eum perinde respondit, ut quam posset ex eo rem faceret: ceterum nunquam utilem Germanis, nisi Themiswar caperetur, existimavit. Nam Graeca fide Princeps in universa provincia nullam habens arcem, in qua paucae Germanorum cohortes turmaeve tutae agant; imminente eius cervicibus Tartaro, qui biduo aut summum triduo cuncta igne ferroque devastet: unde Caesari eo Germanorum militum parvam manum immittere intutum; aut ingenti exercitu egentissimam provinciam obtinendam.

Caraphaeus benigne Legatum habet.

Valachi coercendi ratio.

CAPUT VII.

Lippam, Lugosium et aliquot castella capit.

Inter movenda tamen e Transylvanis castra Lippam recipiendam censuit, ut Caesar Marusio flumine compos fieret, quo Turcis in Transylvaniam aditus occluderetur, et Germanis e Transylvania Segedinum usque inoffensum pateret iter; Themiswar, et hinc Varadinum in majores redigerentur angustias; Bellogradum, atque ipsum Themiswar magis a Varadino seclusum foret. Idibus igitur aprilis eo cum justo equitatu movet; sed magnis imbribus, et inundato ex iis late agro, iter prosequi impeditus, ne militem perderet, agmen reduxit. Id tamen profuit iter, ut ei oppida dederentur, Taczatum et Zatvaranya, utrumque ab urbe Deva tres leucas dissitum, et primum in Marusii ripa fundatum. Et quamquam bonam magnamque praedam inde agere posset, praesidia tamen libera Lugosium abire, et bona sua sibi auferre permisit; rem Caesaris suis privatis rationibus habens potiorem, ut benignitas in hos usurpata ceteros facilius ad deditionem adliceret. Ita patefacta omnino via e Transylvania Lippam usque; neque ullum ulterius ad eam armis petendam obstaculum.

Lippae captae utilitates.

Anno MDCLXXXVIII. Prima expeditio inrita.

Tamen Taczatum et Zatvaranyam capit.

Hostem liberaliter habet.

Lippa exposita.

Digitized by Google

Secunda expeditio.

Non multo post, nivibus solutis, bismille peditum et quatercentum equitum Cibinio educens, et justo tormentorum numero, proficiscitur; equo et homini victum fluvio Marusio devehente. Et in agmine arx *Salmos* dicta ultra Marusium ad tormenti ictum extructa, quae praetereuntes Christianorum naves graviter infestabat, ad primum Caraphaei edictum dedita est.

Salmosium capit.

Lippam obsidet.

Lucescente XIV kal. majas die Lippam pervenit: observat urbem in Marusii margine sitam: munimenta explorat, oppugnationem designat: et qua hortorum sepes forte fortuna extenuatum militum agmen occulebat, in urbis conspectum educit: tormenta e regione disponit. Per foecialem obsessis edicit, *ne extrema bellorum expectent, et bonis aequis conditionibus urbem dedant:* quod propugnatores ferociter aspernantur. Igitur die postero murum tormentis ferit aperitque, ita ut hiatu viginti militum ordinem transversum exciperet; at arduus tamen erat enisus. Hinc scalas muro in diversa urbis parte admoveri jubet, tamquam illac oppidum adgressurus, ut eo hostes divertat: adcurrunt. Interea per hiantem murum ferme incruentus enititur in urbem Germanus miles. Coguntur hostes in arcem, quae satis munita in angulo urbis eminet, duplici claustro et undante fossa circumdata. At enim dum Caraphaeus ignitas pilas in apertum dejicit murum, ut inde hostem ignium terrore disturbet, proxima aedificia contrahunt flammas. Altrinsecus Turcae, dum se in arcem recipiunt, alia succendunt, ut corrumpant hostibus praedam. Ita perpetuam noctem conflatum incendium restingui non potuit. Die ab instituta oppugnatione quarto, aedificiis arci proximis potitus, disponit tormenta, et oppugnationem Guido Starembergio demandat; in qua insigne bellicae virtutis specimen dedit. Sub media nocte injicere ignitas pilas in arcem instituit: et tantum hominum pecudumque eo coactum, ut neque ignium vim vitare, neque propugnare arcem possent. Hinc ingens animantium strages edita: qua per lucem perculsi arcem dedunt, ea

Oppugnat.

Imperatorius astus.

Arcis descriptio.

Incendium Lippae excitatum.

Guidus Starembergius oppugnandae arci praepositus. Viri laus.

Arcis deditio.

accepta lege, ut feminae puerique liberi dimitterentur; reliqui, in quibus bismille fortium militum, omnes inconsultae ferociae captivitate puniti.

Urbem communit et praesidio firmat.

Sic Lippa capta, quae munimentis restituta, firmata praesidio liberam Marusii navigationem Germanis praebens, Transylvaniae opes bello utiles facit; Varadinum, Giulam, Jenum hostibus intercludit: et per eam victoriam belli sexto anno per campos aciesque gerendi fausta feliciaque auspicia capiuntur. De ea re per ipsum Guidum Starembergium Caesarem docet, cum viri laudatione, quae postea non fefellit, *eum habere in exercitu virum magni specimen ducis, a quo praeclarissima quaeque belli facinora expectet.*

Alia captae urbis commoda.

Sic Caraphaeus annum belli sextum auspicatur.

Caraphaei de Guido Starembergio judicium et praeclarum et verum.

Arcem Lugosium capit.

Eodem ipso die quo praesidiarius Lippae miles captivus agitur, mittit sexcentos equites in arcem *Lugos* dictam, ad Themis ripam in Transylvaniae finibus extructam, quatuor a Lippa leucas distantem; ac per duos Turcas Praefecto significat, *si extemplo arcem dedat, suam mansuetudinem experturum; sin expectet ut veniat, promiscua usurum caede.* Minis severi ducis territus Praefectus statim paruit: ac tercentum Turcae ac Rasciani liberi emissi. Relinquit ibi praesidio ad biscentum Germanos, et Hungari militis quantum satis; ut, si ususveniat, cum Lippae praesidiario milite Themiswar infestent, tueantur Marusium, prorsus ne hostis cum Varadino communicet. Ubi Caesar Lippam a Caraphaeo ita captam cognovit, id honorificum de Duce protulit testimonium: *Nihil Caraphaeo ad summi ducis gloriam deesse, quam ut ei maximae belli provinciae decernantur* (*).

Ducis auctoritas.

Arx praesidio firmata.

Quam inde ut capiat utilitatem.

Caesaris de Caraphaeo elogium.

(*) Ex libro Epistolarum Kinskii ad Caraphaeum.

CAPUT VIII.

Summus exercituum Quaestor creatur.

Rodulphus Rabatta summus exercituum Quaestor moritur.

Dum Caraphaeus Transylvaniam in Caesaris redigit ditionem, Rodulphus Rabatta, summus exercituum Quaestor, inter anxias ejus muneris curas, quod cum bonorum laude diu gesserat, supremum obiit. Quamplures praeclari armorum duces id ambire : unus Caraphaeus petere negligebat. Unde Aeneas Caprara per literas (*) ad eum urbano adludebat joco : *Eum mercatoris similem optimam mercem in armariis penitus conditam habere, nec copiam ejus facere nisi rogatum.*

Aeneae Caprarae urbanum de Caraphaeo dictum.

Gravissimum ex se summi Quaestoris munus.

Eo summa armatae reipublicae continetur.

Ejus duae partes: acris disciplinae militaris cura, et bonus aerarii usus.

Severae disciplinae bona, flagitiosae mala.

Sed enim is id declinare munus, quia onus intelligebat, a quo esset omnino opprimendus. Noverat enim « eo summam armatae reipublicae contineri ; quam in eo rerum statu haec omnino duo columina sustinent, severa militiae disciplina, et ars aerario bene utendi. Castrorum enim officiis recte factis, arctiori pietatis vinculo constringi cives, conciliari socios, adlici exteros, terreri hostes. Contra, corruptis militiae moribus, bellicam virtutem resolvi, ducum imperia negligi, licentiam armari : unde exercitus ludibrio hostibus esse, calamitatem adferre civibus, et invidiae odiique flammas conflare Principi. Haec non vitaveris, illa non assequutus fueris, nisi flagitiorum militarium poenas ad ferream regulam quam rigidissime exegeris, et habeas praemia recte factis exprompta. Principio igitur aes abunde parandum: bella enim non armis maxime, sed expensis geri, per quas efficacia arma et utilia fiunt: neque bellorum sumptibus ulla arte unquam praefinias modum. Sed et aes tempori quoque erogandum: nam omnibus publicis necessitatibus eminus occurendum ; tamen ur-

Conservatur ferreo poenarum rigore, exprompta praemiorum largitate.

Bellis auro opus.

Immensae bellorum necessitates.

Aes tempori erogandum.

Insigne inter ur-

(*) Ex lib. V Epistolarum amplissimorum virorum et summorum Principum ad Carapheum.

banas res, tolerabili accepto damno, pati moras; at hercule militares, si, quum instant, sentiantur prorsus opprimere. Et aerarii copiam et militiae disciplinam utramque alteri commodare: militem enim, justo et repraesentato stipendio contentum, facile ab alieno abstinere manum: et milite innocente, frequentari ruris opera, celebrari commercia. Et uti praesentibus gravibusque in flagitiosos exemplis editis, mali a noxa deterrentur, ita e copioso aerario amplis tutisque in promeritos stipendiis erogatis, addi bonis animos ad praeclarissima quaeque audenda; atque ad hoc instar tum paganos, tum milites sua gaudere republica, non invidere alienae. His duabus utentem regni artibus Principem armis belli et rem sibi et gloriam, ad quas ambas spectare debet, simul parare; et imperii fines non cum incerta fortuna, sed stabili felicitate proferre. Ei exercitus rebus omnibus tempori instructos agere: eaque una re omne bellorum precium fieri, et prosperas evenire expeditiones, quae vel ipso nomine flagitare videntur celeritatem. Nam in aerarii angustiis et difficultates et precia rerum intendi: contra maturando, commoditates locorum ad pugnas, opes agrorum ad vitam occupari. Quare in omni rerumpublicarum memoria res praevertendo maxima ex parte bene gestas. Ab exercitus Quaestore haec duo omnino officia praestanda: invigilare castrorum moribus, ut coerceatur licentia; tempori providere belli necessitates, ut iis mature occurratur: at poenarum arbitrium penes belli Consilium esse; vectigalia aerarii Praefecto pendi. Se prospicere e provinciis hereditariis, et praeterea Bavaris, Franconibus, Svevis, aliisque Germaniae sociis populis Hungarisque, duas et quadraginta legiones Quaestori exercitus demandandas; qui ingens copiarum numerus, ac varia et diversa nationum genera Alexandri animum, Croesi opes percellerent. At jam a secundo usque belli anno Hungariam tantis belli sumptibus imparem, et nunc eam a Caesare alia ingenti tributi parte adlevatam. Provincias autem hereditarias

banas et militares necessitates discrimen.

Aerarii copia et militiae disciplina utraque alteri commoda.

Ab utraque innocentia militis;

Unde ruris opera et commercia non impedita;

Et alacritas ad terrores;

Et sua gaudent republica cives.

Princeps in bellis ad rem una et gloriam spectare debet, ut bello partis perpetuo fruatur.

Exercitus tempori instructi utilitas in bellis maxima.

Expeditiones cur ita adpellatae?

Angusti aerarii mala.

Maturitas quid in bellis valeat?

Duo exercitus Quaestoris officia: inspicere castrorum mores; tempori providere necessitates.

Hinc muneris recte administrandi difficultates.

Immensus copiarum numerus, et ex multis et variis nationibus.

Hungaria belli sumptibus jamdiu impar.

Provinciae heredi-

tariae tribuendo aeri lassatae.

aeri contribuendo jam pridem lassas et confectas:

Victoriae infertiles.

victorias per vastas terrarum regiones proferri;

Majoribus semper copiis militandum.

et majoribus semper copiis in sequentes annos militandum. Aerarii autem fundos, Imperio prolato, non perinde ampliari: at neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine vectigalibus haberi posse.

Vectigalium necessitas.

Nunc Transylvaniae opibus exercitum instruendum:

Transylvania longinquo bello substentando minor.

sed si ultra Essechum porro ferantur arma, eam provinciam suppeditandis tam procul belli sumptibus exhauriri.

Civilium exterorumque bellorum grave ad hanc rem discrimen.

In Hungaria partium studia nondum subsedisse: et uti externis bellis, in quibus pro nominis gloria aut publicum ob praemium pugnantur, victoriae ut plurimum proeliorum exitu terminantur; ita cum civilibus armis privata odia exerceantur, victores tum vicisse putant quum funditus victos omnibus fortunis everterint.

Cur difficilius faciant munus Hungari limitum duces?

Hungaros autem apud suos limitum duces de castrensibus delictis dicere caussas:

Et maximi et magnificentissimi qui militant Principes? Et copiae sociorum?

in bello adesse Principes maximos et magnificentissimos, quos non audeas frugalitatis monere: socios e bello rem magis quam gloriam quaerere.

Cur munus odiosum?

Ad haec majores casus quoque praestandos, inundationes agrorum, frugum calamitates rubiginesque: nam data ab hostibus damna imprudentiae imputare possis. Ob haec munus administratu difficile, ob illa odiosum.

Hybernorum dispositio invidiosissima; et quid ita?

Nisi aes de aerario erogetur, summam rerum in militis salute stare, eumque quoquomodo servandum; hinc populorum incusationes: si id non omnibus suppetat, ex eo veteranum victitare necessum esse; si quis supersit, eo novum militem supplendum; hinc ducum querelas. Ipsam autem hybernorum dispositionem ex justa belli ratione quam invidiae plenissimam?

Munus ob recte facta inglorium.

Saepe parva loca multo milite ad reprimendos hostium tumultus firmanda: amplas urbes paucis numeris praebere hospitia, si praemunitas: robur exercitus in steriliori ut plurimum agro, quia in hostium limite; nequiores in pinguibus campis, quia tutis.

Obnoxium adversae famae.

Atque adeo munus, cui adversi bellorum casus palam imputantur; si ex bello recte administrato victoriae parentur,

Omnibus molestum et grave.

inglorium: omnibus molestum et grave, quod virgas

et secures ostentet, merita saepe differat aera: quod si usquam invisum, apud Caesarem maxime, clementissimum et liberalissimum Principem. Se militiae fraudes et quaestus nescium dissimulandi, exterum, et satis habere inimicorum ».

Idque adeo sub Leopoldo clementi Principe et liberali. Caraphaeus nescius dissimulandi, Exterus, inimicis onustus.

Caesar tamen ad Caraphaeum spectabat; sed haerebat, quod eum superiori Hungariae regendae adprime necessarium; ejusque provinciae adversus Techelii insultus clypeum esse intelligebat. Et aemuli id Principis judicium veris laudibus, invido tamen adfectu, confirmabant; ne vir Quaesturam referret, et procul haberetur a Caesare. Cum enim Hermannus Badensium Marchio, Consilii bellici Praeses, qui cum ipsius vi muneris, tum summi Principis amplitudine in belli rebus decernendis gravissimae fuerat auctoritatis, nuper honorificentissima legatione, in qua diu permaneret, Ratisbonam a Caesare missus esset; metuebant ne Carapheus ad Principem accedens in summum potentiae locum eniteretur. Amplissimus tamen Bonvisius Cardinalis efficacissimis urgebat officiis, ut Caesar id Caraphaeo munus demandaret; ut qui longo ejus belli usu adprime nosset per hyemes curare militem, et in aestates bella ita disponere, ut non modo sine magno intertrimento, sed ingenti cum fructu victoriae pararentur. Hinc Caesar prae ceteris Aeneam Capraram rogat, « an virum tanto muneri idoneum censeat? — qui respondit — eum unum spectatum sibi videri: etenim centum ferme virorum millia continenda in officio, et vitae ac belli necessariis instruenda inexperto committere satis periculosum: nam facile una offensione summam rem ruituram ».

Caesar de Quaestura Caraphaeo demandanda deliberat.

Aemuli mira arte opponuntur.

Bonvisius Cardinalis Caraphaeo impense studet.

Aeneae Caprarae pro Caraphaeo suffragatio.

Igitur Caesar, in hanc partem inclinans, Kinskio mandat ut tentabundus Quaesturam offerat Caraphaeo, quam in utraque Hungaria Transylvaniaque, non autem in provinciis hereditariis obeat: et eam ipsam belli Consilio, cui pro Praeside Ernestus Rudgerus Starembergius praeerat, et aerarii Praefecto Wolphango Rosembergio

Kinskius sub certis legibus Quaesturam offert Caraphaeo.

Ursino submittat: ut abdicet se legionis imperio, et pro eo Hungariae regimen sibi prorogari petat. Kinskius conditiones viro proponit, et ut suscipiat exhortatur (*): « quod eo munere viam sibi ad sanctissima Caesaris consilia muniat, quo facile porro possit ad summum Aulae fastigium pervenire ».

Et ut suscipiat exhortatur.

Carsphaeus eam repudiat.

At Caraphaeus « Quaesturam alieno arbitrio et fide administrare exterum, solum, inter tanta odia non posse retur: ne si forte adversa cadant, ab aemulis obruatur, quod in eas angustias res Caesaris redegerit, ut iniquis conditionibus pacem cum Turcis paciscatur. Et quanquam eum honoris gradum ambiret, tamen tam abjecti non esse animi ut adstrictiori, quam Rabatta, potestate fungeretur: nisi enim ex hereditariis regnis quoque tributa coegerit, de bello administrando plane diffidere. Legionem autem ex singulari Caesaris beneficio sibi, hactenus viveret, adtributam esse; et satis ipsum sibi infelicem videri, si in Quaesturae munere supremum obiret diem. Et ea lege Quaesturam initurum, ut habeat in acies et pugnas imperium: multum enim de fama sua Caesari jam indulsisse, quod ut ejus rem faceret *deses ad focum armorum imperator* ab aemulis inludatur: recens exemplum, ipsum Rabattam, qui in Strigoniensi proelio sub Bavaro Duce equitatui imperavit. Hungariae vero moderationem nedum ambire, ultro excusare; jam enim sibi molestum supra viginti annos inter infensos infestosque versatum esse. Providere suam hanc muneris declinationem grave aemulis invectivarum argumentum praebituram; sed solari recte factorum conscientia ».

Aemuli Caraphaeum in invidiam trahunt.

Ubi cognitum Caraphaeum Quaestoris munus repudiasse, inlico eum differunt aemuli, « nedum contemnere amplissimos honores a Caesare per summam largitatem oblatos, spernere quoque: scilicet audire vanas amicorum laudes, omnem Christiani nominis Imperiique

(*) Ex lib. Epistol. Kinskii ad Caraphaeum.

Romani spem in ejus prudentia et virtute sitam: et praecipuo ejus merito frangendum antiquum morem, quo exercitus Quaestura belli Consilio et aerarii Praefecto subjicitur: cum dumtaxat Quaestoris referre tempori belli necessitates, bellici Senatus decernere subsidia, ejus qui aerario praeest aes erogare jus sit. Sed enim perspicuum et palam eum adfectare potentiam, et velle suo unius arbitrio regere cuncta ».

Caprara, Kinskius et Bonvisius Caraphaeo fevent.

Hinc Caesar diu anceps agit: Caprara interea insimulata purgabat: Kinskius *Caraphaei meritum legibus eximendum* suadebat, *ne ea cunctatione tempus utendi seditione ab Turcis facta praeteriret:* Bonvisius instabat *quod Innocentius Pont. Max. omnem belli utiliter porro gerendi spem in eo viro sitam esse existimabat, et anxius agebat ne detrectaret.* Sed ubi praeter omnium spem opinionemque, aemulorum invidia devicta, Transylvaniam Caesari cum tanta utilitate dignitateque restituit, temperamentum excogitatum, ut exercitus Quaestura, belli Consilium et Praefectura aerarii unum Conlegium facerent; ut neque his quidquam detraheretur, et omnes aequa dignitate censerentur.

Egregium Innocentii Pont. Max. de Caraphaeo judicium.

Sapiens Caesaris temperamentum.

Ita sine exemplo Quaestura Caraphaeo cum facultate Caesarem recta adeundi, retento legionis imperio, et plena rerum gerendarum potestate demandatur. Amici ad eum scribunt (*), « ut munus tantis his legum beneficiis ornatum ineat, quo ejus obsequium in Principem potentiae est exaequatum. Jam palam omnibus, Caesarem tanto studio et dignitate eum prosequi, ut praeteren neminem; et protulisse honorificentissimum de eo elogium: — Talem virum praecipuum sibi esse oportere. Videat ne Princeps tantam liberalitatem pari indignatione commutet: ne aemulis eum funditus perdendi detur occasio, neque amicis ullus ei opis ferendae locus ».

Sine exemplo Quaestura Caraphaeo cum eximia dignitate demandatur.

Honorificentissimum Caesaris de Caraphaeo testimonium.

(*) Ex lib. Epistolar. Kinskii ad Caraphaeum: ex lib. V. Epistolar. amplissimorum virorum et summorum Principum ac belli Ducum ad eundem.

CAPUT IX.

Themiswariensem provinciam armis petendam censet, sed Bellogradensis decernitur.

Duplex in annum MDCLXXXVIII belligerandi ratio, quarum altera bipartita.

Ita Caraphaeus summus exercituum Quaestor creatus, longo Hungariae usu et Lippensi expeditione nuper edoctus « belli per ejus anni aestatem gerendi duplicem omnino rationem *videt:* alteram Essecho Bellogradum; alteram cis Tibiscum, aut Varadinum, aut Themiswar oppugnare ».

Bellogradensis expeditionis difficultates.

« Si Bellogradensis expeditio decernatur, inter eam urbem quidem et Essechum nullum obstare munimentum, quod eam valde diuque remoretur. Sed has aliunde rei gerendae prospectat difficultates. Savum eam urbem adluere, et Tibiscum Theminque non procul inde in Danubium immergi, qui saepe tam longe lateque agrum inundant, ut pontem Essechiensi nihilo breviorem producere necesse sit. Omnino igitur providendum ne Christiani milites, inter aquarum incerta trepidantes, aut alveorum haerentes coeno, Turcis de superiori riparum loco commode deturbantibus, ad certissimum exitium objiciantur. Quare pontem faciendum ut Savus ipse trajiciatur: si prope Bellogradum, facile hostes opus prohibituros; sin superius paullo, qua copiae ad eam urbem porro circumducantur, Turcas ibi armamentarium, et penus condidisse, unde in omnes Hungariae urbes belli et vitae utilia depromunt: belli rationem suadere hostibus, ut ibi castris praesideant; quod si mature effecerint, tota ibi belli mole Christianis pugnandum, et tamen incerto eventu. Et ut inde Turcae exturbentur, ac feliciter Bellogradum perveniatur, aestiva in agro habenda ab hostibus radicitus devastato; commeatus per unum et alterum pontem trajiciendos, qui, inundante flumine, facile abrumpi possint: et ancipitem belli administrationem duobus pontibus receptui providere; at-

que extenuato agmine commeare impedimenta, quae per terrestre longumque iter essent cum ingenti et difficultate et sumptu convehenda.

Varadiniensis provinciae molimina.

« Si Varadinum oppugnatum eant, quanquam in finibus ad manus prompta omnia belli instrumenta, tamen id esse munimentum omnium Hungariae praestantissimum, et post quam Transylvania in Caesaris ditionem redacta est, numeroso ac praeferoci praesidio firmatum, et omnibus ad acrem longamque obsidionem sustentandam instructum: quare eo totis belli viribus esset incumbendum. At necesse ultra Danubium valida castra habere posita, ut ejus longe lateque patens ager obtineatur, et hostibus Dravi trajiciendi adimatur facultas, ne libera ad Essechum inferant arma; Sigetum et Canissam stativis liberent; et forsan in Stiriam usque inruant: nam raro ibi Germano militi laboranti e tam longinquo ferme desperatum auxilium.

Themiswariensis incepti utilitates.

« Utilius videri, Themiswar adgredi, non satis munitam urbem, et arcem prae illa Varadini infirmiorem. Ita facilius Transylvanos e proximo regi; Tartaros coerceri; Valachum cingi, ut opem in belli necessitates sive ultro, sive coactus conferat; superiorem Hungariam custodiri; Varadini praesidium intercludi; ac si porro oppugnare placeat, facilius capi posse. Jam, Lippa capta, Marusium fluere Caesari, eique belli commeatus et cito et tuto devehere. Si ita Caesari videatur, decernat ut Heislerius ab Hungaria, ipse e Transylvania Lippam conferant arma, ibique ipse exercitum recenseat: nam ubi ad Themiswar universus consederit, nullo negocio Titul non longe positum, aliqua copiarum parte inde deducta, captum iri: et ita Tibiscum omni, quae fluit, tractu liberum fore. Reliquum Caesaris copiarum in inferiore Hungaria hereditariisque regnis dispositum Segedini cogendum; et pontibus duobus, altero super Danubio Essechum versus, altero super Tibisco ad Segedinum, exprompto agant auxilio, sive id Themiswar, sive Essechum expostulet; et in omnes adversae fortunae

casus universae Christianae vires in utraque provincia per Segedinenses pontes ultro citroque communicent. Intra nonas junias obsidionem institui posse; Turcas Constantinopoli turbantes non ante kal. augusti copias in proelia educturos; ipsosque prohibitos Themiswar auxilio levare; nam pons eis super Danubio vetaretur. Instituta expeditione Techelium Bellogradum abigi, metu ne a Germanis intercludatur; eoque pacto ab tota superiore Hungaria exterminari; et facultatem integram Caesari, post Themiswar captum, Bellogradum adgredi, cum Themiswariensis oppugnatio non ultra dies constet: Bellogradum in proximo; ejus praesidii magnam partem Sophiam versus contra Gengienem Pasam eductam, ut eum quoquo modo debellent, ne forte cum Christianis conjungat vires; oppidum ambitu vastum et male munitum: si quam celerrime agmen ad Danubii ripas corripiatur, et cum alio exercitu, in Slavonia merente, per interjectum pontem societur, sero hoste et infirmo, quam mature Savum trajecerint, tam facile potituros. Confert in hunc exitum orationem, se haec censere insolentem dubia pro certis obdere; ne, si e sententia non successerit, sibi auctoritas minuatur».

Caraphaei gravitas.

Bellogradensis provincia decernitur, et quas ob utilitates.

Tamen Caesari immotum stetit Bellogradum oppugnare, ob ingentem ejus urbis utilitatem: nam ad sinistram Danubio, dextra non procul inaccessis montium jugis clauditur; quibus faucibus obseratis, omnis quam latissimus ager a tergo rei bene gestae fructus esset; et uno praesidio omnia hactenus bello parata protegerentur: et ubi ei oppido ingens hostium exercitus praesideret, sine noxa id omitteretur inceptum, et Bozinae regnum invaderetur; ubi quamplurimi Christiani, ut Turcicum excutiant jugum, arma Caesari caperent, et Arzigovinae latissimus ager, et post Aegyptum uberrimus, in hybernis suum militem sustentaret: in eo agmine Themiswar oppugnari, et Varadinum incendi posse.

Digitized by Google

CAPUT X.

Ad Bellogradensem expeditionem proficiscitur, ut cum Aenea Caprara sub Maximiliano Emmanuele Bavariae Duce rem gerat: in agmine Titul capit: exercitum Transylvanico commeatu reficit: Christianorum Bellogradensium legatos audit: Bavari et Lotharingii dissidia componit.

Ubi Caesar hanc belli ea aestate gerendi rationem destinavit, Caraphaeus inlico ad expediendum agmen adplicuit. Eique Transylvani ad impedimenta tam longo itinere devehenda mille bovum largi lubentesque dant dono; sed is frugali generositate solum eorum accipit usum. Jamque, ut memoravimus, moverat castra, quum aliquot dies eum remorata est Coronensium seditio; qui ad officium omnino revocandi erant, cum ob quas supra tradidimus caussas, tum quod tam procul exercitus duceretur; quamobrem Transylvaniam nedum oportebat, sed necesse erat relinquere usquequaque pacatam. Sed enim moras expeditioni adtulere partim de demandanda exercituum Quaestura lenta et diu vexata deliberatio; partim anni natura ad imbres continenter gignendos comparata. Unde commodum fuit Primo Vezirio periculis, quae Turcicae reipublicae et ingentia et certa imminebant, occurrere; praevalido urbem Bellogradum praesidio firmare, Osmane Gengiene ei urbi ferre subsidia e campis jusso; a quo, summi armorum ducis imperio contra hostes delato, seditionis tranquillationem redemerat. Ita temporis utilitates et plurimae et maximae perierunt. At hercule arduam eam effecit provinciam morbus, in quem satis incommode inciderat Lotharingius, qui sua spectatissima auctoritate rem gereret.

Igitur Dux Bavarorum, Princeps bellicae gloriae flagrantissimus, cum intelligeret id belli facinus omnium, quotquot unquam eo bello erant edita, praestantissimum;

A Transylvanis mille boves Caraphaeo dono dati. Sed is eorum accipit solum usum.

Caussae cur Caraphaeus non prius Transylvania egreditur, quam pacata Corona.

Cur expeditio Bellogradensis tardior?

Unde facta impeditior?

Osmanes Gengienes civilia arma vertit in Christianos.

Lotharingius in morbum incidit.

Bavarus patit Bellogradensem provinciam omnium hoc bello praestantissimam.

Bellogradum olim Hungariae Palladium

Bellogradum caput praecipua Soleymanis victoria.

nam id oppidum erat olim veluti Hungariae Palladium (signa enim et vexilla, ab Amurathis usque ad Soleymanis tempestatem Turcis erepta, ibi ab Hungaris regibus adservabantur) et qui de ea urbe victoriam retulisset magno Soleymani hostimentum faceret: ut enim ille postquam eam urbem, quae non solum Hungariae sed est totius orbis Christiani propugnaculum, cepit; sibi suisque successoribus ad proferendum longe lateque in occiduam plagam imperium regiam viam munivit; ita, eadem urbe recepta, Caesari Constantinopolim facillimam occupatu patere, cum nulla post Bellogradum sit urbs munita, quae ejus victoriae usum praepediat; et sede Imperii capta, unde in reliqua Europae regna auctoritas viresque intenduntur, non plurium seculorum decursu, sed brevi unius atque alterius anni curriculo hac orbis terrarum parte felicissime exuat. His de caussis studio ejus gerendi belli inflammatus, jam inde quum Munachii erat, per Theodorum Strattmannium a Caesare eam provinciam petiit: quam ei Caesar tum amplitudine viri Principis, qui tanto armorum imperio cum summa dignitate fungeretur, tum ejus in Augustam Domum egregiis et constantibus meritis commotus, decrevit; Aeneam Capraram ejus Legatum creavit; et Caraphaeum jussit ut in inferiorem Hungariam maturans, Quaesturae munus capesseret; et cum Caprara tanti Principis viri gloriae inserviret in ea armis gerenda provincia, in qua omnis rei Christianae fortuna in utrumque momentum stabat.

Totius orbis Christiani propugnaculum;

Et veluti Constantinopolis porta.

Caesar provinciam Bavaro demandat.

Aeneam Capraram belli legatum creat.

Et Caraphaeum jubet ut cum Caprara Bavari gloriae subserviat.

Alba-Regalis jam ante receperata.

Jamque in ea Hungariae parte res prospere geri occepta Albae-Regalis deditione. Etenim ab anno usque superiore, quum Ciokakum et Palota receptae, commodum visum urbem, in earum arcium conspectu sitam, stativis circumsidere: tandem, Agria Mungactioque deditis, in generosis Germanorum animis gloriae aemulatio virtutem exacuit, quod Caraphaeus munitissima oppida duo, captu ardua ac difficillima, et tam longinqua, per hyemis saevitiam, parva militum manu cepisset; ipsi autem Albam-Regalem, Sigetum et Canissam,

Ex generosa aliorum Ducum cum Caraphaeo aemulatione.

Turcarum contra Viennam propugnacula, adhuc in hostium ditione esse sinerent; et agrum omnem, Danubium inter et Dravum situm, eorum praesidiariorum infestis excursibus incultum squalere perpeterentur. Igitur Albam-Regalem, urbem Budae dignitate secundam, ubi Hungariae regum sepulchretum erat, et eorundem Acta adservabantur, oppugnant; et vi idus majas, iisdem quibus Agria conditionibus deditam, recipiunt: Canissam autem et Sigetum acrius circumsidunt.

Iisdem conditionibus deditur, quibus Agria Caraphaeo.

Sed mox Caprara multa fecit, multa tulit in traducendo Dravum exercitu: nam anni tempore hyemem perpetuam referente, multa imbrium vi, et fluminis inundatione omnia alte lateque medio junio mense stagnabant. In Danubii tamen ripa Illochum et Peter-Varadinum capit; primum utile, secundum necessarium et ipsius munimenti praestantia, et quia commeatum in superiorem Hungariam praebebat: in qua Caraphaeus agmen ductans Titul cepit, quod unum oppidum Turcis superstabat ad dexteram Tibisci ripam, ante quam in Danubii fluentam nomenque decurrat.

Caprarae in trajiciendo Dravo aerumnas.

Illochum et Peter-Varadinum capit.

Caraphaeus in agmine capit Titul.

Sed ut Segedinum pervenit, iterum ab oculis graviter aegrotare, quibus ab udo Hungariae caelo saepissime laborabat. Desiderabatur autem in exercitu ut sua quoque auctoritate militum animos erigeret, Lotharingii morbo perculsos, neque dum Bavari praesentia firmatos. Quod Caesar ut rescivit, ob Caraphaei salutem palam vota concepit; et exaudita: nam brevi convaluit, et Peter-Varadino Caprarae conjungitur: ac Titulii capti fama, et stipendio de Transylvania opportune soluto, et commeatu curribus quingentis devecto, in praesens reficit, et ad posteros labores confirmat.

Segedini ab oculis aegrotat.

Desideratur in castris.

Caesar vota concipit pro Caraphaeo.

Commeatu Transylvanico exercitum reficit.

Mox audit Christianorum legatos Bellogrado missos, qui orabant, *ut se mature e Turcico jugo liberatum veniret.* Dux *laudat eorum studia, in quorum praemium, prospere cadentibus rebus, eorum bona et ante parta, et quae in ea expugnatione quaesierint, intacta iis fore* pollicetur: quae res postea dedit ut,

Audit Christianorum Bellogradensium legatos.

adpetentibus Bellogradum Christianis, Turcae popularium animis diffisi extemplo suburbia et castra ad urbem posita incenderint.

Bavarus ad exercitum adest.

Tandem IV idus augusti Bavarus ad exercitum, quadraginta fortium Germanorum millibus et quamplurimis Hungarorum copiis florentem, advenit. Tentat per insulam, *Zingarim* dictam, Savum trajicere, qua in re totum ejus incoepti molimen. Turcae, ut persentiscunt, eam fortiter occupant. Igitur Bavarus per iter ad ripam consitis arboribus densum infra vestigabundus pergit; et ad duas ferme horas commodum amnem invenit, ubi angustior fluit. Nocte silenti eo deferri naves jubet: sed dum in flumen deducebantur, ad sonitum Turcae veriti quod res erat, ad alteram adcurrunt ripam, caecisque telis infestant trajectum. Glandium sibilis nautae, nocturnis insuper umbris intendentibus metum, perterriti ad ripam rursus adpellunt, naves deserunt, et inter proxima dumeta occultantur. Non hortatus, non minae proficere; et tamen in paucis ejus noctis horis omne rei bene gestae precium situm erat. Igitur Dux binos aureos numos in audentes edicit; cum cuique degeneri peccatum ipsa nox ignovisset. Statim recurrere ad transtra, complere milite naves, impellere alacri animo remos. Techelius cum duodecim equitum millibus, et ingentibus Tartarorum catervis duabus, et perduellibus Hungaris, Germanos ad alteram ripam adpropinquantes tormentis arcere obnitebatur. Sed hi navium ordinibus in medio flumine confertis, et quo propius accederent majori copia in hostes ignita tela conjicientes, eos tandem ab ea ripae parte disturbarunt, ubi ad diluculum usque quinque Germanorum millia expositi.

Omne belli punctum in Savi trajectu

Turcae impediunt;

Obturbant;

Deterrent.

Magnanimitas Bavari virtutem addit Christianis.

Techelius justo exercitu arcere conatur:

Sed nequidquam.

Osmanis errores.

Ubi inlucescente die Osmanes Germanum trajectum jam castra munire conspexit, fremere quod tam insperata occasione abusus fuerit, qua Christianum exercitum in alto gurgite turbantem omnem prorsus delere speraverat: et tamen denuo Techelium mittit cum sex peditum equitumque millibus, ut castrorum latus, quod

Techelium contra Christianos trajectos immittit.

non omnino Germani aggere et vallo munierant, adgrederetur. Sed in aequo majori virtute repulsus perduellis; qui ausus erat tanti exercitus robori, sub tali duce obstare atque officere: quando rebellantium ea propria pugnandi ratio est, discrimina semper ac detur locus fuga declinare, et duntaxat circumventos, desperatione simulante virtutem, fortiter agere. Inlico Bavarus pontem e navibus faciundum imperat, eodemque die effectum reliquae copiae libere ocioseque sequenti nocte superarunt.

Tecbelii audacia Germani virtute repulsa.

Quae perduellium pugnandi ratio?

Reliquae copiae eodem die per pontem trajectae.

VI Idus augusti Bellogradum castra movit, quam super Tauruni ruinis conditam Albam-Graecam dixere. Ea in Hungariae finibus sedet, Serviaeque angulo, quem Danubius Savusque describunt, ubi ille hujus tum aquas tum nomen absorbet: et hinc iis fluminibus, hinc procul continuo inaccessorum montium jugo fauces custodit, e quibus Turcicae vires in Hungariam universam evomuntur. Suburbia fertilium agrorum conspectu amoena; urbs magna ex parte adluitur Savo, et in edito arx munita mediae imminet urbi. Non procul inde castra communitissima, et ad bellum Hungaricum gerendum instructissima posita.

Bellogradi imago.

Sed ubi exercitus Christianus urbem conspexit, extemplo vidit eam magno tetroque incendio conflagrare. Nam Osmanes, Christianorum animis diffisus, metuit urbem e castris ejus praesidio positis propugnare; quamobrem et castra et suburbia incendi jussit, cum ingenti Christianorum clade; tria insuper Janicsarorum millia praesidio urbi imposuit; Mehmedi Pasae propugnationem permittit; se ab apertis campis auxilium iis facilius commodiusque adlaturum pollicetur. Non enim arbitrabatur ullo pacto Germanum eam urbem et sua vi munitissimam et forti milite abunde firmatam circumsidere diu posse, omni circum agro late vastato, et de adlatis procul commeatibus misere victitantem. Sed et exercitui jam Caraphaei providentia cibi pabulique multum erat; et fors praeterea tulit ut, dum castra festinanter incenderet,

Osmanes castra Turcica et suburbia Bellogradensia incendit.

Validum Bellogradi praesidium relinquit.

Mehmedem Pasam propugnationi proponit; ipse in campis rem gesturus.

Digitized by Google

ingentem frugum copiam ibi conditam hosti intactam reliquerit.

Ubi tam trepidas Turcarum res Eugenius Princeps a Sabaudia, ad explorandum incendium missus, renunciat; accedit Bavarus, observat urbem; ab Savo Danubium usque circumvallat; et ab leva, qua ad castra spectabat, statuit oppugnare; ubi octo ingentes turres, quarum sex rotundae, duae quadratae, id urbis muniunt latus. Improbo labore aggeres educti, aperti cuniculi, extructi tumuli, ubi tormenta locanda: quae quia de Buda cunctantius mittebantur, Caraphaeus aere dato misit qui citius devehierent. Interea ter obsessi ferociter, ut opera disturbent, erumpunt; ter ferociter ab obsidentibus repulsi sunt.

Bavarus urbem circumvallat.

Et opera oppugnationis instituit.

Caraphaeus tormenta de Buda devehenda maturat.

Et additur Christianis animus, per tentoria divulgato, « Osmanem Semendriam ad dexteram Danubii ripam, triginta passuum millia Bellogrado dissitam, incendisse, et abduxisse praesidium: Veteranium autem Caransebe sine omni vi inlata ex Caraphaei praescripto potitum ». Unde conjectum non temere « Turcas ubique perculsos de Bellogradi salute cogitare non posse ». At alii, magis ex similitudine veri, quam ex re ipsa, putare « Osmanem Primo Vezirio de Bellogradi propugnatione ea quae praestanda erant pollicitum, cum hostium virtutem opinione longe majorem in Savi trajectu spectasset, metu ne meritas vani ingenii lueret poenas, Nissa Sophiam versus profectum esse, ut aliam Constantinopoli nunc faciat seditionem ». Tandem devecta tormenta, et contra unam quadratarum turrium, quam descripsimus, contraque adstructas hinc atque hinc loricas sunt conlocata.

Semendria incensa ab Osmane.

Caransebe Veteranio ultro dedita.

Res Turcarum perculsae.

Verisimilis conjectura, sed falsa comperta,

Osmanem iterum seditionem coeptare.

Oppugnatio instituta.

Quum dissidii initium extitit, quod nisi Caraphaeus composuisset, rem certe Christianam perdidisset universam. Jam Lotharingius dubio diuturnoque convaluerat morbo, et Bellogradum versus instituerat iter, ut ei provinciae summus armorum Caesaris legatus moderaretur. Bavarus id nullo omnino pacto pati obfirmatus:

Dissidii initium inter Bavarum et Lotharingium Duces.

Lotharingius Bellogradum iter facit.

adferebat enim « supremum in eam aestatem belli arbitrium sibi a Caesare esse permissum: jam in Europae Asiaeque conspectu Bellogradi obsidium instituisse; nominis jacturam nullis postea gloriae argumentis reparandam facturum, si genus humanum pervadat de se opinio, id incoeptum suo ductu suoque imperio effectum dare nequivisse. At Lotharingium tot tantisque rebus praeclare gestis maximi armorum imperatoris famam comparasse; ut si multum de ea alteri concedat, tamen sat abunde ei ad amplissimi nominis aeternitatem superesse: et promerere suam socii fidem, qui in eo bello ingentem auri vim profudit, et suis haut spernendis auxiliis Caesarem per omne id belli tempus perpetuo constanterque juvavit, uti nunc sibi quoque Augustae Domus adfini hunc Caesar commodet locum gloriae comparandae ».

Bavarus eum accedere Bellogradum non patitur.

Caraphaeus *munificentia Principis, sociali fide et Generi pietate summis laudibus exornata*, monebat tamen « turpe esse quemvis honesto loco natum, nedum Lotharingium, castris prohibere; aut uti assiduum merere Ducem, et Principis viri dignitate, et summi armorum Imperii legati amplitudine, et rerum bello gestarum gloria nostrae omnique futurorum memoriae praestantissimum ». Nihilomagis Bavarus his dictis quidquam de sententia dimoveri: quin gloriae stimulis incitatus eo decurrebat « ut si Lotharingius ad eam imperandam oppugnationem accederet, se inlico sua abducturum auxilia, iturumque obviam, eumque ad singulare certamen provocaturum, in quo de ea contumelia armorum judicio redderet sibi rationem ». In tam praecipiti abruptoque res Christiana stabat loco.

Caraphaeus flectere Bavarum conatur, sed nequidquam.

Res Christiana universa in praecipiti.

Forte fortuna evenit interea quod Caesar Bavaro mandat « ut, ubi usus sit, ad se evocet sex Germanorum millia, quibus Ludovicus Badensis cum Croatis in Slavonia rem gerebat, et capto Bellogrado cum iis copiis ad occupandam Bozinam mittat ». Hinc Bavarus argumentum sumit ut Lotharingius eam suscipiat provinciam. Caraphaeus probavit consilium « sed parvum exercitum,

Casus temperamenti capiendi oblatus.

Caraphaeus pro Lo-

tharingii dignitate agit.

quem summus armorum Caesaris legatus pro dignitate ductaret, eum esse censebat». Igitur rogabat «quando staret sententia, uti ei sex legiones de castris Bellogradensibus adderet». Bavarus principio non auscultare: tandem Caraphaei precibus fatigatus in id convenit, *modo Lotharingius Bellogrado procul abeat, ut omnem a se opinionem amoveat, eum obsidioni moderari.* Id maluit Caraphaeus, ne si prope Bellogradum Lotharingius rem gereret, aliqua belli forte existente necessitate, Bavarus aliam, mox aliam ab eo legionem praesidio subsidiove evocaret, et eo pacto dissidii caussae integrascerent. Sed summe anxius agebat an Caesar rem probaret, an Lotharingius assentiretur. Interea is jam ad Bellogradi castra adpropinquabat; quum ei Caraphaeus per officii speciem, sed magis rei ipsius caussa fit obviam, ac perturbati similis «in summo, inquit, rei Christianae discrimine de tua aequitate aliquid, Dux inclyte, spopondi; et multum de Caesaris jure adtrectavi. Nisi ignoscâtis factum, non queror sane quas nimiae pietatis dedero poenas, subeundo Leopoldi offensiones, et tuas: sed ipsius rei Christianae exitium perhorresco. Dux Bavarus Bellogradum suo ductu imperioque expugnare flagrantissime cupit: potens Germaniae Princeps, sociorum omnium liberalitate, fide, constantia facile primus, magno animo juvenis, et vehementer insistens semel deliberatis. Dignitatis tuae apud eum partes egi: sed is te rerum bello gestarum gloria ita abundare ait, ut commode hac sibi concedere possis. Vide, obsecro, in quam discriminoso sit res sita loco. Id hostes optarunt, ut suae turbae in Christianos reciderent: jam voti bona ex parte damnati sunt, cum jam apud eos militares tumultus consederint: et misera sane rerum conversio fieret, si quas victorias ob Turcici exercitus seditionem nos de hostibus referre oportuerat, nunc ii ob ducum Christianorum certamina de nobis reportarent. Quod si, avertat Deus omen, acciderit: quem ultro semper ambivit honos, tuae gloriae invidi te carpserint invidum

Bavarus de gloria impense solicitus.

Caraphaeus eam Bavari anxietatem promovens alias dissidii caussas praecidit.

Caraphaei ad Lotharingium oratio.

alienae. Jam innumerae et maximae et munitissimae hoc bello a te oppugnatae captaeque urbes: passim in Hungaria de ingentibus Turcarum exercitibus fusis, fugatis, caesis profligatisque statuta tropaea. Parce huic triumpho; ut omnis temporum posteritas praedicet, Lotharingium pietate et magnitudine animi victorias aliis summis belli ducibus parandas lubentem permisisse, qui ab eo multum imperatoriae artis didicerant, et id adfectarunt ut quondam ejus similes essent ».

Lotharingius et Bavarus conciliati.

Dux alto animo et Septemviri desiderio morem gessit, et Caraphaei consilium laudavit. Hinc pergit ad castra. Bavarus ei fit obviam: hinc ducit, ut castra quemadmodum munita ac disposita, tormenta locata, apertos cuniculos, aliaque opera visat; quae cuncta arte effecta probavit. Mox ad prandium invitat: et inter dapes evocantur equitum legiones sex, quas sub imperium accipit; inde proficiscitur, ut procul hostes observet, et id obsidium protegat; exercitusque universus venientem, super poculis, et abeuntem armorum fragore salutavit.

Oppugnationis progressus.

Et jam tandem crebris densisque tormentorum ictibus turris diruta: et hinc atque hinc late perruptus murus, et cuniculo succensum id muri latus ampliter patefactum.

C. Serenius adgrediendae urbi praepositus.

Hinc Bavarus urbem adgrediendam C. Serenio demandat; quocum uno Caraphaeus semper contubernium agitavit; ut jam sub *fratris* praescriptione ad eum literas scriberet: bis mille fortiorum militum ad impressionem faciendam deligit; et ut obsessos distrahat, alios qua urbs terram spectat, alios qua fluminibus lambitur navibus impositos jubet obsessis impetus simulacrum offerre. Alacriter primi conantur enisum: a propugnatoribus vulnera spissa ingruunt, frequentesque caedes. Sed ab dextera C. Auspergius gravi vulnere invalidus, C. Scharffembergius et Emmanuel Frustembergius occubuere. Tantorum casibus virorum miles incipit trepidare.

Impetus in urbem faciendi ratio.

Clarorum virorum funera.

Rerum difficultas.

Ibi dux mira animi corporisque praesentia suis audaciae, terrori hostibus adest, uno proclamans atque altero, « Commilitones, quem enitamini, gradu omnis Christiani

Bavari Ducis praeclara virtus; Voce,

nominis gloria, Turcarumque excidium definitur. In hoc superato muro terminus alte defixus haeret, quo omnia hoc bello parta firmantur. Heic Constantinopolis portae patent; nec ulla reliqua belli aerumna perferenda: heic opulentissima Turcarum regia expugnatur. Juvet meminisse Viennae obsessae, et graviora quae invicta virtute superastis: atque innumeris maximisque victoriis, quas de hostibus per inexpugnabiles captas urbes, per ingentes editas clades retulistis, nunc, perpetua an fluxa sint tanta bona parta, decernitur ».

Et exemplo spectata.

Quibus magno animo dictis, suoque magis exemplo tantos jam cedentibus animos addidit, ut jam muro per summam virtutem potiti sint. Jamque ad caedes praedamque celerabant gradum, quum profunda post murum objecta nec opinantibus fossa, alius agger, aliud vallum praesumptae victoriae intemperantiam compescuit. Hinc super muri ruinis alia muniunt castra, hostibus graviter infestantibus opus.

Nova militi objecta aerumna.

Egregiae Bavari Ducis artes. Urbs capitur.

Dux inlico integros fessis submittit, qui irarum impetu fossam transiliunt: vallum subeunt, superant, tenent, per urbem diruunt, et quantum de victis licuit, tantum audent. Arx, effuso per captam urbem praesidio, cum trecentis militibus extemplo ea lege dedita, ut iis et Mehmedi Pasae vita captivitate constaret. Ita VIII idus septembris praeclara urbs, quae a Soleymane ac successoribus Turcarum Dominis octo et sexaginta supra centum annos ad proferendum in occidentem plagam Imperium patuit, nunc Caesari vere Augusto ad Constantinopolim capiendam regiam viam munit, cum nullum interea munitum oppidum obstet quin ea Turcici Imperii sede potiatur.

Arx deditur.

Incomparabilis victoriae dignitas utilitasque.

Ut victoria utendum Caraphaeo videtur.

Capto Bellogrado, ita Caraphaeo ea victoria per tempus utendum videbatur: *quando jam Semendria recepta erat, Themiswar armis adgredi, et omnia quae Turcis in Valachia praestant munimenta, occupare.* Nam de Bozina invadenda alienum omnino tempus censebat. « Quamquam enim ea regio antiquitus tantae esset in

Bozinae expeditio importuna.

ea orbis terrarum parte praestantiae, ut ejus potentes Illyrici reges appellarentur; et in ea feracissimus Arzigovinae ager, a quo postea Bozinae reges regno indidere nomen: tamen claustro locorum praecipuus olim fuit Turcas inter et Hungaros limes. Nam inter excelsa montium cacumina situm regnum, et per amfractuosas arctissimasque alpium fauces sine tormentis, sine commeatibus penetrandum; ubi cum nullum sit munimentum, castra super rigentibus montium metanda jugis. Gens vero mollissime tractanda, ne durius habita alio convertatur, unde leviora onera ferat. Itaque Germanis copiis inter abruptarum alpium horrenda; et ex gentis pudore praecariam animam sub rigente caelo ducere satis periculosum esse » sentiebat. Sed per suetas deliberandi moras, jam adpetente autumno, Themiswar quoque, inter paludum stagnantia situm, jam invadendi tempus praeteriit.

Bozinae Principes Illyrici Reges dicti, et reges Arzigovinae appellati.

Bozina finis olim Turcici Imperii: Difficilis aditu,

Immunita.

Expeditionis pericula.

Cunctando victoriae subducta utilitas

Igitur Caraphaeus Bellogradum pro re et tempore communiri curat; et Semendriae, hosti omnium proximae urbi, bis equitum millia praesidere jubet: qui secundo Danubio eam provinciam infestent, universae Bulgariae tributa imponant, hostium explorent conatus, eosque in Bozinam commeare prohibeant.

Caraphaeus Bellogradum, ut licet, munit.

Semendriam valido praesidio firmat, et quem in usum?

DE REBUS GESTIS
ANTONII CARAPHAEI
LIBER QUARTUS

CAPUT I.

Turcis de pace legatis ad Bellogradum admissis, a Caesare evocatur.

Postero die quo Bellogradum captum, dum supplicationes Summo Numini de relata victoria habebantur, Suffichiar Effendis cum collega uno, et Alexandro Maurocordato ac Thoma Tarsia interpretibus additis, ad Bavarum a Turcico Senatu legati advenere de pace, ut praedicabant, Viennam transituri. Nam Soleymanes, omnem vitam patriae legis morisque eruditioni abditus, mansuetum potius animum quam bellicosum formarat; idque adeo bellum jure improbatum aversabatur, et ad pacem lubens spectabat; sed deliberabat de ejus petendae dignitate. Turcae Patres hunc honestum excogitarunt colorem, ut *ad Christianorum Imperatorem Legatos mitteret cum literis, queis eum certiorem faceret, se rerum potitum ingenio a bello ad pacem proclivi: et in eandem sententiam alias Polono Venetoque dandas committeret.*

Turcae de pace legati. Interpretes legationis.

Soleymanes Imperator Turcarum pacifico ingenio.

Legationis color.

Osmanes Gengienes commodum ratus ea uti opportunitate, ut legati Bellogradum, antequam caperetur, pervenirent, et, pacis mentione per Christianum exercitum divulgata, avidos ejus victoriae retunderent animos, Nissa, per Turcarum Imperatoris viatorem, quem *Chiausium* appellant, ad Bavarum Ducem scribit: « ab suo

Osmaois Gengienis consilium.

De adventantibus legatis Bavarum certiorem facit.

Turcarum Domino legatos literas gravissimis de rebus scriptas ad Germanorum Imperatorem adferre: quare Dux eos fido satellitio stipatos ad se venire patiatur: sinatque porro Viennam tuto et libere commeare ».

Bavarus ea de re consulit Caraphaeum: qui, quamquam conjiceret legatos aut vana aut injusta de pacis negocio adportaturos, censet tamen admitti oportere, *quando is omnem ejus rei habeat potestatem: ne qua forte invidia existat, Caesarem communis sortis oblitum proferendi Imperii cupiditate transversum agi.* At veritus ne hostes hostium res consiliaque explorarent, utile rebatur, *ut eos super ponte infra Bellogradum facto a castris procul audiret.* Et jam Bavarus, eam sententiam amplexus, Osmani rescripsit: ut trecentis Croatis militibus stipati Semendria ad se accederent.

Bavarus consulit ea de re Caraphaeum, qui censet admitti;

Sed Bellogrado procul.

Sed capto interea Bellogrado, Caraphaeus ejusdem utilitatis suasu consilium, quod primum intenderat, in contrarium vertit; et auctor Bavaro est *ut captam ineant urbem, et florentem recenti ingentique victoria Christianum exercitum, fulgentes Caesaris imagines Bellogradi muris arcique praefixas, et saeva excidia miserasque clades suorum spectent.* Alto animo Effendis victoris exercitus ora vultusque substinuit; et aequa pietate gentilium suorum cadavera aut vulneribus confossa, aut caedibus deartuata contuens, in vocem utroque adfectu tinctam erupit: « Non Christianorum virtus, sed nostra flagitia haec tanta nobis dant mala ».

At capto jam Bellogrado mutat sententiam, censetque ut in urbe capta excipiantur.

Erectus Barbari legati animus.

Caraphaeus eos ad Bavarum in praetorium ducit, ubi omnes belli subsummi aderant duces. Ii, non ultra verborum officia transgressi, caussam cur legati venirent omnino tacuere. Dux eos comiter ad prandium invitat, liberaliter adhibet; mox Caraphaeo committit, qui Viennam profecturus erat, quo maximis gravissimisque de rebus super pace belloque decernendis a Caesare fuerat adcersitus.

Caraphaeus legatos ad Bavarum ducit,

Et ab eodem in fidem recipit.

Viennam a Caesare evocatus.

Auctor quoque Bavaro est, qui statim ad Caesarem de adventu legatorum scribat, ut de ea re foederatos

Bavarus scribit de Turcica legatione ad Caesarem.

Digitized by Google

Caraphaeus legatis comitatum decernit.

Ejusdem circumspectio.

Saepe in itinere cum legatis congreditur.

Summa taciturnitas legatorum.

Effendis Keskemeti aegrotat.

Maurocordatus cautus.

Caraphaai conjectura de potestate legatorum.

Turcarum animi graviter perculsi.

Caraphaeus imperat legatos Pottendorfium duci; et quid ita.

participes faciat: mox eos secum ultra Savum ducit; comites itineris quadringentos equites, duces autem viros prudentes et hospitales addit; monetque « ut captas hoc bello urbes, et praecipue Budam declinent, ne adhuc deformata expugnationibus munimenta conspiciant, quae Caesar per belli nunquam cessantis tempus reficere nondum potuerat ». Et tamen idem quod legati iter facere, ut per eam occasionem saepe cum iis congrederetur, et quid sinceri ac solidi adferrent penitius exploraret.

Sed legati abstrusi et impenetrabiles: Effendis enim semper secum mandatorum codicillos signatos gerebat; ut qui ab ejus legationis secretis erat de ejus arcano nihil omnino se scire adfirmaret. Semper iis una frequentes aderant Maurocordatus, qui Constantinopoli domum, uxorem, liberos habebat, necnon erat aemulorum Caesaris studiosus; et Thomas Tarsia Maurocordati adfinis, Venetaeque Reipublicae interpres, qui praedicabat a Magno Vezirio vi adactum ad eam interpretandam legationem.

Interea Keskemeti in febrim Effendis incidit: et Caraphaeus dum sermones cum Maurocordato serit, percunctatus est « an legati summa rei agendae potestate instructi venissent: de qua re ambigere se dicebat, quod omnis Dravum inter Savumque ditio, et Savus ipse cum Bellogrado a Caesare reciperata erant, postquam legati, ut temporis rationem inibat, Constantinopoli profecti sunt: alioqui, conficiebat, eos novis amplioribusque mandatis egere »: cui caute Maurocordatus « se arbitrari de eo quoque praescripta in eos casus mandata habere, certum tamen non scire ». Hinc Caraphaeus conjiciebat: « aut Turcas jam de Bellogrado, antequam caperetur, desperasse; aut legatos plenum mandatae rei arbitrium habere. » At liberior ejus, qui a secretis erat, vox super coenam erupit « in ea legatione omnem Constantinopolitanorum spem conlocatam ». Unde Caraphaeus censuit, eos amplas pacis conditiones oblaturos. Hinc imperat ut, ubi Effendis convaluerit, legati recta Pottendorfium du-

cantur, sepositam, munitam et una porta patentem arcem; omniaque providet, quibus Turcae uti legati sancte habeantur, uti hostes acriter observentur.

Interea jam Caesar de adventu legatorum Polonum regem et Venetum Senatum certiores fecerat, ut et foederati regis officio fungeretur, et pacem an bellum mallent, cognosceret; ac Lotharingium de pace cum legatis agere destinarat. Atque ille quidem jam cum iis Budae conloqui cepit; mox morbo correptus, per quod idem tempus Caraphaeus in Austria aegrotabat. Sed Caesar ei omnem denegat moram hactenus convalescat, jubetque *ut extemplo Viennam contendat, ne foederatis suspicio incidat, eo colore Caraphaeum morari, ut secreto cum Turcis de pace transigat.*

Socii de adventu legatorum a Caesare certiores facti.

Lotharingius cum legatis agere destinatus, aegrotat.

Caraphaeus aegrotat in Austria.

Caesar solicitus da sociali fide, Caraphaeum aegrotum Viennam avocat.

CAPUT II.

In sanctius Consilium adscitus Caesari, quo ad pacem animum lubentius inducat, Hungaricam rempublicam ordinandam proponit, ut tandem aliquando diuturni ac sumptuosi belli dignos per pacem conligat fructus.

Ut Viennam Caraphaeus pervenit, inter sanctioris Senatus Patres cooptatus est; et ubi per morbum licuit, quinque post perpetuos annos Caesarem adit coram, adloquiturque: et quo ei gravius pacem suadeat, ingentes perennesque belli Hungarici fructus exponit, si pace parta Hungariae regnum bonis rationibus ordinandum suscipiat. Etenim Hungariae, longo duûm et viginti annorum, quos ibi res gesserat, usu, multa emendanda, complura promovenda, pleraque instituenda animadverterat; sed ad Bellogradum, ejus situs cogitans ingentes utilitates, haec de ea republica ordinanda meditatus erat, quae mox Caesari in haec ferme verba enarravit:

Caraphaeus a sanctiori Consilio esse jussus.

Caesari Hungariam proponit.

« Jam divino beneficio in utraque Hungaria ingentes

Transylvania et

Bellogradum digna ejus belli praemia.

ab eo victorias reportatas; sed hinc Transylvaniam, hinc Bellogradum ejus Imperio adjectas ei commodare facultatem, ut si in eo regno Summi Numinis religionem constabiliat, munimentis firmet securitatem, a militibus ducibusque severam exigat disciplinam, paganis artificiorum commerciorumque industriam promoveat, eoque aerario sapienter utatur; regnum florentissimum pollentissimumque habiturum, quo ut omnibus Europae regibus dignitate praeit, ita opibus certe fuerit secundus nemini.

Ordinationis propositio.

Regni Hungariae recte administrati opes.

Agri amplitudo. Optima pabula.

« Agrum enim longissime latissimeque patere; eumque maximo Europae fluminum interfluente supra fidem pabulis beatissimum, ut centum bovum millibus in annos solius Germaniae mensas alat; ac praeterea omnis naturae fructus uberrimum nedum necessaria, vitae quoque delicias aliis nationibus commodare. E superiore Hungaria Marmarosiensem salem externas condire dapes: et e perexiguo agro expressa Toccajana vina ab Polonis aliisque ad septentriones nationibus ingentem auri vim ei merere: passimque tres quatuorve Transdanubianos Primores tantam ditionem tantorumque proventum habere, ut indidem Principi summo splenderet cultus et aula. Has opes in regno arctiori ambitu, factionibus discerpto bellis externis vastato: quid longissime latissimeque prolatis finibus, et ad concordiam pacemque aeternum duraturam bene ordinata republica?

Natura feracissima.

Salinae.

Vina Toccajana.

Ingentes Principum Hungarorum opes.

Religionis pietatisque excitatio.

« Principio igitur oportere, in regnum inducere plurima copia sacerdotes, sacrorum doctrina eximios, et adstricti Christiani moris insignes, qui cives Romanis sacris initiatos pietatis officiis erudiant excolantque. Nam in una regni parte, quam *tredecim Comitatus* adpellant, ad multa civium millia numerari, qui binas domi ductas uxores habent; et ob eorum, qui sacris praesunt, negligentiam id per indignam venia excusationem palam sibi licere putant. At recta Christianorum dogmatum morumque doctrina firmatos in contentionibus cum novatoribus facilius Caesari sacrorum communione ad-

Ejus utilitas in re civili.

Digitized by Google

haesuros; et contra Turcas religionis stimulis incitatos, acriores futuros hostes.

« Si vero Hungariae munimina, cum ob solitam ejus rei Turcarum ignorationem, tum ob nuperas oppugnationes expugnationesque semiruta reficiantur; ac super Danubio, Tibisco, Savo, Dravoque et Marusio utilibus in locis alia excitentur; Hungariam multo plura secula quam ab Soleymane ad praesens usque bellum, in hac Christianorum aucta, deminuta Turcarum virtute, hostium conatus elusuram: quin fore, ut in reliquas eorum ditiones et apertas et immunitas potenter immineat. Sed ad id militaris architecturae gnaros, et maxime arcium super paludibus excitandarum (uti est natura situum per universam ferme Hungariam comparata) quantovis precio conducendos; ejusque rei experientissimos Hollandenses videri. Et ut id neve aerario, neve civibus grave sit, Summum Pontificem, hactenus munimenta absolvantur, decimam sacerdotibus pendendam remittere; quando jam eam pecuniam Turcis reprimendis, et coercendis novatoribus destinarat: et regni legibus cautum, pontifices sacerdotesque pro rata quemque parte ex decima sibi adtributa militi in Turcicis bellis merenti conferre stipem. Hac ratione et Fabricensium Conlegia, quibus ea architectura imperat, institui, et iisdem salaria pendi posse. Ceterum ubique abundare materiam, aeris praecipue; cum per omnem Hungariam ingens corruptorum numerus tormentorum jaceat, quae in penitissimam Hungariae Transylvaniaeque partem convehenda, ut nova ibi conflentur, et vecturae Viennam usque compendium fiat. Sed imprimis Transylvaniam Hungariae arcem, et ab Polonis, Valachis Moldavisque ac per eosdem ab Tartaris claustrum, firmatissime muniendam.

Ratio Hungariae muniendae.

Hollandenses gnarissimi excitandarum arcium in humentibus campis.

Consilium ne ea res aerario neve civibus sit onerosa.

Fabricensium conlegia instituenda, dotanda.

Aeris copia in Hungaria.

Ubi conflanda tormenta cum compendio aerarii?

Imprimis Transylvania munienda.

« Hungarum vero militem severissima disciplina in officio contineri oportere; certisque habendum in numeris, ut neque sint regi inutiles et regno graves: qui dum assiduos milites profitentur et jactant, duplo triploque plura ab civibus stipendia exigunt.

Hungari militis disciplina intendenda.

Digitized by Google

Agricultura celebranda, et qua ratione?

Rasciani armati turbulentissimum et avaritissimum hominum genus.

« Rascianos autem, depositis armis, agrorum culturae addicendos; qui nisi cicurentur, certissimi regno excidii olim caussam extituros. Superare fidem, quot quantasque rapinas sub Turcis flagitiosissime fecerint, donec ab iis rei rusticae sunt adpliciti: et Caesarem ipsum superiori bello cum Turcis pacem facere adactum, maxime ut regnum eorum latrociniis turpe lustraret. Ultra Danubii et Tibisci ripas, inter Dravum Savumque et cis Tibiscum immensum terrarum tractum incultum jacere: eum Rascianis Dalmatisque colendum quinque annos oneribus immunem dari, Germanis militibus severissime edicto, ut omnem ab iis injuriam contineant; et reos compertos gravissimis exemplis puniendos. Ita agro et amplo cultoque dominaturum; quando non vasta terrarum spacia, sed industrius agrorum cultus magnos Principes efficit: et turbandae inter duo Imperia pacis per ejus gentis latrocinia caussas praecisum iri.

Ut agricultura ers promovetur.

Ager cultus non vastus magnos Principes facit.

Bellogradi situs celeberrimo emporio maxime commodus.

« At hercule Bellogradi situm, quo novem navigationi apta flumina ejus radices conradunt, et omnia Danubius, qui eam praeterfluit urbem, complectitur, commoditatem praebere celeberrimo omnium nationum emporio fundando; modo curetur ut mercatores eos commigrent in antiquas sedes, indeque pelles, ceram, mella, lanificia, holosericum aurumque in Turcici Imperii ditiones exportent. Sed et si Bozina ei restituatur, et Ragusa in ejusdem clientela firmetur, Bellogradum non in orientem solum, sed in occiduam quoque plagam commerciis celebre fore: et Caesarem perpetuum suis ditionibus limitem directurum, qui in Neapolitanum regnum per Hadriaticum mare pertineat, eaque utriusque cognati Imperii Germanici Hispanicique et merces et auxilia commeent. At enim Bellogradum in hostium confinio situm; et quovis armorum rumore vel temere orto impediri commercia. Heic — dat consilium — Bellogradi communiendi, quo sit adversus Turcicam potentiam propugnaculum prorsus invictum, et Transylvaniae ipsi, Valachiae, Bozinae, aliisque provinciis firmissimae arcis

Merces Hungaricae.

Bellogradi utilitates immensae.

Ratio Bellogradi communiendi;

et longe lateque minantis instar immineat ». — Quod ego sciens prudens silentio praetereo; quando ea urbs satis infeliciter in Turcarum manus reciderit; ne barbari hostes Christiani Ducis consilio adversus Christianos ipsos utantur. — Hinc pergebat « quod comparata urbi securitate, commercia his artibus florere curentur: sanctissime servetur promissi fides; mercatores sibi ipsi jus dicant; expeditissima judicia exerceant; neque ab eorum sententiis liceat provocare: cives quam maxime sint hospitales; et in controversiis jurgiisque inter cives et peregrinos exortis, extero faveant; sive adeo criminis manifestum potius amandent quam puniant; et portoria iis prorsus nulla indicantur.

Quam Scriptor Caesaris et Christiani nominis pietate reticet.

Artes promovendi commercia.

« Ad haec Hungaros acuto ingenio praestare, quo in factiones scinduntur; si scientiarum artiumque studiis bellicosi animi pelliciantur, artificia absolutissima, et nova inde excogitata sperari. Se rei caussas ad philosophos amandare vestigandas, videre tamen effecta: ex quo Gallia, Hollandia Angliaque ad excolendas interiores literas adplicitae, et novarum rerum inventione, et artificiorum perfectione opulentissimas factas. Id vero scire, quod industriae urbanae fructibus aeraria ditentur maxime; et respublicae monarchicae fiant longe sedatiores.

Hungari acuto ingenio.

Literae quid quantumque conferant ad opificiorum perfectionem et nova excogitata.

Artificiorum fructus reipublicae quam uberrimus.

« Itaque his emendatis et institutis, si aerarium attente et ex fide administretur, ac vectigalia, tributa, portoria a civibus locupletibus redimantur, redemptionumque fraudes in publicam pauperiem excogitatae supplantentur, id regnum daturum immensas opes ».

Qui vectigalium redemptores boni?

Redemptionum fraudibus occurrendum.

CAPUT III.

Status rerum in occidente et oriente plaga, ut et cetera pacis argumenta quae Caraphaeus est adlaturus, et conditionum quas Turcis dandas censet, aequitas cognoscatur.

Nunc autem operae precium est nosse et belli socialis res in quem statum pervenerint, et quae commoda incommodave ad id prosequendum alia aliunde per terrarum orbem extiterint, quo tempore Caraphaeus Caesari de pace deliberanti eam suadet; ut cum alia quae adfert ad eam faciendam argumenta, tum an conditiones, in quas dandam censet, pro temporibus sapienter datae repudiataeque intelligantur.

Polonicae expeditiones in Tartaros inritae. Magnanimitas regis.

Polonus rex, quot hujus belli numerantur anni, totiens Budziacensem provinciam tentavit: ingens animi, per Podoliam agmine ducto, flumen *Niester* appellatum trajecturus; ut inde Bessarabiam, inter ejus maximi fluminis, Danubiique hostia et Euxini maris litora sitam, penetraret, lustraretque Tartarorum latibula, unde Polonos aliasque conterminas gentes pessime infestatum erumpunt; et arce Bialogrodo in Euxini litore extructa potitus, liberum Cosaccis ferocissimae genti panderet in ipsius Euxini oras excursum; qui eas Constantinopolim usque praeterlegerent, infestarent, depraedarentur. Sed semper usus infelici marte: nam sueta Comitiorum vel difficultate vel mora, serae vel impeditae expeditiones: belli genus exitiosum; ductandi exercitus per ingentes terrarum tractus omni natura benigna sterilissimos; res gerenda cum hoste velocissimo ad insultus et fugam: unde, inter longe lateque vasta et intuta, militi in castris communiendis plurimum operis et laboris; pervigil, semperque instructa et intenta quies; motoriae pugnae anhelaeque; agmina famelica et sitibunda; infestati semper receptus. Moschus in belli societatem adscitus, sive

Comitiorum difficultates, vel morae.

Asperrimum belli genus.

Moschi expeditio-

cum paucis sive cum maxime formidandis auxiliis praesto fuerit, per Polonorum moras vel innoxius hostibus, vel damno auctus ab hostibus. Hinc Camenecum Podoliae caput in Moldaviae finibus sita saepius tentata, inrito semper conatu. Unde reipublicae Polonicae animos generosa invidia carpebat, *Caesarem de Turcis tot tantasque in Hungaria victorias reportare; se vero quinque perpetuis annis cum ingenti intertrimento una arce vel Bialogrodo vel Cameneco potiri non posse.* At rex adversam belli solabatur fortunam, et fidei socialis, quam praestabat, gloria; et spe domum inducendi feminam Neoburgensis domus Principem, qua Jacobo primo filiorum amplissimam cum Caesare conciliaret nuptiarum necessitudinem.

nes in Tartarum a Polonicis non absimiles.

Reipublicae polonicae generosa in Germanos invidia.

Regis praeclara socii fides;

Et egregium in Caesarem studium.

Veneti contra, gnari temporis opportunitate uti, dum Caesar virtute et fortuna belli Turcicarum virium robur in Hungaria atterit, sub Francisco Mauroceno, jam bello Cretensi spectatae virtutis duce, cum sua et Hetrusca, Melitensi Pontificiaque classe sociis, suo et alieno milite in Jonio mari peninsulam Sanctam-Mauram, in Peloponneso autem Coronem, Navarinum, Modonem, Neapolim, Misitram ad Spartae ruinas adsitam, Patrassum, Lepantum, hinc Corinthum ejus regni claustrum, in Attica porro Athenas, rursum in Dalmatia Castrum Novum vi et armis, inoffenso per quatuor annos victoriarum cursu, cepere: hoc autem anno ad insulam Euboeam, quam olim sub regno habuere, ab Turcarum ferocia eorum virtus retusa est. Nam in obsidione principis urbis, quae universae insulae nunc dat nomen, plurimus manipularis effusus sanguis; ac satis multis qua nascendi sorte, qua belli virtute praeclarissimis viris funera oblata. Sed gravi Othonis Guilielmi Konismarchii exercitus imperatoris morbo prorsus impedita expugnatio; unde et solutum obsidium, ed importunum praeclarissimi sua tempestate ducis funus Venetarum rerum felicitatem non mediocriter conturbavit. At enim vel secundante belli fortuna, per diuturnum asperumque

Venetorum sapientia.

Francisci Mauroceni laus.

Ingentes victoriae a Venetis de Turcis relatae.

Euboica expeditio improspera.

Othonis Guilielmi Konismarchii morbus,

Mors,

Laus.

Belli difficultates.

Cretense bellum aerarium nuper exhaustum: et quamquam aurum extra ordinem sapienter Senatus conquireret, et ex fide Quaestores exercitus erogarent, tamen ob longinquas et, ut maritimae solent, dispendiosas expeditiones cum sociis classibus, et conducto milite, sat rerum suarum agebat.

Maritimae expeditiones dispendiosae.

Ceteri socii Turcis molesti, sed Caesar unice formidandus.

Ita ob adversa belli, quae Venetis hoc anno ad Euboeam acciderant, et per eorumdem prospera at dispendiosa; ob totiens inritos et ipsis intertrimentosos Polonorum conatus; ob magnificas Moschorum expeditiones, innoxias tamen; erat Turcis quod adflictos erigerent animos. Nam in Slavonia Costanissa, Gradisca, Brodtum a Badensi captae cum Bozinae Rectore fuso leviores jacturae erant. At vero Bellogradum amissum acerbe populum Constantinopolitanum graviterque commovit. Inde nova turbarum fomenta dux Janicsarorum aliique militum duces, quibus ea respublica ingrata erat, arripuerunt, ut ex communi pernicie privatum compendium facerent: et Soleymanem in ordinem redigere, Mehmedem summae rei restituere, Primum Vezirium interficere, et ejus factione dissipata, magistratus et imperia inter se partiri conjurarunt. At ab uno ex consciis, cui non ex aequo tributum facinoris praemium videbatur, conspiratione indicata, Primus Vezirius turbida consilia multorum supplicio oppressit; auctorque Soleymani est, *ut numerosissimum resoluti jam obsequii populum vitet, ac Hadrianopolim commigret: eoque secum Mehmedem, ejusque subolem, inlecebras novarum rerum in arctiorem custodiam abducat.* Tanta felicitate Caesar bellum in Hungaria quinque perpetuos gesserat annos, ut orientis Imperium victoriis adfligeret foris, per quas id ipsum seditionibus domi convelleretur.

Bellogradi jactura regiam Turcarum concutit.

Novae Constantinopolitani populi turbae.

Conjuratio indicata; Oppressa.

Soleymanes Hadrianopolim commigrat.

Caesar Turcici imperii terror et clades.

Sed jam extiterant ab occidente plaga importunissimi belli initia, quod cunctas Caesaris prosperas res interrumperet et conturbaret, mors Caroli Rhenani Palatini, Imperii Septemviri, foedus Augustanum et Pontificis Coloniensis creatio.

Belli initia ab occidente.

Digitized by Google

Super Palatini hereditate controversia inter ejus sororem, quae Philippo Aurelianorum Duci nupta erat, et Philippum Guilielmum Neoburgensium Ducem extiterat. Huic Caesar gener, illi rex Galliarum ex fratre germano adfinis: Guilielmo proximum succedendi ex adgnatione jus aditione firmatum; Aurelianae Duci petitio relicta est.

Controversia super hereditate Palatini Rhenani.

Ad haec inter plures Germaniae Principes ac liberas Respublicas adversus externam vim mutuae tutelae foedus Augustae Vindelicorum sancitum: quod Galliarum rex ubi rescivit, per amplissimum Cardinalem Etraeum apud Summum Pontificem suos metus exhibens, ne Caesar pace cum Turcis facta contra se arma converteret, ab eo petiit *ut ejus dissolvendi auctor fieret: et vicennales inducias Ratisbonae inter ipsum et Imperatorem depactas in perpetuam pacem intra mensem commutandas* offerebat. Summus Pontifex per amplissimum Pium Cardinalem Caesari haec Galli regis desideria significavit. Sed Caesar hos metus discutere: «nam Austriae Domus id proprium, sancte foedera custodire: et nunc maxime a Turcis per varias artes de praesentis belli societate tentatum abstrahi, in ea constanter perstare; et dispendiosissimo bello, quo regna hereditaria aere virisque exhauserat, et quinque perpetuos annos per solitudines et vastitates gesto, non novum serere, sed longo ocio et pace refici necessarium sibi sit. Nihil novi, nec quidquam ulli metuendum eo foedere sancitum; sed innoxiam et ab omni jure permissam mutuam opem, ubi armis petantur ii qui sibi auxilia conferunt contra Turcas. Cautam defensionem, nisi ei qui nocere velit, praeterea gravem nemini. Ad haec auxiliorum tam parvum depactum numerum, ut vix suae ipsorum tutelae sufficiant, nedum ab iis Galliarum potentissimus florentissimusque rex metuat. Antiquum Germanici Imperii, et legibus, quibus fundatum, consentientem morem, uti partes in summae salutem provideant. Id enim in minutos Principes Respublicasque divisum, et per Co-

Foedus Augustanum.

Quod Galliae speciem formidolosam praebet.

Gallia Germaniae perpetuam pacem intra mensem paciscendam offert.

Caesar foederis Augustani jus per epistolam Summum Pontificem docet.

mitia regi, quorum satis cum damno saepe spectantur morae. At Galliae regem suo unius arbitrio regere cuncta; extemplo exercitus maxime formidandos, ingentesque classes comparare et instruere. Ab iis autem, qui non alios opprimere, sed de sua salute cogitare conantur, quid vereatur rex, qui Luxemburgo Hollandensibus, Rheni accolis Argentorato, arce Casali Pedemontanis ac Mediolanensibus imminet? Ei, si lubet, licere Imperii Principes in bellorum aliis inferendorum societatem vocare: queri quod Germania de suo corpore lectis ad externam arcendam vim foederatisque sociis sibi prospiciat. Induciarum finem, ut Gallia occupatis ociose interim insisteret, ac Caesar de occidente securus ageret, dum ad orientem plagam gereret bellum, et per omne id tempus controversiae sedato jure componerentur. Ipsumque adeo Galliae regem earum adsertorem fore pollicitum, aliosque Principes ad eas vindicandas adpellaturum. Si igitur sincere ex Westphalicae et Neomagensis pacis mente, et more inter reges summos respublicasque usurpato, velit inducias in aeternam pacem transfundere, se nihil facilius lubentiusque facturum. Sed et in iis cautum ut in convento loco de finibus regundis aequo jure disceptaretur. Rectis jam finibus, quidni aeterna pax consequatur? Sed ad eam rem ipsum induciarum tempus praestitutum. Quare Galliarum regem non aequum facere, cum intra mensem de ea re transactum postulet; in qua tot Electorum, Principum, Rerumpublicarum res versatur; quos per Germaniam dissitos, ne certiores quidem facere per id brevissimum tempus licet. Sibi uni ex multis in id convenire ex gentium jure negatum. Eum igitur, pacifico colore inducto, id agere ut, omni disceptatione praecisa, omnibus omnium rationibus inauditis, cunctos temporis articulo opprimat; et omnia, ante et post inducias occupata, quae sextam Germaniae partem describunt, optimo obtineat jure. Itaque si ejus quod Gallia petit speciem videas, id vanum dissidensque animadvertas, et quod per re-

Cur Germania pacem a Gallia oblatam repudiat?

rum naturam omnino fieri non possit; sin penitius rimeris, id velle ejus Aulae ministros, progressus contra Turcas sisti, nec Germaniam concordia coalescere. Sed si rex pro sua animi magnitudine haec judicet, se certo sperare eum neque sui nominis gloriam, neque foederum sanctitatem hoc facto maculaturum. Id rogat Innocentium, ut sua sanctissimi Pontificis auctoritate regem moneat, ne Turcae Christianissimi Principis beneficio sui Imperii salutem imputent: sin Galli in contraria sint animati, se ad Summum Numen fractorum foederum ultorem provocare, quod sibi Europae ab Turcico jugo prorsus liberandae facultas praerepta sit ».

Hae Caesaris rationes a Summo Pontifice Etraeo, et ab Etraeo Galliarum regi communicatae, nihil magis inter Christianos Principes pacem firmarunt; et novissima belli materia quaesita Leodiensis Pontificatus. Ejus enim competitores Guilielmus Cardinalis Frustembergius et Clemens Bavarus Maximiliani Septemviri frater; ille Argentoratensis, hic Ratisbonensis Pontifex: uterque jure petere prohibitus; sed Innocentii Pont. Max. singulari lege cautum ut in iis Comitiis de Clemente ratio haberetur. Frustembergium Galliae rex et officiis et armis in Coloniensem agrum admotis promovebat: Bavaro favebat Germania studiis; et Caesar fide, in quam omnem eam Domum receperat, tuebatur: itaque Bavarus creatus est.

Leodiensis Pontificatus petitio.

Guilielmus Frustembergius et Clemens Bavarus competitores.

Frustembergio rex Galliae, Bavaro Caesar favet.

Ab hac ultima caussa Galliae rex bellum exorsus, per edictum questus « Frustembergium spretis Comitiorum legibus repulsum; Aurelianam Ducem injuria a suae familiae successione prohibitam; aeternam pacem a se Germaniae oblatam, ab ea repudiatam; et adventantibus jam Turcis legatis metum, ne pacato Danubio Caesaris armis turbetur Rhenus »; cum exercitu maxime formidando Galliarum Delphini ductu Philisburgum, tamquam illac essent arma Germanica in Galliam inruptura, intra mensem obsidet, oppugnat, capit. Hinc mense alio Treveros, Heidelbergam et Wormatiam occupat; et qua-

Galliae rex bellum indicit.

Sub Galliarum Delphini ductu Philisburgum capit,

Mox Treveros, Heidelbergam, Wormatiam,

Palatini ditionem exscindit.

dam furiata belli mente correptus miles omnem Palatini ditionem aut diripit, aut ferro flammaque corrumpit:

Hinc Spiram, Maguntiam, Bonnam pene vastat.

et quamquam Spira, Maguntia, Bonna, nulla objecta vi, portas victoribus aperuissent, magna ex parte desolatae;

Saevissimus Gallorum furor.

demolita templa, direpta sacra, et Spirae religiosissima Germaniae Imperatorum sepulchra violata: quae Gallico nomine indigna facinora rex in posterum correxit: adstrictiori ducibus armorum potestate permissa. Sed tamen interea Constantinopoli renunciatum, *ab Gallia jam bellum Caesari inlatum esse.*

Turcae certiores facti bellum Caesari a Gallo inlatum.

Germania interim arma aut intus sera ad expediendam vindictam, aut foris ad Serviam quam longe dissita. Tamen ejus exundantis inundantisque omnia armorum torrentis e Germania terra avertendi una spes, sed satis dubia trepidaque adfulgebat, quod Hollandia Britanniaque contra Britannum Gallumque reges inter se foederatos bellum per idipsum temporis adparabant. Angli enim, gens in qua nihil mediocre, magno interno motu aestuabant. Nam Jacobus eorum regnator, Romanorum pietate sacrorum ductus, ea regno restituere palam conabatur. At Angli infensissimo contra Romanum Pontificem odio ab Henrico usque rege duo ferme saecula imbuti, et monstrosa de Numine opinandi libertate ab Olivero Cromwellio obfirmati, contra regem conspirant, et ad Guilielmum Nassavium Arausicanorum Principem, Jacobi nepotem et generum, virum vi pari vastis cupiditatibus praeditum, convertuntur. Is a majori Guilielmo prognatus, qui Hollandiam ab Hispaniensi Monarchia sub Philippo II Austrio rege per tutelam libertatis abstraxit, et in qua nunc perstat, reipublicae formam instituit. Unde ex ea familia posteri libertatis Hollandensis perpetui Protectores: et ab eo usque tempore sive sapientia, sive felicitate institutum duravit, ut qui ejus reipublicae libertatem protegerent domi, iidem foris summum armorum imperium haberent; et tempore pacis Tribunitia potestate, bello autem grassante Dictatura perpetua fungerentur. Nam quamquam Hollandenses ab

Hollandi et Angli contra reges Angliae et Galliae foederati.

Civilium in Anglia motuum caussae.

Guilielmi Nassavii imago.

Arausicani Principes in Hollandia domi tamquam Tribuni plebis, foris veluti Dictatores.

Hollandiae Angliaeque necessitudo.

Anglis in auctu suarum cujusque rerum alieni, tamen libertatis necessitudine devinctissimi; et potissimum cum Jacobus exercitu et classe potens nuper cum Gallorum rege belli societatem inisset: nam utraque ab utroque suae libertati metuebat: Hollandia popularis Respublica Monarchae confini gravis, praeclusis Angliae auxiliis, Germaniaque ad Danubium longe conversa; Angli, ne Gallorum ope (quibus se navigationis audacia, animorum ferocia, rebusque omnibus anteponunt, et una elegantia lubentes cedunt) rex frenum sibi, ut dictitabant, religionis imponeret, quo mox regni compedes constringeret graviores. Sed quia tantae expediendae conjurationi taciturnitas necessaria; et ingenti classe exercituque opus erat, quam curiatis Comitiis decerni oportebat, Arausicanus edixit «maximam Hollandensium rem agitare, quam vulgari et perdere juxta esset: quare tribus spectatae pietatis in patriam, fide integerrimis, auctoritate gravissimis viris rempublicam demandent, quibuscum agat». Et apud Hollandenses renovato insigni Atheniensium et Aristidis exemplo, fides habita est; et consilium intra quatuor omnino stetit; aes de aerario depromptum; ingens classis milite instructa. Jacobus futura veritus classem et exercitum auxit, validam sane regni tutelam si terrestres copiae fidae, maritimae fortunatae. Interea Arausicanus ab Hollandiae litoribus solvit, dum Caraphaeus Viennam pervenit, quo cum Caesar de pace deliberaret.

Populares Respublicae regnis contermina graves.

Angli praeferoces.

Singularis Hollandensium in Arausicanum fides.

Quo tempore Caraphaeus Viennam pervenit?

CAPUT IV.

Caesari pacem suadet: et ad eam instituendam aegrotanti Lotharingio suffectus, ex Veneti Pontificiique legatorum consensu Pottendorfium mittitur, quid Turcae legati adportarent, exploraturus.

Cui per haec rerum argumenta suadet: « Hungariae

Saeva belli stipendia.

regnum erogandis stipendiis exantlatum; Transylvanos tribuenda tam longe ope jam fessos; provincias hereditarias ad languorem datas, aerarium ferme exhaustum. Quamquam Polonum regem Austriae Domus studiosum, tamen reipublicae Tartaricum bellum, totiens aut inritum, aut noxium, jam molestum. Venetam Rempublicam ingentem eo bello terrarum et marium tractum jugi prosperitate quaesivisse; ut si ad Euboeam non offendisset, tamen secundae fortunae modus Venetos sapientes ad pacem impelleret. Romanum vero Pontificem annis gravem; nec facile alium aequa nominis Christiani pietate et animi altitudine successurum. Et ob idipsum Turcicam potentiam metuendam, quod tot tantisque belli clades acceptis nedum adflicta non sit, sed semper ingentes vires tamquam integra repararit. Recens et declinandum exemplum: ultimo bello Gallico, cum Ludovicus XIV postquam Bonna a Caesareis recepta est pacem petiisset, et Hispani multa, et magna atque adeo absurda postularent, Gallus belli fortunam porro experiri maluit, quae serie rerum mutata est. Jam Summi Numinis ope (quam implorare hominibus datur, de ea sibi spondere non datur) praeter ceteras Hungaricas victorias, hinc Transylvaniam, hinc Bellogradum ejus imperio adjecta, intertrimentosi ejus belli nedum praecipuos, sed unicos omnino fructus». Atque heic, Hungariae ordinatae utilitatibus perstrictis, adsumit: « Jam ipsum tamquam in semine uberrimus gesti belli fructus habere: id aerumnis et sumptibus juxta ingentibus satum, non nisi longo ocio et tranquillitate excoli, et ad messem perduci posse. Constantinopolim in ejus ditione videre, quae piorum omnium certae spes erant, nunc jam inrita vota factas esse. Galliae enim regem jam maximo infestissimoque exercitu Rheni ripam tamquam calamitatem percurrere. Arausicanum hybernis fluctibus Hollandiae commisisse fortunas, quas si ad saevos Britanniae scopulos fregerit, jam funditus ejus reipublicae obruerit libertatem. Occupandam igitur pacem, ante-

Respublica Polonica belli pertaesa.

Veneti sapientes in rebus prosperis habere modum.

Romanus Pontifex jam moriturus.

Turcica potentia in adversis rebus ingens spectata.

Prosperae fortunae moderandum,

Sub gravi et recenti exemplo.

Digna belli Turcici praemia Bellogradum et Transylvania.

Pace opus, ut ex Turcicis victoriis digni fructus capiantur.

Victoriarum progressus contra Turcas Christianorum discordiis praepediti.

Ingens bello Gallus.

Discriminosa Arausicani in Britanniam expeditio.

Ab armis Gallicis majores metus.

quam Gallica arma in penitiorem Germaniam pervadant; quibus Imperii impromptae vires obstare vix possunt; quin, si pergant, Sveviam inrumpant, omnemque occupent; unde Turcis caussa existeret, ut a pace ad bellum converterentur. At pace cum Turcis facta, cum potentissimus exercitus veteranorum militum, et tot tantisque victoriis ferox ei floreat ociosus, Gallum regem ad incoepta prosequenda attentiorem futurum ».

Galliae impetus non nisi pace cum Turcis facta hebetandi.

Per haec et talia Caesar felicitatis cursum, qua per omne id bellum contra Turcas usus est, abrumpere decrevit, ac sedulo de pace agitare: et in Consilio, cui Kinskius, Strattmannius et Caraphaeus ipse adfuere, eum ad agendum cum Turcis legatis Lotharingio aegrotanti suffecit. Qua re Veneto et Pontificis Romani legato significari jussa, censuerunt *ut Caraphaeus, quid Turcae legati adferrent, exploraret.*

Caesar ad pacem adplicat.

Caraphaeus Lotharingio, qui cum Turcis de pace agere instituat, suffectus, ex Veneti et Pontificii legati consensu.

Is igitur ubi Pottendorfium eos convenit, ita sermonem exorsus est: « se pro benevolentia erga eos, quantum in hostes liceat, satis spectata, hanc iis in omnem ipsorum gentem pervagati meriti famam optare, ut per ipsos Turcico Imperio pax tranquillitasque restituatur: sed profiteri eos oportere, quas adferant pacis conditiones. Musulmanos ipsos exemplum dedisse recens, qui anno LXXXIII Capraram Caesaris legatum admittere recusarunt, hactenus Magnum Vezirium de suis mandatis edoceret; et nuper Caesarem Gallorum regis legato Senatum non dedisse; antequam eum venire cognosset ut regis sui nomine cum ipso de Alba-Regali capta gratularetur: atque adeo legatum, qui de sua legatione justum documen non edat, admitti neminem ». Heic Effendis respondit: « de tanta erga se benevolentia futurum olim gratiae referendae fortasse locum: aequum quod petit petere. Igitur sciat, sibi extra ordinem legatis suum Musulmanorum dominum magnam fidem habere, et summam pacis faciendae potestatem fecisse; sub capitis poena edixisse tamen, ne in alienas quam Caesaris manus Imperatoris sui literas darent: quare se,

Legati, ut admittantur, profiteri debent, quid adportent.

Taciturnitas Turcicae legationis de pacis conditionibus.

uti conditiones pacis conceptae sint, prodere mortalium posse nemini: id vero palam profiteri, sibi a Soleymane mandatum, ut principio Caesarem faciant certiorem, ipsum pacis studiosum Musulmanorum Imperatorem creatum, deinde de pace rogent ». Ibi tum Caraphaeus excepit: « id officium nunquam eos ante eum diem, nisi per Imperatoris viatores (*) cum Principibus sociis usurpasse, quos oportet scire, novum sibi impositum dominum; sed cum rege aeque summo ac belligerante id nullam omnino adferre utilitatem, quae omnis aequi juris parens habetur. Itaque ut novum Soleymanis regnum adportent, neque jus gentium id cavere, neque ab Europae regibus in moribus receptum; maxime si ab aperto hoste veniant, et quamquam non ab aperto, suspecto tamen. Ea autem conditionum taciturnitate eos augere Caesari suspicionem, non sincere de pace actum venire; ut qui jam comperit, novas Constantinopoli exortas turbas, et Soleymanem cum quatuor equitum millibus Hadrianopolim confugisse. Itaque ipsum eos in speciem legasse ut populum Constantinopolitanum tranquillet, qui eam cupit et flagitat. Sed non esse ut Caesarem Gallorum armis implicandum sperent, cum Gallia majus habeat negocium, et magis ex sese. Hollandenses enim per id ipsum tempus, quo haec dicat, classem maxime formidandam contra Britanniam Gallis sociatam solvisse. Hanc autem gravescere de eorum sinceritate suspicionem, vel maxime ex eo quod Techelium adhuc in sinu foveant, et suos exercitus ei ductandos committant. Sed enim se eos familiariter monere ut de Techelio sibi caveant, ne pacis negocio in caussam cadant, qua eum exhibere, ut maxime velint, non possint: metum enim subesse ne alio confugiat, satis guarus, aemulos, aut hostes reges uti perduellibus quidem, sed in foederibus nullam de iis rationem habere in communem regnorum securitatem: et eadem familiaritate iis consu-

Legati Turcae novum Soleymanis regnum nunciaut Caesari.

Inter nuncium et legatum discrimen.

Utilitas mater omnis aequi juris.

Turcarum de conditionibus pacis taciturnitas suspiciosa, ne subdola sit legatio. Ejus rei conjecturae.

Consilium Turcarum tentatur.

Eorumdem spes retunditur.

De non sincera pace conjectura altera.

Consilium Caraphaei Turcis datum de Techelio custodiendo.

Cur de perduellibus reges in foederibus nullam habent rationem.

(*) Ita visum latine referre quos Turcae *Siausios* appellant.

lere, ut ab una Caesaris moderatione suis adflictis rebus levamen expectent. Sciant tamen, praeter cetera eum velle ut suis foederatis satisfiat, nec aliter pacis negocium instituturum: tanta fide et constantia perstare belli societatem ». Quod disserebat Carapheus ad obtinendam Caesari in foederibus servandis dignitatem, Turcae in utilitatis partem detorquent; et putant eum haec praedicare, ut sive ii foederatis facerent satis, Caesar omnium et potentior et felicior multo plura et majora petere possit; sin satisfacere nolint, amplissimis conditionibus eum in tanta sociali constantia et fide pacandum esse. Igitur Effendis, ne qua a Caraphaeo perrumpantur, tramissis omnibus, eo transilit: « multa exempla prodi, et morem in gentium jure fundatum, legatis liberum per hostes patere iter: se Viennam ad Christianorum Imperatorem missos: integrum ei aut in oblata convenire, et edicere locum ubi per viros ad id electos pacis conditiones disputentur, aut se domum omni re infecta remittere ».

Egregia Caesaris socialis fides.

Mala legatorum mens.

Constans Effendis silentium,

Et praecisa postulatio.

CAPUT V.

Quae pacis conditiones Turcis dandae sint censet: mox cum Ernesto Rudgero Starembergio et Udalrico Kinskio delectus, qui Viennae cum Turcis de pace agat. Et quibus de caussis ab inrito congressu discessum.

Ita Turcis oratoribus Viennam pertendere confirmatis necesse omnino fuit Caesari aulam dare, quo media ferme hyeme tandem pervenerunt: per quod tempus Arausicanus prius adverso mari repulsus, deinde secunda navigatione ad Britanniae oras adpropinquarat; et densis nebulis feliciter suam obtegentibus, regiam classem fefellerat; dubiamque certaminis aleam inexpertus ad ea litora adpulerat, et consentientibus studiis exceptus,

Legati Turcae Viennam contendera, et Caesarem adira obfirmati.

Quo tempore Viennam perveniunt?

Arausicanus Britannia potitus.

faustisque ominibus *Britanniae Liberator* adclamatus. Nam regius exercitus ab rege sensim deficere; mox Proceres mutarunt fidem; tandem res novas ipsi Optimates amplexi. Rex infando patris exemplo, majestatis vim tentare deterritus, uxorem et infantem filium in Galliam praemisit; mox ipse quoque clam eodem confugere. Sed tempestate retractus, ab mobili vulgo agnoscitur. Ea fortunae miseria, quod rex pridie terra marique potentissimus, nunc ab suis desertus, ab filia proditus, a genero regno exutus, a socio Galliae rege nulla praesenti ope levatus, vili habitu, actuaria navi, salutem sibi exilio quaereret, et ab elementis cum hominum genere in ejus perniciem conjuratis prohiberetur; in regnum reducitur, tantamque in spem erigitur ut de pace ad Arausicanum legaret. Sed legato injecta vincula; mox ipse Londini ab Arausicani milite custoditus; tandem ipsius generi minaci consilio, et in scelus erupturo, *ut regno excederet* monitus, in Galliam trajecit. Et Anglico Conventu Guilielmus ex uxorio Mariae Jacobi filiae jure Britanniae rex electus; et eo subolis ex Maria exsorte defuncto, Anna filia altera Georgio Daniae Principi nupta in secundas spes regni vocata. Ita infeliciter factum ut Galliae rex, putans Arausicanum aut ad Britanniae scopulos saeva hyeme non adpulsurum, aut adpulsum civili bello implicandum, Rheni urbes interea excinderet, nec Hollandiam terra marique invaderet, ut Arausicanum a Britanniae litoribus revocaret. Sed alia spes nec temeraria pullulavit, Arausicanum, regni aemulo vivo et prope exulante, non desidem agitaturum in gente domi turbida, et ubi rex, nisi bello armatus, summum rerum arbitrium non habet.

Britanni regis miserae et adflictae fortunae.

Vulgi mobilitas.

Guilielmus Britanniae rex creatus.

Quae infelicitas Jacobum Angliae regem perdiderit?

Spes Guilielmum statim bellum contra Galliam moturum.

Igitur pro hac opportunitate Caraphaeus ratus, animo ob Rhenum impacatum nihil quidquam demisso, cum Turcis de pace agere, has iis conditiones dandas censet. « Principio Techelium dedendum: eo enim vivo Hungariam nunquam quieturam. Repetenda autem cis Danubium Sigetum Canissamque cum suis cujusque fi-

Conditiones pacis ex Caraphaei sententia Turcis dandae.

Techelius dedendus.

Quae repetendae cis Danubium?

nibus, ne qua in parte Turcae Dravum inter et Danubium haereant: inter Dravum Savumque Slavoniam, ultra Savum Bozinam cum ejus utilissima parte Arzigovina restituendam: et Raguseorum Rempublicam, quae a Buda usque capta in Caesaris fidem se commendavit, Turcico tributo et clientelae jure liberandam. Ditione quam Turcae in Croatia dominantur, concedant: finibus a Bellogrado directis, Serviaomnis, quae ab dextera in Bozinam, sinistra in montem usque Hemum pertinet, reddatur: reddatur et Bulgaria inter Hemum et Danubium sita, quae Nicopolim usque porrecta est; ubi montes in fauces coeunt, quo Danubium propius, angustiores; ut omni ex parte ab hostium tumultibus tutum sit; neque ullus Turcis in Caesaris regna aditus pateat. Si tam longe limes praetendi non possit, saltem usque ad Nissae montes, ac tandem dextra sinistraque Bozinam et Danubium versus ex foederis ipsius legibus dirigatur. Altera ab parte Themiswar cum omni sua ditione; et ultra Marusium urbes intra Tibiscum et Danubium sitae, usque ad Valachiae Moldaviaeque alpes, in quibus Varadinum, Giulam, Jenum et minora oppida cis et ultra Berethium ad Transylvaniam usque, et ipsius Marusii originem ei addicendam; ad quae Turcis tanto minus juris est, quanto minus spei habent auxilii ferendi urbibus interclusis, et tempore ipso in Caesaris potestatem recasuris. Ita Hungariam universam, cis et ultra Danubianam, in deditionis leges venire. Transylvaniam autem jam ejuratam Turcis obsequium, et Germani militis praesidio firmatam: et Valachiam in Caesaris clientelam venisse, eique tributum pendere: restare ut munita ejus provinciae oppida Turcico praesidio liberentur: et quia per Valachos Moldavosque Tartari inrumpere possunt, spondere Turcas oportere, se eos coercituros, quod ni praestent, contra foedus fecisse judicentur. Moldaviam autem quia pene eversa, et Tartari ejus habent frugifera Turcae munita, (cum Caesari non expediat ibi arces extruere et praesidia habere) pe-

Quae inter Dravum Savumque? Quae ultra Savum?

Quid de Ragusa?

Ut dirigendi Imperiorum fines ab una Hungariae parte?

Ut sint certi et pacati.

Quae ab altera Hungariae parte repetenda?

De jure repetitionis animadvertendum.

Transylvania.

Valachia.

De Tartaricis invasionibus cavendum.

Moldavia.

Aliud de repetitione notatu dignum.

tendam, ut cum alia re utiliori pensetur, aut certe quid de postulatis remitti videatur.»

Caesar dat legatis Senatum.

Soleymanis literae recitatae.

In hanc sententiam repetitionis concepta formula, Caesar tandem legatis Senatum dedit; et Soleymanis literae recitatae, quibus significabat, *ad se Osmanicum Imperium rediisse, pacifico ingenio Principem; ac proinde rogabat Caesarem ut quos miserat legatos de pace audiret.* Paucis mutatis eaedem literae Friderico Cornelio, Reipublicae Venetae legato, et Cl. Potoschio ablegato Polonorum dantur, ut ille ad Venetum Senatum, hic ad regem mitteret suum. Jam enim inde quo uterque a Caesare de Turcarum adventu legatorum certiores facti sunt, suam quisque foederati dignitatem fortunamque reputantes, ita bellum consentienti animo ponere, ut sumpserant, decreverunt. Sed Veneti plenam Cornelio pacis faciendae fecerant potestatem: Polonus tantum Potoschio permisit, ut quae Turcae adferrent cognosceret, et ad Senatum Polonum referret.

Ejusdem sententiae literae Polono et Veneto datae.

Socialis Caesaris sedulitas.

Veneti Poloniqne legatorum potestas.

Igitur urbis Viennae minor Curia conloquio edictus locus; et Rudgerus Ernestus Starembergius, qui pro Hermanno Badensi belli tum Consilio praeerat, Franciscus Udalricus Kinskius et Caraphaeus pacis conditiones cum Turcis disputare pro Caesare jussi; eoque Venetus legatus, Polonusque ablegatus convenere. Principio de sedendi dignitate contentio extitit: nam Caesaris administris Venetoque legato sellae omnino pares paratae quatuor; Turcis Polonoque, quia non justi solemnesque legati, sed ablegati erant, subsellia statuta tria Effendis exedriae e regione sitae praesidere contendebat; quo pernegato, octo ferme passus regressi Turcae non aversi, sed transversi ab janua consedere.

Foeciales Caesarei.

Veneti Poloniqne conventus.

Controversia de loci in sedendo dignitate.

Turcae ex vero ablegati.

Ob loci dignitatem Turcarum temperamentum.

Mox ubi de eorum mandatis cognitum, in pacis arrhabonem Techelius a Caesareis petitus: Turcae denegant. Hinc rogati quas adportent conditiones, has dant: «se Caesari Venetaeque Reipublicae pacem vel breves inducias offerre; si inducias malint, uterque occupatis interea fruantur, modo Transylvaniam utrique Impera-

Turcae Techelium dedere negant.

Edunt pacis conditiones.

tori tributum pendat; sin pacem optent, partem eorum, quae bello quaesiverunt, remittant, atque in iis Transylvaniam ipsam, et Bellogradum maxime: et se Polonis Camenecum solo aequatum restituturos ».

Christiani iniquas conditiones pro jure et fortuna victorum ad aequitatem redigendas petunt. Turcae se tantum potestatis habere respondent. Ex qua tam adstrictae facultatis professione judicium a prudentibus in alterutram partem firmatum, *aut eam legationem ad sedandum populum Constantinopolitanum obtentui adornatam, tantisper dum ab occidente res Caesaris turbarentur; aut legatos quidem cum summa potestate missos, sed Rhenanico exorto bello, eam postea dissimulasse, ut suo Imperio servarent cum re conjunctam dignitatem.*

Prudentum conjectura de ea legatione.

Hinc non minorem animi magnitudinem Christiani in suis proponendis conditionibus ediderunt. Nam Caesarei administri petunt « quae Caraphaeus censuerat repetenda, et ut Sepulchri, ubi Jesus Christus Hierosolymae conditus fuit, cura et religio a Graecis ad Latinos redeat; et Christianis, qui ad id adorandum peregre eunt, liber sit commeatus; qui vero sub Turcico Imperio sedes habent, iis liberae quoque caeremoniae permittantur ». — Venetus « Euboeae regnum et omnem oram ab Isthmo Corinthiaco Corfinium usque repetebant; ut certus finis inter flumina Cercham, Bojanam et mare ad montes usque dirigeretur; et Dulcinium Antivarumque piratarum confugia dedi ». Cl. Racquoschius, qui justus legatus per id tempus advenit « damna Poloniae a Turcis data, bellique sumptus condicere; Camenechum, Valachiam Moldaviamque, Krimneam, omnemque terrarum tractum Boristhene et Danubio contentum vendicare. De Sepulchri aedituis et Christianorum usu sacrorum in Turcicis ditionibus eadem, quae Caesarei » postulabat; et addebat praeterea « ut per eas incolae Christiani tributo levarentur ».

Generosa conditionum datio a Christianis.

Quas dant Germani?

Quas Veneti?

Quas Poloni?

Turcae Christianorum conditiones tantum ut imma-

nes demirati, quantum Christiani Turcarum attentas. Et quamquàm heic multa in utramque partem de belli jure et fortuna dicerentur; Imperiorum vires expensae, rerum porro gerendarum facultates expositae, opportunitates ostentatae; et a Christianis Numen foederum injuria fractorum vindex, a Turcis mars communis, et rerum omnium maxime bellicarum vicissitudo commemorata, tamen res utrinque integra stabat.

In utramque partem disputatorum summa.

Interea nova extitit opportunitas Caesari ut nihil de postulatis remitteret. Nam a Guilielmo Arausicano primum novi regni facinus fuit, Anglicis Comitiis suadere contra Galliam sumendum bellum; ad quod Hollandenses quoque concivit, et in ejus societatem Caesarem, complures Germaniae Principes, Sabaudiae Ducem, Hispanumque regem pertraxit.

Nova opportunitas oblata Christianis contra Turcas.

Hinc cum diu Turcicae pacis negocium haereret, Angli et Hollandenses Viennam legarunt, qui pacem promoverent, ut Caesarem ab Turcis ociosum ad se totum converterent; sed nihil magis res expedita. Igitur Caesar, ut praecideret moras ex eo obtentu forte natas, quod Turcae potestate se instructos negabant, ut in quae Christiani peterent convenirent, iis permisit ut ad Soleymanem scriberent, qui ipsis ampliora mandaret.

Anglus et Hollandensis pacem promovere conantur;

Sed frustra.

Caesar permittit legatis Turcis, ut ad Soleymanem scribant.

Sed Soleymani interea Primus Vezirius jam rempublicam restituerat. Nam Gengienem et Gedichum turbatores Imperii per dolos feliciter oppresserat, pecuniam undique etiam e sacris conraserat, arma graviter imperarat, classem refecerat; Liberium Geracharium, hominem per Peloponnesum latrociniis infamem, contra Venetos conciverat, qui Euboeam iterum tentare inausi Malvasiam obsidere, sed laevo marte. Moschi Caesares in Tauricam Chersonesum, ubi Hami Tartarorum sedes, ingentem exercitum expediere, qui Przecopum regni claustrum in Isthmo situm obsedere: sed a Tartaris Precopensibus miseram accepere cladem, qua ad quadraginta Moschorum millia caesi; et ni Cosacchorum virtus ingruentem hostem depulisset, omnes ab inter-

Primus Vezirius rempublicam Turcicam restituit.

Gengienem et Gedichum opprimit.

Aes conquirit, exercitum et classem parat.

Venetorum res adversae.

Moschorum a Tartaris accepta clades.

necione non procul aberant. Polono autem regi Valachiam invadere animus erat; sed in Comitiis ea non probata provincia Tartarorum invasionibus et rapinis relicta est: quibus summi Poloniae Lithuaniaeque armorum duces commoti, festinanter equites peditesque ferocissimum quemque cogunt; et nocturno agmine, promptisque iis quae necessaria viderentur, Camenecum tenebrarum silentio invadere destinarunt; sed ob viarum errorem, a diurna luce deprehensi aperta vi adgredi conantur; at eventu nihilo quam totiens antea meliore. Fortuna enim belli uni Caesari constans, Ludovici Badensis virtuti adspirabat, qui summus belli imperator creatus *Nis* aliis Nissam, Bellogradum inter et Sophiam, in via qua vulgo Constantinopolim iter fit positam urbem, armis recipere decrevit: bis cum Turcis pugnavit; primum dubio, deinde dextero utitur proelio; tertio sub Nissae conspectu congreditur, fortissimeque profligat hostes: qui ad decem millia aut occubuere ferro, aut in Moravae fluminis aquis periere: ingentem inde refert praedam, ipsaque urbe Nissa potitur. Hinc Viddinum in Danubii ripa occupat; et magni Dux animi Caesarem per literas exhortatur, ut *triginta veteranorum millia sibi permittat: quam in se recipit; tali exercitu protinus Constantinopolim in ejus potestatem redacturum.* Cl. Holstheinius tamen Uscopiam incendit, et bis mille hostium caedit: Cl. Herbstheimius Licka alios exturbat. Inter quae eminus prospera, cominus Sigetum jamdiu stativa moratum tandem deditum est.

Polonicae reipublicae cessatio Valachiae infesta.

Camenecum solita infelicitate adgrediuntur.

Unius Caesaris res secundae.

Ludovici Badensis laus.

Nissae situs.

Badensis ad Nissam et da Nissa victoriae.

Viddinum occupat.

Badensis ingens animi offert Caesari Constantinopolim in ejus redigere potestatem.

Uscopia incensa.

Capta Licka.

Sigetum deditum.

Id etiam adversi foederato bello aliunde accidit, Innocentii XI Pont. Max. hoc anno supremus dies, magnanimi Sacrorum Principis, et Christiani nominis pietate alteri haud facile comparandi: qui hanc pii belli societatem summa auctoritate firmarat, aequa diligentia fovebat, nec minori liberalitate juvabat. Sed hanc quoque adversitatem Caesar pensat rebus bene ad Rheni ripam gestis: ubi ductu Lotharingii, et administratione Caraphaei Maguntiam Bonnamque reciperat; ita ut Gallus

Alia belli socialis adversa.

Mors Innocentii XI. Laus.

Id improspere rebus a Caesare ad Rhenum bene gestis pensatum.

Maguntia Bonnaque receptae.

Digitized by Google

Gallus sua tueri adactus.

Josephus Austrius rex Romanorum creatus.

rex, qui ultro bellum superiore anno moverat, hoc autem parta defendere adactus sit. Et per idem tempus Josephus Leopoldi filius Austrius Imperii Romani successor consentientibus Germanorum studiis felicissime creatus est.

Pacis negocium haeret.

Legatis Turcis a Senatu rescriptum.

Ex Sociorum consensu Caesar eos domum remittit.

Puttendorfii subsistunt tamen.

Dant meliores conditiones Caesari,

Venetisque;

Sed repudiatae.

Per has secundas Caesaris fortunas, foederatorum aut adversas, aut duras, pacis momenta in neutram adhuc partem propendebant. Cum tandem a Turcico Senatu legatis, ut ipsi ajebant, rescriptum: *Foederatos Christianos, cum res ab superiore anno nihil in summa demutatae essent, oblatis conditionibus contentos esse oportere.* Quamobrem Caesar ex Veneti Polonique consensu eos domum remisit. Pottendorfii tamen aliquantisper morati sunt, spe forsan ut Viennam revocarentur: sed cum summe consentientem foederatorum seu belli seu pacis voluntatem perspexissent, tandem meliores has conditiones dederunt: *Se Caesari omni ditione inter Savum Danubiumque ab eo occupata cessuros; et Themiswar dedituros quoque, modo sibi Bellogradum restitueretur: Venetos autem omnia bello parta optimo sibi jure habituros;* sed nihil magis acceptae sunt: itaque re omni infecta ad suos rediere.

CAPUT VI.

Censet de numero auxiliorum, quae Caesar Rhenanum ad bellum mittat.

Ordo scribendi excusatur,

Apposita similitudine.

Tam multa et varia his tribus praeteritis, quos narravimus, annis Caraphaeus simul gessit egitque, ut satis commixta et perturbata eorum fuisset expositio, si unum temporis ordinem spectare voluissem. Quare mihi saepe quod olitores faciunt imitandum fuit, qui quum inrigant hortos, aquam non ante in secundos surculos derivant, nisi priores, in quos duci coepit, adtributum humorem quantum satis sit plane omnem exhauserint. Ita excu-

satione dignus videar, si superioris anni res, quantum ad pacis expositionem faciebant, modo strictim narratas, hoc loci latius retexerim, ut argumenta, de quibus agitur, quemadmodum genere diversa, ita et locis divisa sint.

Imperii Germanici de Gallia querelae.

Rhenano exorto bello, ab Ratisbonensi Conventu edictum propositum, in quo « Germanica respublica ab Gallia injustam sibi inlatam vim, vicennales fractas inducias, et in Monasteriensis ac Neomagensis pacis leges factum esse » querebatur: « proinde Imperii Romani hostem judicari »: et versae ad Caesarem preces « ut cum Turcis pacem inire malit, victriciaque arma ad Germaniam ab Galliae injuriis vindicandam converteret ». In quo rerum articulo Caesar Turcis ablegatis permisit ut ad suum Patrum Consilium scriberent, quo amplioribus de pace mandatis ornarentur; ac interea temporis de auxilio ad Rhenanum bellum ferendo consultabat.

Gallus Romani Imperii hostis judicatus.

Germeniae ed Caesarem contre Gallum preces.

Eximia Caesaris fides.

Deliberat de auxilio ad Rheni ripam mittendo.

Lotharingius censet ut potenti exercitu Caeser Germaniee trepidanti adsit.

Lotharingius censebat « Caesarem valido exercitu sociis Germaniae Principibus adesse oportere; neque expedire ut per Hungariae deserta ac desolata bellum gereret, et sociorum celebres urbes, cultosque agros a Gallis diripi, incendi, vastari, sanctissimum Imperatorum cinerem pollui ac dissipari pateretur: neque prudentis esse ac generosi regis alienum Imperium fortiter quaerere, et pati suum per negligentiam amitti. Decere autem Germaniae primum et potentissimum Principem in sociali gerendo bello alios auxiliorum copia anteire. Id socios flagitare, a Gallorum celeri potentia alios jam oppressos, alios mox opprimendos. Et metuendum, ne aut nulla aut infirma a Caesare conlata ope, nacti justum obtentum ab eo desertos esse, ad hostes cum gravi Austriaci Imperii pernicie convertantur ».

Quidam solertes rerum, sed iniqui aestimatores haec suadere Lotharingium existimabant, quod is cum suis Caesaris res commisceret; spe, ut conversis ad Rheni ripam armis, Lotharingia sibi ex pacis conditione redderetur. At Caraphaeus eum et ex Austriacae rei dili-

Caraphaeus mo-

destum auxilium a Caesare mittendum censet.

gentia haec dicere, et tamen non oportere censebat « exercitum aestivis ad Bellogradum aerumnis lassum longissimo agmine media hyeme ab Savo ad Rhenum usque procul dubio confici: Turcas non sedulo de pace agere; et omnino inutile, prae studio plurima complectendi, vasto Hungariae regno nec satis munito excedere, ac relinquere hosti nuda omnia et exposita ad omnes ictus. Heic vero illud fieri, alienam rem curare inanis gloriae aviditate, et pati suam negligentia perire. Nondum Hungaricum regnum omnino constabilitum; bonam magnamque partem armis receptam; victis cum victoribus fidam raro amicitiam; et quos vi ad officium revocaveris, vi quoque continendos: nam qui non valent opibus, fortunam tempusque expectare. Cum igitur conjurationis Eperiesinae non extinctum omnino sit sed occlusum incendium, una re a Turcis ad Danubium prospere gesta, et Techelio nocendi occasiones captante, inclusa odia cuncta repente proruptura. Aerarium autem impar uni bello, quod fere semper in hostico gestum est, vetat altero aeque gravi et sumptuoso per socios amicosque agros gerendo implicari. Ac si in omni incipienda re principio diligenter expendendum quid possis, in bellis maxime necessarium: ea enim libere sumi, ceterum aegerrime desinere; nec in ejusdem potestate eorum initium et finem esse. Turcam, ubi viderit divisas Caesaris vires, et infirmam adhuc Hungariam conspexerit, animos resumpturum: nihilque tuto in tanto despici hoste, cum si vel infirmum spreveris tua negligentia valentiorem efficias: et saepe spectatum a communi marte victos erigi, adfligique victores. Ob id unum victorias Caesari noxias, quod eae ducibus hostis contemptum crearint. Jam Viennensi Turcarum clade id Imperium concussum et plane eversum putasse; sed Turcam et post eam tot tantisque aliis acceptis et intestinis malis convulsum semper in sequentes annos maximos exercitus reparasse. Si nunc jam hostium essent effoetae vires, quavis conditione data pacem optarent;

Victis cum victoribus infida amicitia.

Infirmorum consilia.

In bellis suscipiendis principio expendendae vires.

Bellorum initia libera, exitus necessarii.

Quivis hostis non contemnendus.

Mirae communis martis vices.

Formidandae Turcarum opes.

Turcae adflictis rebus animis non demissi.

sed talem offerre, qualem victores, non victi solent. Bellogradum et Transylvaniam imprimis de victoria partis eximere, unicos tam diuturni et intertrimentosi belli fructus, ac firma futurae pacis munimina. Et illud maximi faciendum, ejus belli socios, ubi Caesarem contra communem hostem segniter rem gerere noverint, quemque sibi consilium capturum, ne ut ultimus in solvenda fide, ita auctoritate quoque postremus sit. Hinc si Turca tribus distentus maximis bellis tanta vi Caesari cum summa fortuna belligeranti tamdiu obstiterit, qui ubi tota virium mole bellum gesserit, et armorum fortuna ad hostes transfugerit? Idcirco omnibus copiis Turcicum bellum porro gerendum, vel ob id ipsum ut pax graviori armorum auctoritate consequatur. Ut autem Caesar et socii fidem, et Imperatoris dignitatem apud Germaniae Principes obtineat, ad decem Germanorum millia ab Danubio ad Rhenum divertenda: et eas vastitates solitudinesque Caesari conservandas, quae si rempublicam Hungaricam ordinarit, dignas maximo orbis terrarum Dominatore opes suppeditabunt. Neque metuendum, ne forte socii ad Gallum convertantur: nam aequi bonique consulent rebus Caesaris, occupati bello jam tot ante annos a Turcis inlato, quique Veneto Polonoque foederis fidem tempore potioribus praestat: et sat anxios agere Germaniae Principes de suis regnis longissimae suae cujusque posteritati prodendis, quando Germana cum gente externi Imperii ignoratio cognata est. Proinde verisimile haud videri eos Gallo Europae Monarchiam adfectanti opitulari velle; maxime cum bene norint, quadam ejus regis infelicitate, socialem cum Gallia fidem omnibus qui praestiterint fuisse exitiosam. Bellum praeterea, quo Gallia usa, non esse ejusmodi, quo gentis victae studia victori conciliet. Postremo Germaniae Principes ac Respublicas talem conjunctis viribus tantumque exercitum comparare, ut Gallos nedum armis propulsare, sed ultro petere quoque possint ».

In bellis socialibus saepe fides dignum praemium non refert.

Pax armorum viribus aestimatur.

Temperamentum quo Caesar et bellum cum Turcis gerat, et cum Germaniae sociis Imperatoriam dignitatem obtineat.

Arcanum Imperii Germaniae servandum.

Ab externis nationibus Imperii libertas Germanis ingenita.

Galliae consilium.

Infelicitas.

Sed Caesar dignitatem pluris faciens quam rem, et

Praeclarissima Cae-

saris animi magnitudo,

Qua Caraphaei repudiat, Lotharingii sententiam amplectitur.

imperialem majestatem decere ratus, se uti Germaniae primum ita ceteros Principes ad eam ab externa vi tuendam auxiliorum copiis anteire, Caraphaei consilium utile quidem vidit, sed in Lotharingii sententiam uti digniorem concessit.

CAPUT VII.

Summus exercitus Quaestor cum summa rerum gerendarum potestate belli Rhenani instituendi rationem proponit: quae primum non probata mox rebus ipsis desiderata est: eamque rempublicam in parte administrat, qua Maguntia et Bonna recipiuntur, et Josephus Austrius rex Romanorum creatur.

Numerus auxiliorum evocatus.

Lotharingius Bavarusque praepositi.

Caprara belli legatus.

Caraphaeus Quaestor.

Bello coram administrando omnino necessarius ex Lotharingii judicio.

Copiarum recensio.

Igitur ab Hungaria sex equitum, quatuor peditum legiones evocatae, divisaeque in duos exercitus vires: alter Lotharingio ob spectatam Imperatoris auctoritatem; alter Bavaro ob egregiam virtutem fidemque permissus. Caprara in partem curarum additus. Caraphaeus ejus belli Quaestor cum summa rerum gerendarum potestate adornatus: qui quamquam Viennam a Caesare gravissimis de rebus consultandis revocaretur, mox in castra remissus: nam Lotharingius diserte rescripsit «nisi sibi Caraphaeus adsit, se id bellum gerere omnino non posse» (*). Quindecim millia Lotharingius, cui Saxo Hassiaeque Lantgravius suos conjunxere; decem Bavarus; et tantundem praeterea suorum, ex Imperio septem, et Svevia quatuor; Marchio autem Brandeburgensis viginti millia ductabat.

Lotharingius summae praefectus.

De instituendo bello deliberatio.

Caraphaei sententia de Philisburgo

Belli duces, ut Francofurti convenere, summum rei gerendae arbitrium Lotharingio permittunt; et de provincia armis petenda deliberatum. Caraphaeus censebat Philisburgum primum omnium adgredi; «quo neque cibaria convehenda, et tota belli moles incumberet;

(*) Ex Litteris datis in castris Francofurtensibus die 20 maii 1689.

cunctisque copiis una opera et urbs oppugnaretur, et amicus ager protegeretur universus ». Alii Huningam armis petendam putarunt: quod Caraphaeus non oportere existimavit: « cum nihil ad militem alendum parati, nulla machina, aut aliud belli instrumentum praemissum; quae necessaria ab inferiore ad superiorem Rhenum multo sumptu et tempore, nec satis tuto tamen evehenda. Jam junium mensem medium transactum neque id incoeptum clam hosti facile impedituro. Fore interea ut is ejus temporis usura fruatur; et prae ea urbe castris occupet locum breviori itinere, et per pacata. Eumque, cui in amico agro flumen a fronte, urbs a tergo esset, lacessere temerarium: hinc eum commode quoque posse copiarum partem in Delphinatum mittere ad eos turbidos coercendos. Sed neque Germanis sat virium ad perficiendum incoeptum; nam neque Sveviam neque Franconiam praesidiis omnino esse denudandas; et Helvetios ab Gallia celeriter armata deterritos, jam a partibus integros agere: cui congruit, ut mox quoque Caesaris armis occludant iter; quod ipsum angustissimum a Gallis aliqua copiarum parte occupari potest: unde Germanis viam vi et armis esse muniendam. Ita elusis Huningae destinatis, impedimenta devehenda; in qua re circumducendo agmina tempus acierum omne periturum. Atque haec incommoda, si Galliarum Delphinus urbem defendat; sin negligat, graviora Germanis mala daturum si, iis superiorem versus Rhenum progressis, hostis Philisburgum versus commode remearit; eique Saxone ad resistendum impare, omnem Franconiam Sveviamque ferro igneque vastandam prodi: quibus eversis tamen ei tempus auxilii Huningae ferendi superesse.

primum omnium oppugnando.

Alii Huningam adgredi censent.

Caraphaeus non probat.

Sed his rationibus nihil pensis, ei provinciae decretae Caraphaeus omnia exprompte abundeque subministravit.

Spreta Caraphaei sententia.

At cum non procederet, rebus ipsis mox probata sententia est. Hinc in Consilio proponunt, sex equitum millia infra Coblensium trajicere Rhenum, ut illac iter

Mox rebus ipsis probata.

Sententia Traubachi occupandi.

Treveros faciant, et in agmine Traubachum occupent

Sed neque haec Caraphaeo utilia visa.

Sed id quoque arduum visum Caraphaeo, et intutum *absque tormentis et peditatu arcem natura et arte munitam capere: neque verisimile videri hostem eam protegere expeditum, per ignaviam sinere ut caperetur: et divisas Germanorum copias ab hoste facile caedi posse.* Tamen consilium exequi coeptum. Tum Caraphaeus ad Capraram, qui cum Bavaro seorsum rem gerebat, scripsit (*): « se eam palam improbasse expeditionem, ex qua Saxones profligari, et Svevia Franconiaque omnis exscindi funditus possent ». Quod sane factum, si Galli paullulum substitissent, nec eorum impetus Germanorum fortunae obsecundasset; nam tempori unitae vires, et cladem a Saxone Bavarus cum omni exercitu vindicavit.

Uti mox compertum.

Maguntiam et Bonnam reciperare decretum.

Maguntia opibus ferox.

Ita provecta jam aestate Maguntiam et Bonnam reciperare armis decretum est, cum in hostium fines penetrari, nisi iis urbibus captis, non posset. Maguntiam prius, natura, nuper captam a Gallis arte quoque munitam, decem millium virorum praesidio firmatam, et spe auxilii ab regio exercitu ferendi ferocientem Lotharingius ingenti exercitu obsidet, ac tripartito oppugnat; quarum uni parti ipse, alii Saxo et Bavarus, tertiae Hassianus praeest; et post praeclara ab obsessis et obsessoribus quatuor et viginti dierum spatio virtutis facinora edita in deditionem accepit. Protinus Brandeburgensi Bonnam acriter oppugnanti vires adauctae, et urbs dedita, parta utrisque per alteros et victoribus et victis virtutis laude.

Potenter oppugnatur

Egregia virtute capitur.

Bonna aequa laude recipitur.

Caraphaei in his expugnationibus officia;

Belli necessitatibus praesto esse;

Militem innocentem habere;

Praecipuae Caraphaei in his duabus oppugnationibus curae fuere, omnia rebus gerendis vel sua fide coempta abunde temporique suppeditare; militem ab amicis agris innocentissimum continere; aemulis gloriae ducibus, Lotharingio maxime Bavaroque, omnes certaminum caus-

(*) Ex lib. V Epist. Caraphaei ad summos belli Duces, Principes aliosque amplissimos viros.

sas praecidere, ea arte cujusque munia disponendo, ut semper secreti rem gererent; prae ceteris autem Germanorum Principum studia in Augustam Domum cuncta conciliare.

Ducibus dissidiorum caussas praecidere; Germaniae studia Caesarem conciliare.

Quare hic annus MDCLXXXIX, Imperii ex omnibus quot Leopoldus id rexit, videtur gloria cumulatissimus: qui eodem tempore locis immenso spacio dissitis, ad Moravam Rhenumque de duobus maximis orbis terrarum Imperiis, Gallico Turcicoque, praeclarissimas victorias retulit: et in alterius fructum a Ludovico Badensi magno animo rogatur, *ut suo ductui triginta virorum millia permittat; nam ejus auspiciis fretu, spondet se Constantinopoli potiturum:* alteri autem victoriae ad occidentem accessit Josephus Leopoldi filius Austrius, justa jam aetate successor Imperii, olim *Caesar*, nunc *Rex Romanorum* dictus, consentientibus VII Virorum Imperii suffragiis creatus. Tanta et tam mira rerum commutatione facta, ut qui sex ante annis Vienna obsessa in grave de summa rerum discrimen adductus fuerat, ut Gallici nominis studiosi, qui de Austria Domo in Borboniam Imperium Romanum translatum cupiebant, Germaniae rebus, quas jam desperatas sibi videre videbantur, salutem ab uno Ludovico XIV expectarent, nunc regno Hungarico ferme universo reciperato, Transylvaniae, Slavoniae, Serviae, Bozinae Bulgariaeque regnis insuper auctus, Turcici Imperii augusto capiti Constantinopoli immineat; conditiones pacis infra suam fortunam a Turcis adlatas dedignetur; Germaniae libertatem ab Galliae celeri vi et summa potentia vindicet; et ingenti regis exercitu, de castris tutissimo loco positis pene inspectante, Maguntiam Bonnamque reciperet; Asiae clades, et in Europa sociorum regum praesidium, hostium terror, Imperiique Romani salus decusque.

MDCLXXXIX annus Imperii Leopoldi omnium gloria refertissimus.

Ludovici Badensis magnanima conditio Caesari oblata.

Josephus Austrius Rex Romanorum creatur.

Austria Domus sub tutela Summi Numinis praesentissima.

Aemulorum Austriae Domus delusae spes.

Elogium Leopoldi Imperatoris gloria praeclarissimi.

CAPUT VIII.

Complura de ratione belli Turcici utilia censet: quibus posthabitis multum mali Germano militi ab hoste datur: Bellogradum ab eodem recipitur: a jactura parum abest Essechum; Transylvania discrimini objicitur.

Caraphaeus censet ne, Nissa capta, hyberna in Bulgaria Valachiaque disponantur.

Sed Caraphaeus, ut tantam hanc Caesari servet felicitatem, ei dum Augustae Vindelicorum manebat, suadere ne, Nissa capta, hyberna in Bulgaria Valachiaque disponerentur; et pericula, quibus miles objectabatur, praedicere: « parvum sane numerum prae vasta immunitaque ditione inter innumeros hostes obtinenda: militem ab omni auxilio longe semotum, et infidae gentis pudori commissum; in cujus salute et Hungariae Transylvaniaeque salus, et armorum dignitas stabat. Perculsos quidem animis Turcas, sed notum illud, plus locum saepe quam virtutem proficere: neque ita profligatum hostem putandum, qui nullam Germanis cladem dare possit, nec audeat. Jam eum nosse, Christianos in communis nominis perniciem contra se ipsos convertisse arma; et scire his Christianorum intestinis motibus suum Imperium consistere: neque per tot acceptas clades ullum adhuc ei integrum ereptum regnum; neque unquam in posteriores belli annos magnis exercitibus reparandis effoetum. Nimis sibi indulgere qui putant, parva manu, parvaque in aggerem effossa terra eum deterreri, quin novam experiatur fortunam: quae si adspiret, quos animos resumpturum in prosperis putandum, qui nullos tot adversis desponderat? Ingentem quidem tributi utilitatem propositam, quod ex iis regnis aerario Caesaris penderetur. Sed multo cariori earum legionum salutem stare; nam si quid iis adversi acciderit, ne omnis Hungaria in casum detur, ab Rheni ripa usque exercitum reducendum. Hinc cum damno decus armorum perire;

Loci in bellis utilitas.

Armorum dignitas quid valeat.

quae fama magis quam vi respublicas conservant, et plerumque ipsa auctoritate bella profligant ».

Caraphaei sententia posthabita.

Id tamen consilium aspernati, praeter Nissam Epirum versus in munimento *Pristina* appellato, quod Turcae ultro deseruerant, quinque legiones ad transigendam ibi hyemem sub Strasserii Ducis imperio conlocarunt. Is autem ut militem cum hostium damno exerceret, cum eo saepe hostilem agrum praedabundus excurrere. Sed tandem ab ingenti Tartarorum numero circumventus, quamquam desperatis rebus eximiam pugnandi advocasset virtutem, tamen ad mille virorum caesa; in quibus praeclari militiae ordinibus viri, et Carolus Hannowerianus Princeps occubuere. Reliquum copiarum Veteranius, Pristina derelicta, in tutiora recepit. Solata est tamen hanc cladem Canissa, inter paludes in Stiriae Croatiaeque finibus sita, quae duos perpetuos annos stativis circumsessa, tandem primo hujus anni ineunte vere dedita est.

Strasseriana clades.

Canissa recepta.

MDCXC.

Caraphaeus repraesentata stipe Strasserianam cladem solatur.

Sed Caraphaeus nihilo inde meliora sibi fingens, stipendium Veteranio et Heislerio large repraesentavit, quo miles aspera perlata leniret; censuitque ut eae legiones in Croatia reciperentur, Nissaque incenderetur (*). « Eam enim urbem neque valido exercitu obtinere facultas erat; et ut esset, non oportebat ingenti sumptu; et ut oporteret, per temporis angustias non licebat communire urbem, quam Turcas, cum in acies copias educerent, verisimile erat ut ex omnibus regiae proximam, et a Germanis auxiliis longissime dissitam, ita primam omnium adgressuros. Pro Nissa autem vili oppido obtinendo, Transylvaniam florentissimum regnum praesidiis exuere inutile omnino videri. Neque ea derelicta armorum minui auctoritatem; quin ob id ipsum servari, quod sedulo curetur ne ulla unquam iis temeritatis nota inuratur. Non enim eam esse munimentum aliquod ab hostibus longe sepositum, ubi Turca in eo reciperando

Censet Nissam incendi oportere.

Armorum dignitas utilitate vel damno aestimatur.

(*) In quam sententiam Ludovicus Badensis quoque ibat.

diu deterat vires: eam quasi in Constantinopolis conspectu esse, et vel munitam paucos dies adtinere hostem posse: eoque consilio remedia potius malorum queri, quam mala ipsa diferri: et imprudentis esse in diem vivere, non in longitudinem providere. Hostem longe arcendum quidem a tuis: sed vires juxta sitas, non vastitatibus interjectis, longe circumspice. Id vero se censere, Bellogradum communiendum, quod facile factu et parvo sumptu, in egregiam praestantemque munimenti formam redigeretur; idque commodante praeterea loci natura, ut quosvis hostium frangeret impetus, et omnia victoriis hactenus parta servaret ».

Censet Bellogradum valide firmandum.

Sententia Caraphaei in sequiorem partem accepta.

Caraphaeus adversae sententiae exequendae commodat.

Sententia Caraphaei tilis eventu spectata.

Sententia vero Caraphaei in eam partem ab aemulis accepta, tamquam Veteranii gloriae invideret. Sed eam de se opinionem statim disjecit, quod ad Nissam communiendam, et commeatus copiis a Danubio longe progressis convehendos, ingentem erogavit pecuniam: et mox res ipsae eum ex vero, et Caesaris utilitate dignitateque ea quae diceret dixisse confirmarunt.

Improbat Heislerianam hyberonrum dispositionem in Transylvania.

Improbarat quoque, Heislerium paucas copias per quamplurima Transylvaniae loca dissipasse, ut omnes ejus provinciae aditus custodiret; ei metuens manipulorum dispositioni, ne, dum singuli pugnarent, universi vincerentur: idque adposito et gravi Ragoctii Principis exemplo firmabat, qui ob id ipsum erratum ad *ferream Portam* Transylvaniae aditum, qui paullo supra Karansebem patet, fusus est.

Sub adposito et gravi exemplo.

Caraphaeus formidinis insimulatus.

Visum aemulis consilium ex formidine magis quam prudentia provenire. Sed non diu abiit, quod Primus Vezirius, victoria de Strasseriano exercitu ad Nissam relata ferox, nedum una belli mole rem gerere, sed divisis copiis duas provincias adgredi constituit; sibi Hungariam delegit, Techelio Transylvaniam demandavit. Nam tandem Michael Apaffius, senio, morbis curisque animi confectus, vitam obivit. Turcarum Dominus id Techelio regnum beneficio concessit; et quindecim virorum millia partim Turcas, partim Tartaros ei ductandos adtribuit,

Strasserianae cladis damna.

Michaelis Apaffii mors.

Techelius Transylvanorum Princeps a Turcis adpellatus.

Regnum armis inire conatur.

quibus caperet ejus regni possessionem. Ubi hostis adfuit, Transylvana militia Telechii odione, an Techelii studio, an reipublicae ut alienae neglectu, arma deposuere. Nihilo tamen minus Heislerius forti animo cum perduelle congressus est; sed non merita fortuna usus: nam Germani ingenti barbarorum numero impares; ipse Auriaque praeter minores militiae ordines capti; ad mille militum caesi; reliqui fuga et errore suae cujusque saluti consuluere. Techelius eo secundo proelio regnum animo invaserat: indicit Comitia, in quibus in sua Transylvani Principis verba jurarent. Sed vix eo viginti postremi omnium ac perditissimi novatores convenere; boni autem omnes Caesari obsequium conservarunt. Badensis his obnunciatis improsperis, Nissa Bellogradoque quo licebat praesidio firmatis, trajectoque confestim Danubio, praesentissimum dubiis rebus Transylvanicis auxilium adtulit: et exercitu quindecim millium veteranorum militum Techelium proelio lacessivit: sed detrectantem ad *Portam* usque *ferream* persequutus e regni finibus exterminavit: Veteranium Provinciae tutandae cum septem legionibus imposuit, Transylvaniamque servavit.

Heislerii virtus infortunata.

Heislerii et Auriae captivitas.

Techelii vanitas.

Transylvanorum in Caesarem spectata fides.

Badensis Transylvaniae periclitanti adeurrit;

Techelium fugat;

Transylvaniae servator.

At Servia non pericula malorum, sed mala ipsa satis foeda et deploranda mox subiit. Nam Vezirius actuariis navibus ab Euxino in Danubium copias, quae Viddinum reciperarent, et commeatum quo in aestivis sustentarentur, subvexit. Ipse kal. augusti ab Sophia castra movens cum sexaginta millium Turcarum numero arcem Pirotum in agmine statim in deditionem accepit. Protinus Nissam adgreditur; quam Guidus Starembergius cum tribus peditum millibus et quadringentis equitibus defensabat: sed ostentata aliquantisper egregia virtute, expes auxilii eam dedidit: eaque capta, statim Viddinum ex pacto, Semendria vi recepta.

Turcarum Bellogradensis expeditio.

Primus Vezirius Pirotum capit.

Nissam adgreditur.

Egregia Starembergii virtus auxilio destituta.

Nissa dedita.

Viddinum ex pacto, Semendria vi recepta.

His Barbarus elatus, Bellogradum versus movet; et kal. octobris eadem qua Bavarus ratione oppugnare instituit. Eam sex mille fortes fidique Germani viri prae-

Turcae Bellogradum oppugnant:

Digitized by Google

sidio sub duce Croyio tuebantur: et spes erat, autumno imbrium perenni provecto, praesidii virtute, cibariorum copia, hostem segniter rem gerentem eludere: cum teterrimum incendium in turri, ubi tormentarius pulvis condebatur, sat Turcis exoptandum, exortum est, quod ingenti clade milites paganosque fere omnes corripuit, urbemque hostibus prodidit; jacturaque facta Christiano nomini omni tempore tristis, nec ullo unquam solatio lenienda: vix septingenti, navibus forte fortuna oblatis, in ulteriorem ripam sospites evasere.

Praeter spem recipiunt.

Jacturae gravitas.

Primus Vazirius Essechum tentat.

Extemplo Vezirius cum quindecim Turcarum millibus Bozina Essechum movit; suane fretus virtute, an fortuna inlectus, ut ibi quoque aliam, uti Bellogradi, opportunitatem feliciter nancisceretur. Croyius equitatum commeatumque omnem extemplo cis pontem recepit; et eximia virtute hostem bis munimina convellere conatum bis repulit. Itaque cum ex Croyi vigilantia Turcis destinata non succederent, noctu tamquam fusi silentio convasarunt, ita festinanter ut magnam tormentorum copiam relinquerent.

Ducis Croyi providentia, Virtus, Vigilantia.

Turcae Lippam aequis conditionibus recipiunt.

Dignitatem armorum ad Essechum minutam Vezirius Lippae integravit, quam, Turcarum cuneis et Tartarorum catervis intra Marusium Danubiumque locatis, obsedit. Substinuit aliquandiu praesidium oppugnationem: tandem aequis conditionibus acceptis urbs dedita.

Gravosissima Caraphaei auctoritas.

Ob haec omnia quae, quia Caraphaei sententiae repudiatae fuerant, invenuste infeliciterque accidere, mirum quantum is crevit auctoritate: et rebus ipsis confirmatum judicium, quod de eo Lotharingius belli imperator suae tempestatis omnium praeclarissimus morti proximus honorificentissime protulit: *Si sibi vita suppeteret, in omni postea gerendo bello Caraphaei consilio usurum* (*).

Lotharingii judicium de militari scientia Caraphaei praeclarissimum.

(*) Com. Taaff Lotharingii Ducis adolescentis rector in suis ad Caraphaeum literis, ex lib. V Epist.

CAPUT IX.

Ad Italiae Principes et Respublicas cum summa rerum potestate Romani Imperii legatus bellum Italicum contra Galliam gravius instaurat. Omnium asperrimam offendit provinciam; et tenuiorum Principum aliis hospitia militi, aliis stipendia, uti et Lucensi Reipublicae imperat.

Interea a Guilielmo Aurisicano, vires Europae Principum compensante, Sabaudia alterum ab Hollandia momentum expensa est, ne Gallia in regna ab occidente sita propenderet. Nam immensarum objectu Alpium, quae praestantissimis passim consitae sunt munimentis, et ejus Ducis virtute et prudentia, eam uti solam Galliae omnino imparem, ita foederibus adjutam gravissimam hostem existimabat. Et vero Victorius Amadeus tanti se valere magno animo senserat, quum ab Ludovico XIV ad Portugalliae regnum capessendum ejus reginae nuptiis fuerat invitatus; deinde ab Leopoldo Caesare beneficio ingentis ditionis in proximo inlectus est, ut in ejus partibus staret; hoc maluit, studio tradendi posteris ampliorem quam a majoribus acceperat Principatum; itaque in belli foedus cum Caesare, Anglo Hispanoque convenit.

Sabaudiae vires.

Victorii Amadei Allobrogum Ducis laus.

Sabaudus sociala contra Galliam bellum init:

Ibi tum Galliae rex, ab eo metuens ne Delphinatum turbidam intus provinciam invaderet, sedecim millium virorum exercitum Pedemontium immisit, sub Catinati ductu Salutium occupaturi. Allobrogo jam a Caesare justum auxilium sub Eugenii Sabaudi Principis imperio missum, qui jam maximi armorum imperatoris, qualis postea fuit, prima specimina dederat. Germano auxilio Hispanum adjunctum, cui Fuensalidanus Mediolanensium Rector moderabatur. Itaque Allobrox, penes quem summa erat, triginta virorum millibus civibus sociisque imperabat. Sed ad Staffardam, secundante Gallis loco, proe-

Quem Rex Gallus bello praevertit.

Caesar Sabaudo auxiliis adest.

Eugenii Sabaudi Principis laus.

Auxilia Hispaniensia.

Sociorum in Italia copiae.

*Staffardensis cla-

lies sociis a Catinato Duce Gallo data.

lium a Catinato commissum, quo acerrime ab Hispanis Germanisque maxime ad octo ferme horas pugnatum: tandem foederatus exercitus quatuor ferme millibus caesis, fusus est; Salutium captum; sed non incruenta Gallis victoria, cui Susa mox situs opportunitatibus utilissima cessit quoque. Eugenius in Monteferratensi agro quatuor Germanorum millibus hyberna disposuit: ubi a gente sua sponte infensa, et ab Gallo arci Casali Praefecto concita, Gallisque commixta graviter infestatus Germanus miles; et quem ociari ab exercita aestate par erat, sub armis saevam hyemem tolerabat. Ferdinandus Objicius exercitus Quaestor ab omnibus Imperii beneficiariis stipendium conquirebat.

Salutium a Gallis captum; mox Susa.

Hiberna a Germanis in Monteferratensi solicite agitata.

Ferdinandus Objicius Germani exercitus Quaestor.

At Dux Allobrogum suis dubiis rebus, cum quibus Italiae discrimina confundebat, validius a Caesare auxilium implorabat; orabatque Caraphaeum (*) ut *qua polleret apud Caesarem auctoritate, maturaret.* Etenim Catinatus Staffardensi utens victoria, aliis duobus minoribus munitis oppidis captis, Carmaniolam occupaverat; et agrum late circumjectum igne ferroque defoedans, Cuneum obsederat: sed praesenti per Eugenium adlato auxilio trepidanter obsidium solverat. Cum Maximilianus Emmanuel Bavariae Dux duodecim Germanorum millia auxilio traducit: cui Caraphaeus summi armorum Imperii legatus a Caesare additus, et ad Italiae Principes ac Respublicas quoque cum summa rerum gerendarum potestate Romani Imperii legatus missus.

Sabaudus orat Caraphaeum, ut validiora sibi auxilia maturet.

Carmaniola a Catinato occupata; Cuneus obsidetur: ab Eugenio liberatur. Bavariae Dux cum exercitu in Italia: Cui Caraphaeus in summo armorum imperio legatus;

Et ad Italiae Principes et Respublicas cum summa potestate Imperii Romani legatus missus.

Ultimo mense augusto advenere, et sub ipso adventu Carmaniolam recipiunt: qua victoria et foederatorum armis dignitas super Cuneum servatum aucta, et hybernis per Italiam disponendis in Monteferratensi potissimum agro secura parta commoditas. Hinc pergunt Susam armis recipere: sed ex ipsius urbis invicto situ et loco satis superiore, quem Galli suis castris legerant et

Carmaniola a Germanis reciperata. Ejus victoriae utilitas.

Susa tentatur:

Inglorio tamen conatu;

(*) Ex lib. V Epistolarum summorum Principum ac belli Ducum ad Caraphaeum.

valide communierant, autumnoque jam inter nivosa montium praematuro, inde castra sine omni offensione ex Caraphaei providentia movere.

Sed Caraphaei providentia indemnis miles.

Isque Mediolanum ad hybernorum curam abscessit; atque heic offendit provinciam omnium quotquot unquam antea gesserat asperrimam et maximis gravissimisque difficultatibus impeditam: quam si remissius administret, summam foederati belli rem prodit; sin acrius tractet, apud omnes Italos intenta invidia deflagrat. Etenim subsidia belli Allobrogo Duci ab Anglo, Caraphaeo a Germania, Philippo Gusmano Mediolanensium Rectori ab Hispanis aut nulla aut paucissima mittebantur. Si mittantur e Germania stipendia militi, Germanici Hungaricique belli nervi languescunt; sin exercitus in Germaniam reducatur, foederati belli omnis cum dignitate res deperit; quod Italicum bellum Gallo omnium gravissimum esset; cujus caussa ad Rhenum in arcendo tantum hoste occupabatur; in Catalaunia substiterat; et quamquam terra de ingenti exercitu in Belgio, marique de Anglica Batavicaque classe praeclaras victorias retulisset, tamen anxie et apud Innocentium XII Pont. Max. et apud Venetos Patres Italiae pacem proponebat. Nam prudentes rerum (*) existimabant, eam Galliae multo majori stare quam si a Jacobo Angliae rege Hibernia ad obsequium redigeretur. Etenim si illa augeat Guilielmi potentiam, adlevat quoque Gallum ab onere ingentis classis, qua id regnum obtineat; sed Italici belli moles tota immensis ejus sumptibus substinenda.

Caraphaeus Mediolani.

Hybernorum provinciam asperam et ancipitem offendit.

Bellum Italicum Gallo omnium gravissimum.

Sed quanta erat ejus belli necessitas utilitasque foederatis, aeque tanta difficultas administrandi: quae his ipsis diebus magis implicita est, quibus a Catinato Momilianum ab anno usque superiore stativis obsessum, medio novembri mense inter foedam imbrium niviumque labem egregia constantiae laude oppugnatum captumque est: quam urbem sive obtineant Galli, sive demo-

Belli Italici administrandi difficultas.

Momilianum a Catinato captum.

(*) Ex Epistola Ducis Carlinfordii ad Caraphaeum, lib. V Epist.

Galli in Pedemontano ad faciendum injurias prompti, ad accipiendum difficiles.

liantur, Pedemontis usquequaque vastandi compotes facti: contra ipsi sua eximiis munimentis angustissimisque montium faucibus et haud spernendo exercitu omnibus rebus instructo protegere.

Italia belli onerum insolens.

At hercule Italiae Principes longa satis aetate onerum incommodorumque belli insolentes; et tamen eorum studia erga Caesarem conservanda, et ab iisdem eroganda stipendia militi. Hinc genticorum indolens vicem, qua ut patent terra Germanis, ita mari sint Gallis obnoxii, ad Caesarem scribit (*) « ut Hispanum, Anglum et Batavum urgeat, qui classem in Mediterraneum adproperent, ut Italos Principes ac Respublicas a maritimis Gallorum insultibus arceant »: ipse autem sedulo animum adplicat ita belli necessaria comparare ac disponere, ut sequenti anno foederati bellum in Galliam inferant, eoque pacto Italiam et ab metu Gallici dominatus, et ab onere hybernorum Germanicorum liberaret. Igitur se comparat omni officio Italiae Principes prosequi, obfirmatus in eo tamen, ut de eorum conlato aere Germanorum copiae substententur.

Caraphaeus miseratus Italiae conditionem censet a sociis classem in Mediterraneum maturandam, ut ab Galliae incendiis tutasit:

Ipse curat ut sequenti anno bellum de Italia in Galliam transferatur.

Caraphaei artes ab obtinenda Italorum studia, et aes tamen conrogandum.

Ingens Caraphaei persona apud Italos.

Conveniunt Mediolani ad officium, quo tantam ei in Italia potestatem gratulentur, omnes ferme Italiae Principes ac Respublicae, sive per ablegatos suos ibidem agentes, sive ad id missos, sive adeo ipsi coram: aliique adflictis rebus suis opem petunt; alii suis controversiis jus postulant; alii suis periculis praesidium implorant; omnes hybernorum onus aut in totum aut ex parte deprecantur. Vincentius Gonzaga ei exponit « Guastallam Augustae Domui obsequentissimam ab Hispanis misere muris foedeque denudatam; seque fortunis omnibus exutum, ac Venetiis extorrem agere vitam; uxorem liberosque suos Guastallae vix de pauculis fortunis relictis victitantes ejus fidei commendat ». Franciscus Gonzaga: «se sua ditione injuria exutum; domo vi et armis ejectum; in agris exulantem exitiosis petitum insidiis; et

Eum precibus adeunt Vincentius Gonzaga Guastalla exul.

Franciscus Gonzaga exul quoque.

(*) Ex lib. Epist. Caraphaei ad Caesarem, ep. 174.

apud amicos precariam vitam proferre coram » conqueritur. Castellionensium Princeps: « ab suis perduellibus infestari, ne arce quidem protegi satis tuto ». Novellariae Comes: « hyberna superiore anno perlata - docet, - subditos egentissimos, agrum totum ferme Pontificiorum immunem ». Brigida Pica, nepotis pupilli Mirandolanorum Principis tutelae a filio data, « domum intestinis odiis convulsam et perduellionibus infectam - pandit -; et puero Principi, scelestis insidiis obnoxio ejus patrocinium » - obtestatur -. Dux Sabionetae: « se ab Hispanis ejus munimenti possessione turbari - expostulat, - eamque arcem sibi a Romani Imperii legato servari » - orat -. Princeps autem Carpineus: « sua a Florentinorum Duce usurpata accusat; et aequum ab eo jus - postulat - contra vim ». Populonenses: « suae summae rei arma Hispanos habere: aerarium ad Joh. Baptistae Ludovisii Principis creditores dilapsum; legum sibi dumtaxat ministerium relictum » - ajunt -. Ambrosius Auria Capriatae: « graves Germanorum minas » - deprecatur -. Massae Carrariae Dux: « lapidicinas et cautes latifundia suorum civium esse; et bello terra marique grassante, id miserum industriae vectigal pernegatum ». - Omnes « adgnoscere Imperatoris jura, omnes cupere in stipendiis conferendis ostentare munificentiam; sed vires impares votis: rectius pro beneficiariorum Romani Imperii officio arma ipsos induere; et quas Caraphaeus imperet agminum et acierum aerumnas perferre ». Quibus omnibus Principibus Italiae viris in reliquis eorum rebus aut ipse ex sui vi muneris, aut apud Caesarem auctoritate satisfecit: de tributis autem qua potuit misera ratione commodavit, ut sive militum hospitium in pecuniam commutaret, sive copiarum numerum sive indictam aeris summam ad aequiorem rationem redigeret.

Castellionensium Princeps infestatus a suis.

Novellariae Comes.

Brigida Pica ob Mirandulani Ducis pupilli Domum intestinis odiis labefactatam.

Dux Sabionetae sui beneficii possessione turbatus.

Princeps Carpineus adversos Florentinum Ducem jus postulat.

Populonenses, Principis fisco ad creditores dilapso.

Ambrosius Auria.

Dux Massae Carrariae.

Imperii beneficiarii jus Caesaris adgnoscunt.

Caraphaeus in Italos Principes, quantum per belli necessitates licet, officiosissimus.

Lucenses autem Cardinalem Bonvisium, Pontificem et popularem suum, Caraphaei amicum summum, precatorem sibi pararunt. Is igitur per literas exponebat « Lucensem libertatem a Rodulpho I Imp. fundatam, a Ca-

Cardinalis Bonvisius Caraphaeum pro Lucensibus deprecatur.

rolo V adsertam, in obsequii pudore erga Caesares constantissimam semper fuisse; et praeter antiqua exempla, Viennensi nuper bello ex omnibus Italis eos unos non inliberale pro copia subsidium aeris misisse. Ast alios Italiae Principes pro temporibus studia in Austriam Domum sumere; alios per clientelarum injuriam Caesaris aemulis hostibusque firmissima Italiae munimenta commodare. Demereri Lucenses non pari cum iis jure censeri, qui sua vel perversitate vel inconstantia Caesarem saepe ad Italica bella traxere. Sed et id non modo honestum, utile etiam Caesari, urbem Italiae munitissimam et situs commodis opportunissimam ei non everti, sed stare mediam inter Principes potentiores ejus libertati graviter imminentes; ad quam obtinendam totum ferme tenue aerarium absumit. Eam enim prorsus convelli Rempublicam, si per ejus fines hyberna disponat, cujus cives feroces, libertatis obstinati, cultuque ita frequentes, ut vix ejus angustiis contineantur. Ad haec, jacentes campos per duos superiores perpetuos annos fluminum inundatione dilutos nondum coaluisse: populum acri, anni superioris annona adhuc languere: hinc holoserici artificium incelebratum, de quo indigenarum industria victitat, atque adeo cum Gallis victitat, qui certe id sibi occludent tenue lucrum, ubi cognorint eos hyberna Germanica ultro pati. Utrisque igitur utile si quam possint conlatam aeris opem ab iis accipiat; et in uberiori agro militem alat, inopemque et a bellorum tumultibus longe sepositum deserat. Haec suo spectato in Caesarem obsequio, suisque in Caraphaeum ipsum meritis obsecrare, ut privatam si quam apud eum gratiam inierit, nunc in communem suae patriae utilitatem retulerit ». Quibus Bonvisii officiis, et Lucensium meritis, et utilitatis momentis Caraphaeus lubens flexit, et aequa conlati aeris summa contentus est.

Luca munita Italiae urbs.

Anxia libertatis cum adfinibus Florentino et Mutinensi

Civium natura et cultus.

Holoserici artificio cum Gallis vivunt.

Eximia Bonvisii in patriam pietas.

Digitized by Google

CAPUT X.

Cum potentioribus Italiae regulis, maxime cum Mantuano et Parmensi Duce, impeditiorem hybernorum rem expedit: et cum Innocentio XII Pont. Max. Italiae armis turbatae invidiam a Caesare in Galliae regem transfert.

Turbatiores init et impeditiores a potentioribus Italiae regulis et Genuensi Republica amfractus rerum. Antequam militem in hyberna reduceret, Italiae Principes, maxime Dux Mantuanus, qui gravissima omnium hyberna anno superiore pertulerat, Romanum Pontificem precatus est « ut ad Romanum Imperatorem et Hispaniae regem scriberet, qui abstinerent hybernis Italiae Principes onerare; qui cum in nullam cum iis belli societatem venissent, uti nulla ex armis commoda, ita nulla quoque accipere damna aequum erat ». Nuncios ea de re in Germaniam Hispaniamque Summus Pontifex misit, cum ut iis gratum faceret, tum quia Italiae ocium turbari iniquo animo patiebatur. Sed quia Nuncii cessabant remitti, et hybernandi tempus adventabat, veriti ne Caraphaeus designata hyberna ad effectum perduceret, amplissimus Spata Cardinalis ex Pontificis Maximi mandato ad amplissimum Cardinalem Vicecomitem Mediolanensium Pontificem scribit, « qui Caraphaeum doceat Summum Pontificem Italiae pacem impense cupere; eumque ipsius nomine roget ut, qua summa rerum pollet auctoritate, in haec pia Pontificis Maximi desideria connitatur; et Mantuanum integrum a partibus agere sinat ». Innocentius enim in consiliis de republica, quibus amplissimi Carpineus, Spata, Panciaticus et Albanus cardinales conveniebant, et ab Galliae regis legato persuasus erat « per Galliae regem nullam esse moram quin Italia suae tranquillitati restitueretur, cum pacem Sabaudo obtulisset, modo is Taurinensem arcem et Ver-

Dux Mantuanus Pontificiem Romanum implorat pro hybernorum onere declinando.

Summus Pontifex pro iis scribit ad Imperatorem et Hispan. Regem.

Summus Pontifex significat Caraphaeo se Italiae pacem cupere.

Quae pacis conditiones ab Galliae rege Italiae oblatae?

ruam sibi traderet; easque pace cum foederatis hostibus facta redditurum; et Summum Pontificem Venetamque Rempublicam suae fidei expromissores dare: et aliam apud Venetos Patres obtulisse pacis conditionem, se ab Italia revocaturum arma, modo Caesar et rex Hispanus sua quoque revocarent; ac Romanus Pontifex, Veneta Respublica et Dux Florentinorum sua fide eos id praestituros desponderent ».

Igitur Vicecomes ubi id a Pontifice Maximo in mandatis accepit, cum ea de re agere cum Caraphaeo coram non posset, ut qui id temporis Alexandriae erat, per literas docuit: quibus Caraphaeus in hanc sententiam respondit (*).

Cum summo Pontifice Italiae armis turbatae invidiam a Caesare in Galliae regem transmovet.

« Summum Pontificem pro sua in omnes gentis Christianae Principes aequa pietate facere, dum Galliae regem Caesaremque tanto studio pacari cupiat: sed enim animum inducere non posse ut iniquam Caesari pacem optet; maxime cum Galliae rex regni proferendi cupiditate, Caesar autem pacis studio, justitiae cultu et socialis fidei gloria ducatur: quem constat per omne imperii sui tempus nunquam sumpsisse ultro arma, sed necessitate adactum, ut vel sua vel sociorum servaret. Et vero nuper eximia icti foederis fide, qua communem Imperii Germanici salutem protutari juraverat, cum Gallia, vicennalibus spretis induciis, Philisburgum occupasset; contra eam ab Morava usque fluvio convertisse ad Rhenum arma una gloria contentum quod duos Imperii VII Viros Pontifices suis regnorum sedibus restituisset. Neque vero vel cum ipso Turca mansuetum Leopoldum belligerare, nisi rupti foederis injuria lacessitum. Quae cum humano generi cuncta constent, audacter judicandum, eum non regni cupiditate, sed ex so-

(*) Haec Epistola per omnes ferme Europae Aulas evulgata quamplurimum auctoritatis Caraphaeo comparavit, nec opinantes militarem virum tanta civili scientia et tam solida eloquentia praeditum esse.

ciali fide Allobrogo, aliisque Italiae Principibus, qui illius casu omnes procul dubio concidissent, tulisse opem: vel hoc nomine facinus pio Imperatore et magnanimo dignum, quod vires ad tuenda sua ipsius regna hebetarit, ut protegeret aliena. Cum igitur Caesaris sit praecipua regni ars pace partis pacatum frui, rectius commodiusque Innocentius XII Pont. Max. fecisset si Parisium legasset, qui pacem Italiae, atque adeo universae Europae Christianae ab Gallorum rege imploraret; quam si aequam dederit, nihil magis studiose Caesarem foederatosque reges accepturos, qui ideo bellum gerunt, ut ab Gallia aequum reportent. Etenim se certo scire hanc Pontificis Maximi mentem esse, qui a Summo Numine exactae officiorum disciplinae inter Christianos praepositus est; ac si vel honesto partium studio duci posset, se eum putare Caesari aequiorem futurum, qui populos sibi subjectos et aeraria exhausit ut Christianum nomen universum ab Turcica servitute foedissima vindicaret; et nunc indolet sibi ab Gallo pulcherrimam et brevissimam ereptam occasionem, qua Romanus Pontifex Romana Christianorum sacra Constantinopoli indiceret. Sed nunc demirari, in ditionem Romani Pontificis recipi Mantuanos, qui tributo pendendo Caesari, quod Imperii clientes debent, frequenti numero subducuntur; et a Pontificiis Germanum militem victus commercio prohiberi, ut fame misere pereat, satis immerenter tamen. Hos enim eos ipsos milites esse, qui immanem Christianorum sacrorum hostem e Romae cervicibus Viennensi victoria depulere: et ex sedulis Leopoldi mandatis, suaque severa disciplinae cura a familiis civibusque Pontificiae ditionis innocentissimi agunt, ut Bononiensium ac Ferrariensium legati innocentiam Germani militis suis ad Pontificem epistolis palam laudarint. Contra meminisse eum oporteret (satis enim recentia) ab Gallo rege Avenionem usurpatum; Alexandrum VII in angustias misere conjectum; ingentes turbas quas in urbe Roma Lavardinus Galliae legatus con-

civerit: et prospicere expediret, Sorbonae Decreta in Pontificiae potestatis minutionem altissime penetrare. Quamobrem si et Pontificis Maximi et Principis summi partes perageret, fovere eum Caesaris exercitum deberet, Italiae ab Gallis liberatorem. Se quidem in Italia terra natum genticorum pietate adfici; sed non prae studio aequum putare ut dum exercitus, qui hereditaria Caesaris tuetur regna, stipendiis laborat, copiae quae aliena protegunt, Caesaris aere sustententur: et milites, quibus ad Rheni ripam, si in eam provinciam missi essent, domi suae in hybernis stipendia penderentur, in diversas terras traducti, ab ipsa provincia quam servant perdantur. Igitur se non temere sperare, Italiae Principes, si haec cogitent, id oneris communi studio pro suis quemque viribus conlaturos; aliter si non vivere detur, certe victitare necessum esse; et inter postrema vitae discrimina ab ipsa natura dictari rationes expediendae salutis. Quamobrem Summi Pontificis Maximique humanitate fretum confidere, ut sinat militi Germano victum de suo aere in ejus ditionibus conmercari. Quod ad Mantuanum attinet Ducem, Summum Pontificem non ignorare, eum Imperatoris Imperiique clientem esse; neque Caesarem ex libitu, sed ex Ratisbonensis conventus placito contra Imperium facere judicasse omnes ejus clientes, qui cum Galliarum rege amicitiam agitarint. Quare Caesarem suo jure uti, si per ejus fines hyberna disponat: ad quod onus vel intemerati obsequii clientes tenentur ».

Dispositio hybernorum.

His ad Vicecomitem rescriptis, statim magnam exercitus partem per Mantuani ditionem conlocat, in Monteferratensi ob arcem Casalem a Gallis insessam; in Mantuana autem, ne invicta Italiae urbs Gallis forte prodatur; alias copias in Parmensi ac Mutinensi disponit: Magno Florentinorum Duci, et Genuensi Lucensiumque Reipublicae, ut reliquas hospitio exciperent, jam per literas et inferiores exercitus quaestores edixerat. Mantuanus id aegerrime tulit: quapropter Caraphaeum

obsecrabat « ut se a Gallorum Germanorumque factionibus liberum esse pateretur »; qui respondit: « se non plane videre qua ratione Mantuanus, Imperii Romani cliens, eo jure eximi postulet, quod omnes Italiae Principes manet, qui ab Imperio Romano beneficia acceperunt: et tamen se, quamquam iniquum faceret, in id quoque conventurum ut ei morem gerat, modo is Galliae regis administros sua emittat ditione ». Mantuanus « id integrum sibi esse, - excusabat - cum Galli Casalem in sua haberent manu, et ob ferox Montisferratensium ingenium, qui cuncti in Gallorum partes essent concessuri, si grave hybernorum onus hoc quoque anno pertulissent. Itaque se rem Caesaream potius facere, cum eam Gallis opportunitatem praeripiat, quae triginta audacium et desperatorum hominum millia contra Caesarem conciant ». Ad haec Caraphaeus respondit: « mala quae ejus subjecti a bello ferunt ipsi imputanda, qui ultro Gallos in Italiam invitarit, munimentumque iisdem tradiderit Europae omnium praestantissimum. Sed si ad officium redierit, Caesarem ei, uti nunc Sabaudo, adfuturum. De cetero Montisferratensium ferociam, si quid conari audeant, se Germano militi permittere cicurandam ».

Aequa conditio a Caraphaeo Mantuano oblata.

Mantuani in Caesarem minax officium.

Mantuanus a Caraphaeo invitatus ac deterritus.

Parmensis vero opem a Pontifice Romano implorabat: qui ad Caraphaeum scripsit « ut a Parmensi Duce suo beneficiario abstineret ». Caraphaeus respondit: « Caesarem in eum Ducem, beneficiis Bardo et Campiano sibi obnoxium, superiorum jura foederum exercere: eum vero subditorum utilitati ex aequo studentem eas copias per omnem suam ditionem dimisisse hybernatum ». Mutinensis autem prae singulari in Austriam Domum studio Germanum hoc anno in hyberna lubens excepit.

Dux Parmensis precatorem sibi Pontificem parat.

Qui pro eo ad Caraphaeum scribit.

Prudens Caraphaei ad Summum Pontificem responsum.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Consilia occupat Francisci Focheresii a Gallo rege ad Italos Principes et Respublicas ac Pontificem Maximum legati, ut iis ab ipso offerat ad ejiciendos Italia Germanos belli societatem: et hybernorum jus, belli necessitatem utilitatemque docet: tum a Genuensi Republica ac tandem a Florentino Duce tributa exigit.

Focheresii laus.

Nomine Galli regis Italiae Principibus belli foedus contra Germanos offert.

Ejus per Italiam itinera.

Sed per quod tempus Caraphaeus cum Genuensibus et Florentinorum Duce de tributis cogendis agebat, interea Genuam adpulit Franciscus Focheresius Rebenacensium Comes, vir civilium rerum prudentia adprime clarus. Eum Galliae rex ad Italiae Principes Respublicasque liberas et Pontificem Maximum extra ordinem legaverat, qui « ipsius nomine iis offerret belli societatem, eosque exercitu classeque adjuturum, quo Germanos de Italia facilius dejicerent ». Is primo Genuam, inde Florentiam, mox Romam venit; ut postea, ubi hybernis Germanus miles evocaretur, Parmensem, Mutinensemque et Mantuanum obiret, postremo Venetias perventurus.

Focheresii ad Genuensem Rempublicam contra Germanos oratio.

Docere autem Genuenses Patres nitebatur: « Germanos belli Italici obtentu velle antiqua Imperatorum jura in Italia revocare, et de ipsius aere provinciae exercitum alere, quo eam armis obtineant in Hispani regis, in orbitate graviter aegrotantis, postremum casum. Huc evadere liberalia verba, quibus praedicant, se venisse ut Italiae libertatem protegerent; scilicet ut ejus Principes summi liberaeque respublicae Caraphaei violentiae hactenus inauditae servirent; qui Mantuanum, Parmensem ac Mutinensem agros Germanicis armis insidet. Id enim agere qui summo mense augusto tandem aliquando adfuere, medio octobri in hybernorum ocia dilapsi. Nempe profunda eorum haec esse consilia, alium post

alium Italiae Principes ac Respublicas convellere, opprimere tandem universos. Ab infirmioribus coeptum, solo aequata Guastalla, ejectoque regulo, cum acri Italorum Principum misericordia, qui eam calamitatem ad res suas quisque revocant et imminentem pavescunt. At vero regem suum Ludovicum Magnum sedulo et ex fide religionem et oppressos socios tueri; qui id bellum contra Europam ferme universam adversus se foederatam substinet, ut Jacobum Angliae regem Romanorum caussa sacrorum regno exutum, regno restituat. Et quia uti reges divina, ita Summum Numen regnorum humana tuetur, unum adversus tot, tales tantosque hostes maximas terra marique victorias reportasse. Victorem tamen Italiae pacem hostibus obtulisse; et, in utrumque paratum, nunc Principibus Italiae belli foedus offerre, et viginti Gallorum millia in Italiam classe missurum, ubi Summus Pontifex, Venetaque Respublica aliique Principes secum socientur: idque agere ob unum gloriae praemium, gentes adflictas erigere. Sin cunctentur, et ament a Germano premi, sciant eum Principibus Italis de ipsorum aere bellum quoque inlaturum, et Genuenses uti proximos, ita primos fore ultioni ».

Conditiones foederis ab Gallo rege Italiae Principibus oblatae.

Galliae minae.

Has Rebenacii spes minasque Caraphaeus jam magna ex parte retuderat epistola ad Vicecomitem scripta, quam per universae ferme Italiae Aulas vulgaverat: et cum iis alia haec de jure et utilitate ejus belli suscepti per sermones ac literas composuerat: « Caesarem in Italos, Imperii beneficiarios Principes, jus superioris foederis exercere: una ejus foederis lege cautum, ut Caesari bellum gerenti Clientes Imperii conferant stipem. Germanos Principes, quotiens indictum iis sit tributum, pensitare; Italos satis diu vacasse, et adhuc ex Caesaris benignitate vacaturos, nisi duobus injustissimis bellis fessus ad eorum regna, Romani Imperii beneficia, tutanda descendisset. Si quibus autem gravius quam pro beneficii proventu indictum sit, si ii Caesari jam tot annos bel-

Rebenacius a Caraphaeo occupatus.

Jus hybarnorum;

Eorumdem necessitas;

Digitized by Google

ligeranti, quotannis, ut Germani, tribuissent, multo plus quam nunc semel conferunt, contulisse intelligerent. Cogitent, eum Turcas teterrimos hostes non tam a Germania ex sese satis armata, et in communibus periculis sane invicta, quam ab Italia longo ocio fracta, et ad resistendum omnino impari procul arcere; quae si Vienna in eorum impuras manus recidisset, ejus victoriae miserrimus nunc Italia et infelicissimus fructus esset. Patiantur igitur aequo animo, de quibus regnis omnino excidissent, nunc Germanum militem, cujus virtute stant, sustentare; qui id exercetur, ut in omne posterum tempus constent. Eos enim ab Galliae armis Italiam protegere, quae si ejus arcem Taurinum occupent, Galli regis dominatui cuncta cessura. Rem ipsam ex Sabaudi Venetique judiciis aestiment, quorum alter virtute, alter sapientia Italiae claustra custodiunt: illum oblatam a Gallo pacem vel magnis cladibus acceptis, et munitissimis urbibus amissis repudiare; hos conditionem pro sponsore dignitatis plenissimam non recipere. Nosse enim id esse Galliae consilium, foedus, cui vix obsistit, disturbare ac distrahere, ut mox singulos sua ingenti potentia opprimat. Aequo igitur animo brevi temporis spacio hanc ineluctabilem necessitatem ferant, ut Italia aeternum libera perfruantur. Nam sane delicias facturos, si velint ut Caesar Nissam ac Bellogradum immensae utilitatis urbes pro ipsorum salute amittat: ipsos autem breve hybernorum onus, ut sint semper salvi, non pati. Postremo fortium virorum esse dura brevi ferre, quae longam post se sunt tractura voluptatem ».

Honestas;

Aequitas;

Utilitas.

Sabaudi Venetique laudes.

Galliae consilium retectum.

Delicatorum ingenium.

Propria fortium nota.

Tamen Genuensis Respublica constanter hybernorum onus abnuere: et Josephus Renatus Cardinalis Imperialis, qui Caraphaei amicissimus habebatur, pro patria haec ad eum scripserat: « Tributa aut civibus ex gentium more, aut hostibus belli jure indici: suam autem Genuensium Rempublicam summa libertate constitutam, et semper de Caesare et Viennensi maxime bello benemeritam. Ejus duo fundamina integritatem a partibus,

Cardinalis Imperialis pro Genuensi Republica ad Caraphaeum scribit.

Tributorum jus.

Genuensis Reipublicae fundamenta.

Digitized by Google

et deliberationum publicitatem. Quare ubi Gallus Genuam in partibus Germanorum stare cognorit, nullo negocio eam immissa iterum incendiaria classe incensurum. Omnem in extenuato terrae margine mari praetentam; Gallos interni potentes maris; et satis spectatum, quantum Hispanicae triremes Genuensibus sociatae arcere eam ab injuria possint, cum plures dies Genuam conflagrare ociosae de alto pelago prospectarunt. Ita exemplo misere renovato, quas commeatuum et auxiliorum utilitates Genua ab Hispaniae regnis Mediolanum transportaret, universas plane intercluderet. Praestare igitur, ut eam cum magnis his commodis salvam stare, quam cum exiguo lucro malit excisam. Et ut Galli in haec saeva deliberata non rapiantur, certe commercia suis civibus abrupturos, ex quibus et cum iis maxime victitant; eoque pacto ipsis alimenta negaturos, metu ne ea suis hostibus proderent. At enim Germanos advenisse ut Italiam ab Galliae dominatu liberarent. Dignum Caesare facinus, si eo consilio institutum, ut inter Italiae Principes et Respublicas liberas belli foedus sanxisset: et potentiores ad id adegisset prius, tenuiores mox cogeret ».

Ditio Galliae furoribus obnoxia.

Genuae a partibus integrae quae utilitas Caesari.

Genuenses cum Gallis maxime commercio agitant.

Caraphaeus ad haec, *juris Caesarei executorem, non disceptatorem* se ferens, quanta potuit novitque verborum lenitate asperum munus suum cum Cardinali et Genuensibus Patribus excusans, eo militem minacem induxit: unde respublica vi intentae cessit.

Caraphaei cum Genuensibus dexteritas.

Sed Dux Florentinorum obfirmatissimus animi neque hyberna in suos recipere fines, neque iis aliquid stipendii tribuere; sive quia id non ex sua dignitate putaret; sive quia Peloponnesiaco bello Venetum classe perpetuo juvasset; sive metuens holoserici commerciis, quae cives cum Gallis agitant; sive certo studio, an ob haec omnia. Quapropter Caraphaeus ad eum epistolam ut omni officio, uti par erat, refertam, validisque rationum momentis gravem, perinde praecisam et in minas abruptam scripsit.

Magnus Dux Hetruriae obfirmatus hyberna non pati. Ejus caussae.

Caraphaei ad Florentinum Ducem epistola, officio et gravitate referta.

«Satis graviter suam detestari vicem, qui cum Viro Italiae Principe, quem semper est omni obsequio prosecutus, eo duro nunc jam fungi munere omnino debeat. Sibi injunctum a Caesare, ut eum quanto aequius melius habeat; sed non diserte mandatum ut communi ceterorum eum eximat jure. Se ultro jam Augusti praevertisse mandatis, cum sola aeris ab eo conlata ope contentus hyberna per ejus fines militi locare abstinuisset; quae Parmensium Duci, proxima et nupera Caesaris Hispanique regis adfinitate eximio, non pepercerat. Hybernantem enim militem, ut rigidissima disciplina coercitum, si non noxium, tamen ejus oneris insolentibus gravem sentiri. Neque Rebenacii minis eum deterreri par esse, cum Genuensis Respublica eo arcano fundata et conservata diu, ut partium in Italia bellantium integra agat, mari omnis exposita, et incendia a Gallis perpessa, per idipsum tempus quo is Galli regis legatus sibi ejus pestis terrores ediceret, aes pro sua rata portione tribuerit. Docuisse se eum sedulo, quantum ceteri contulerint ut hyeme se exhibeat miles; et ad eum supplendum instruendumque per acies quantum desit. Neque enim recte res geri, si miles corpora recte in hybernis curet, nisi ad aestatis aerumnas obeundas omnibus sit instructus. Decere magno animo Principem, et amplissimae ditioni praeter omnes Italiae regulos dominantem, pro viri magnitudine opumque copia, in communibus periculis declinandis magnam quoque aeris vim contulisse. Id expectare reliquos, ut inique secum agi jure querantur. At suae justitiae non esse onere gravare infirmos, validum adlevare. Proinde det veniam postulatis; quamprimum certam et necessariam aeris rationem mittat; alioqui se Quaestori Palphyio mandaturum ut a Mantuana, Parmensi ac Mutinensi ditione copias in Florentinam inducat: neque se porro quantavis auri sero oblati summa revocaturum. Flagitium enim faceret si, aere ab Duce Florentinorum accepto, eum hybernorum onere adlevet, eosque iterum gravet qui

principio, ut declinarent, aes quoque contribuere liberaliter et ultro obtulerunt. » Per quae rationum momenta Florentinus animum tandem flexit parem suae Principis magnitudini stipem conferre. Atque has Caraphaei res annus belli Italici secundus percurrit.

Florentinus Dux stipem confert.

MDCXCI.

CAPUT XII.

In summo exercitus Germanici Imperio Bavaro succedit: bellum contra Galliam gravius instruit: Viennam a Caesare revocatur: in consilii bellici Praesidem a studiosis proponitur: ab aemulis criminibus insimulatus se purgat; a Caesare ad Pontificem Maximum ex ordine legatur; mitti differtur; interea supremum obiit.

Sed dum is ita hyberna administrat, Maximilianus Emmanuel ab Hispanis ad perpetuam Belgii moderationem invitatur; cujus loco Caraphaeus summae rei Germanicae in Italia praepositus. Et quamquam Bavarus suo discessu exercitum bona copiarum parte minuisset, quas secum in Belgium duxit; tamen Caraphaeus hybernorum administratu ita res Italiae restituit, ut foederati proxima aestate per Salutiensem agrum arma in Delphinatum intulerint. Ipsi autem non contigit eam provinciam suo ductu gerere, sed Aeneae Caprarae tradere adactus est; quia ob simultates eum inter et Sabaudum natas Caesar Viennam eum revocarat: quamquam, ut ei dignitatem obtineret, ad omnes Italiae Principes et Respublicas scriberet, se eum gravissimis de rebus tantisper adcersivisse; iis autem deliberatis, inlico remissurum.

Caraphaeus exercitus Germanici in Italia imperator.

Curat bellum ex Italia in Galliam transferendum.

A Caesare Viennam revocatur.

Caesar Caraphaei dignitatem tuetur.

Per idem tempus Hermannus Badensis e vivis Ratisbonae concessit; et Aula Caesaris de promovendo ad id amplissimum munus successore in partes et studia divisa est; alii namque Com. Francisco Henrico Mansfel-

Hermanni Badensis mors.

Aulae studia de ejus successore promovendo.

dio, alii Aenae Caprarae, pars Ernesto Rudgero Starembergio, aliqui Caraphaeo suffragabantur. Heic aemuli multa et varia Caraphaeo objectare crimina: principio eum ingentes sibi parasse opes, tamquam peculatus sordibus quaesivisset: deinde cervicosum et consilii quamvis egregii, quod non ipse adferret, inimicum: ad haec timidum ducem, qui ad quodvis vanum nuncium jam hostes ad Viennae portas adesse putet; et ex degeneris animi sui modulo indignam Caesari timiditatis notam inurat: postremo non tanta ejus esse merita, quantum fastum quantamque superbiam, ut omnino Caesari necesse sit hominis insolentiam demittere.

Caraphaei criminationes ab aemulis. Avaritiae, Pervicaciae, Timiditatis, Superbiae.

Caraphaeus interea amicis, qui Praesidis munus sibi ambirent gratias quidem habere; ipse tamen non petere, utpote qui a Cesare ultro honorari consuefactus. At ad obtinendam nominis dignitatem his rationibus objecta per literas ad anonymum scriptas et evulgatas purgare. « Si qui nunc se accusant, foedi peculatus reum compertum haberent, cur non in Posoniensi conventu, quum omnes ferme Hungaros sibi ceperat inimicos, ejus sordis non detulerunt? Nemini clam, se nedum cum potentibus Principibus viris gravissimas simultates suscepisse, sed amicitias iis palam renunciasse: si quid in pecuniae publicae administratione peccavisset, eos scilicet ut inimicum salvum vellent, Caesari reum dissimulare? et palam omnibus, sese graviter munia exercuisse, sententias libere pronunciasse, respexisse prae Caesare neminem: qua audacia aliquem animo ejus servilis fraudis sibi male conscio, exterum, solum inter quamplurimos infensos observatores ea in dictis factisque omnibus libertate uti posse? Cetera sat improvidum se omnes arguerent, qui frugalis in re Caesaris fuerat, ipse sibi pinguia Caesaris stipendia, ad septem et viginti annos in tot tantisque et minoribus et summis militiae ordinibus merita, conservare et augere ignorasset. Deinde se nullos homines detestatum magis, quam quos privati odii pertinacia in publicum exitium stimu-

Caraphaeus Praesidis munus non ambit. Crimina purgat. Peculatus, Pertinaciae,

lat: suas enim sententias non ullo animi pravo adfectu, aut mala arte, sed ipsis rerum argumentis docuisse; eadem ratione alienas improbasse; at ubi ex iis provinciae decretae sunt, eas omni studio ac diligentia promovisse. Aliqua a se provisa non accidisse fateri: et tamen adhuc suorum se consiliorum non poenitere; quia non idcirco non meliora sua, quia feliciora aliena. Se enim providisse quae humano consilio prospici possunt; prosperis autem Caesaris auspiciis sperare, non fidere; ejusque egregiam bellandi felicitatem in Summi Numinis sinu abstrusam, quanta foret, et quamdiu duraret, semper putasse nefas conjicere. Laetari vero, se ea animi magnitudine non esse praeditum, qua notat *Politicus* (1), Centuriones et Tribunos laeta saepius quam comperta nunciare. Sibi improbanti, Heislerium per Transylvaniae fines Germanicas copias dissipare, a quodam aemulo id ipsum objectum esse, saepius per ludibrium rogitante: *Ubi est Turca? ubi Techelius?* sed cum gravi Caesaris damno non diu abiisse, quod et Turca adfuit, et Techelius exortus tot fortissimos viros suo furori mactarunt; atque Heislerius et Auria, catenis onerati, istam magnanimitatem sat ipsis gravem experti sunt. Alia enim sane esse, timidum et cautum facere Principem, in belli rebus maxime quae emendationem non patiuntur. Quae de fastu et insolentia objiciunt, proprio vocabulo ea adpellare oportere gravem Caesareae dignitatis curam. Postremo eos se suo gradu dejectum cupere, ut longe arceant qui Caesari vera exponat, utilia suadeat ». Hinc judicium ultro postulat super ratione ab se administratae Quaesturae: in quo paruit, centies quadragies et plus eo aureorum nummûm (2), et sub Rabatta, et summum belli Quaestorem, in belli necessitates optima fide insumpsisse: unde avaritiae suspiciones purgatae.

Degeneris animi.

Fastus et insolentiae.

Judicium ultro postulat de quaesturae ratione reddenda:

Absolvitur.

Praeses tamen bellici consilii ex praeclara belli vir-

Starembergius con-

(1) Cornelii Taciti *Annal.* lib. II, cap. 12.

(2) *Quattordici milioni trentaseimila novecento sessantasei fiorini.*

silii bellici Praeses creatus.
Caesar Caraphaeum in Italia sibi necessarium censet.

tute et scientia Starembergius creatus. Nam Caesar Caraphaeum id temporis in Italia necessarium arbitrabatur; ubi Etraeus et Jansonius Cardinales amplissimi, ac praeter Galliae regis legatum, qui ex ordine missus Romae agebat, Rebenacius Italiae Aulas percurreret; omnes prudentissimi rerum civilium viri id occupati, ut Italia Germanos ejicerent. Igitur eum ad Innocentium XII Pont. Max. legatum creat. Is comites delegit, et quae Caesarei legati magnificam aulam decent comparat, jam profecturus. Sed cum Galli contra haec Caesaris deliberata multos metus injicerent, quos Itali Principes, Hispanique Proceres veros esse putarent, et Germani Hungarique Caraphaei aemuli ejus rei expediendae difficultates augerent; Caesar ut has vanas suspiciones tempore et cura discuteret, legatum mittere differebat. Sed hic veritus, aemulorum artibus moras necti; ac metuens ne ii summam suam exercitus Quaesturam praetenderent, ex qua ipsum necessario Caesari adesse adfirmarent; dissuadente tamen Kinskio, abruptus consilii eo se munere abdicavit. Sed cum nihil magis legatio expediretur, morae impatiens, aegritudine animi in febrim incidit, qua brevi supremum obiit. Caesar indoluit hoc honestissimo testimonio: *Nobis morte praereptus, qui summo studio et fortitudine animi nostram rempublicam gerebat* (*).

Legatum ad Pont. Max. Romam destinat.
Caraphaeus comparatur.
Morae objectae a Gallis, Hispanis, Italis, Germanis Hungarisque.
Caesar cunctatur.
Caraphaei error.
Morbus.
Mors.
Ann. MDCXCII.
Ab ea Caesaris dolor.
Ab Caesare viri laus.

CAPUT XIII.

Viri Eicon, et alia privata quaedam.

Vitae summa.

Ita Antonius Caraphaeus annos vitae exegit L: in Egnatii autem Leopoldi Austrii Romani Imp. militia XXVII emeruit: e quibus X perpetuos amplissima armorum imperia obiit, V vero ultimos potentiam tenuit.

(*) Ex consolatione Kinskii ad Hadrianum Caraphaeum Antonii germanum fratrem scripta.

Digitized by Google

Corpore ad breves magis quam proceros accessit; ejusdem habitu firmo, colore subfurvo, nigro capillo oculisque, facie decora, vultu alacri, utroque in majestatem composito; quam ipsam vigore oculorum eximio intendebat ad vim, remittebat ad lenitatem. Cibi, potus somnique parcissimus, ut tres fere semper noctis horas aut summum quatuor quieti daret. Ingenio non tam ad subita exprompto, sed acri et longa meditatione omnia quae in rebus deliberandis inessent, videbat, e quibus propria decerneret. Ejus ingenii consecutio fuit ut non tam audentia, quam cauta consilia sequeretur. In ejus autem scriptis reperio iisdem de rebus vel septenas octonasve epistolas, in quarum posterioribus expendit alias rationes, quae ante in mentem non venerant. Eadem de caussa, eorum quae scribebat sedulus emendator; ut in eorum, qui ipsi a secretis essent, epistolis multa inducta, multa inscripta, multa deleta ipsius manu, earum lector notaverit. Magnam habuit posteritatis curam: etenim, quae ad ea quae gessisset explicanda pertinere arbitrabatur, omnia composuit; epistolas maxime, omnium optimum scribendarum historiarum instrumentum (*); vel de suis viciis libens futurae aetatis judicium subiturus, qui inter sua rerum monumenta aemulorum infarcivit accusationes et invectivas. Neapolitani nominis dignitatem apud Germanos sedulo procuravit: quamobrem quos virtute et industria decori suae genti fore providebat, eos officiis, gratia, auctoritate promovebat; leves, futiles, vanos

Corporis statura, Habitus, Color, Facies, Vultus;

Cibus, Potus, Somnusque,

Ingenium,

Industria.

Cura posteritatis,

Ingenua et generosa.

Gentieae dignitatis sedulitas.

(*) Verulamius, lib. II *de Augumentis scientiarum*, cap. 12: *Atque* orationes *sane virorum prudentium de negotiis et causis gravibus et arduis habitae, tum ad rerum ipsarum notitiam, tum ad eloquentiam multum valent. Sed majora adhuc praestantur auxilia ad instruendam civilem prudentiam ab* epistolis, *quae a viris magnis de negotiis seriis missae sunt. Etenim ex* verbis hominum *nil sanius, aut praestantius, quam hujusmodi epistolae. Habent enim plus nativi sensus, quam orationes; plus etiam maturitatis, quam colloquia subita.*

Epistolae utilissimum historiae conscribendae instrumentum.

ne temporis quidem momentum in Germania morari patiebatur. Uxoris diligentissimus fuit: in quam supremo elogio liberalitatem singularem testatus est. Cum autem ex ea liberos nullos suscepisset, ad perennandam familiam Hadrianum fratrem germanum uxorem ducere curavit. Sed vitae praereptus, antequam ex eo et Izabella Tomacella Hadrianum nepotem natum videret: qui filius unicus, parenti morti proximo natus, familiae nomen et opes servat.

Uxoris diligentia.

Familiae pietas.

FINIS TOMI I. OPERUM LATINORUM.

Digitized by Google

INDEX

Prooemium Editoris . . . . . *pag.* v

De nostri temporis Studiorum Ratione Oratio ad litterarum studiosam juventutem in R. Neap. Academia habita xv kal. nov. mdccviii et deinde aucta . . . . » 1

Animadversiones in Orationem quae *De nostri Temporis Studiorum Ratione* inscribitur ex Ephemeride vulgo *Giornale de' Letterati d'Italia* depromptae » 54

De Antiquissima Italorum Sapientia ex linguae latinae originibus eruenda Libri tres. . . . . » 57

Animadversiones in primum librum *De Antiquissima Italorum Sapientia*, etc., quae in Ephemeride vulgo *Giornale de' Letterati d'Italia* (T. V, Art. VI) inveniuntur . . . . . » 110

Risposta del sig. Giambattista di Vico, nella quale si sciogliono tre gravi opposizioni fatte contro il primo libro De Antiquissima Italorum Sapientia, *ec.*, *ovvero* Della Metafisica degli antichissimi Filosofi italiani tratta da' latini parlari . . . . . » 114

Animadversiones in superiorem J. B. Vici Epistolam quae in Ephemeride vulgo *Giornale de' Letterati d'Italia* (T. VIII, Art. X) habentur . . . . » 129

Risposta di Giambattista di Vico all' Articolo X del Tomo VIII del Giornale de' Letterati d'Italia » 140

Editoris monitum . . . . . » 168

De Rebus gestis Antonii Caraphaei libri quatuor . . . . » 169

CORRIGENDA

Pag.	36, lin. 22	Ad haec	*lege*	At haec
	327 » 18	Maramarosinensem		Marmarosiensem

Digitized by Google

Digitized by Google

14 DAY USE
RETURN TO DESK FROM WHICH BORROWED

LOAN DEPT.

This book is due on the last date stamped below, or on the date to which renewed.
Renewed books are subject to immediate recall.

LIBRARY USE
APR 22 1963
REC'D LD
APR 22 1963
OCT 19 1990

LD 21A-50m-11,'62
(D3279s10)476B

General Library
University of California
Berkeley

U.C. BERKELEY LIBRARIES
C021117259

31583
B3570
A2
1872

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY